NEW YORK
UNIVERSITY
LIBRARIES

INSTITUTE OF FINE ARTS

FROM THE LIBRARY OF
WALTER F. FRIEDLAENDER

I(8/72)

J-4

Friedlaender


ROMA
SACRA
Floravantis
Martinelli



# ROMA
## EX ETHNICA SACRA
### SANCTORVM PETRI ET PAVLI APOSTOLICA PRAEDICATIONE PROFVSO SANGVINE

*A FLORAVANTE MARTINELLO ROMANO*
*Publicæ venerationi expoſita.*

Typis Romanis Ignatij de Lazaris.
M. DC. LIII.

*Proficiſcere Romam: illic enim plateæ ſunt auro inſtratæ, & Sanctorum ſanguine rubricatæ: ibi propter condonationes, ſiue indulgentias, quas promeruere Sancti, compendio venitur ad Cælum.*

Ita Chriſtus Dominus ad S. Birgittam, *ex Surio in huius vita tom. 4. ad 23. Iulij.*

SANCTISSIMO D. N.

# INNOCENTIO X.

## PONT. MAX.

*Fierauantes Martinellus Romanus.*

IVSTISSIME cenſuit apud Demoſthenem, Beatiſſime Pater, ille Megarenſis viator; *Cuius eſt corpus, ipſius eſſe vmbram eiuſdem*: quippè quam illud ex ſe quaſi fructum, tametſi infructuoſum, emittit. Proinde ego cum adumbratam hiſce lineis, quaſi lineamentis, Vrbem Romanam emitterem, non alteri eum calami mei fructum, vtut infructuoſum, exhibere debui, quàm Tibi, cuius eſt ipſa dominio, titulo, felicitate. Quæ ego hìc aſſero Tu præſtitiſti, magnificentiam Vrbis & Sanctitatem. Nam quo-ſe-cun-

que verterit ciuis eius, aut hoſpes, vbìque tuæ in patriam beneficia admiranti ei occurrent. Vaticanum adibit? Sed eò pedem inferre non poterit, niſi teſtem tuæ pietatis, non vno angulo, ſed toto ambitu diffuſæ, ſacellis noua cælatura ornatis, cruſtatis marmore inde inde columnis, ſtrato è vario lapide pauimento; vt illud, olim Auguſti, tuum ſit hodie, è lateritio marmoreum reddidiſſe. Lateranum luſtrabit? Sed ita à Te refectum arcuato fornice, paralellis nauibus, obducto propylæo, vt Princeps Eccleſia à prioribus cœpta tantùm videatur, à Te abſoluenda. Addam Agonale Forum? Sed abſit ne addiderim illud, in quo Tu in dies & in paſſus aquatile delicium propinas vulgo Vrbis, & Orbis; cuius vel ipſe aſpectus laſſat admirantem non ſolùm liberalitatis tuæ apicem, ſed ingenij acumen. Quid adijciam Vaticanum Fontem, munimenta Vrbi obducta, & quod caput eſt Capitolium, hactenùs acephalum aut truncum, tua

mu-

munificentia auctum priſca integritate, nouo ornamento! Dabis ergo hanc audaciæ meæ aream, vt reddendo Tibi tuum, opuſculo hoc quaſi compendio reſtrictum, teſtari poſſim Mundo magnificentiæ tuæ faſtigium, Tibi gratitudinis meæ penſum. Multa magnàque ſunt quæ ego familiæ tuæ debeo, perſonæ refero accepta: quæ cum neque ſoluere poſſim, nec tacere, hac oblatione volui teſtata; parcè ſi factum æſtimes, ampliſſimè ſi votum. Erit illud occaſio qualiqualis Sanctitati tuæ explicandi animum dignitati Tuæ parem, cum oſtenderis nihil apud Te perire, qui cum maxima præſtas, etiam parua admittis.

munificentia auditum priſca [illegible]
nouo ornamento! Dabis ergo hanc au-
daciæ meæ veniam, ut reddendo Tibi
tuum, opuſculo hoc quaſi compendio
reſtrictum, teſtari poſſim Mundo ma-
gnificentiæ tuæ ſuffragium, Tibi gratitu-
dinis meæ penſum. Multa magna que
ſunt quæ ego familiæ tuæ debeo, per-
ſonæ retro acceptæ: quæ cum nequeo
ſoluere poſſim, nec tacere, hac obla-
tione volui teſtari, parcè ſi [illegible]
animos, ampliſſimè ſi votum. Fuit il-
lud occaſio, qualicunque Sanctitati tuæ
explicandi animum dignitati Tuæ pa-
rem, cum oſtenderis nihil [illegible] ſpe-
rare, qui cum maxima præſtas, exigua
parua admittis.

# LECTORI.

VRBS Roma tùm Imperatorum ſuorum munificentià, tùm Pontificum pietate ad eum ſplendorem aſpirauit, quem faciliùs admirari quàm intelligere poſſumus; intelligere quàm explicare. Propter quod multorum ingenia in eo laborarunt, vt quoniam illa, quomodo alia naturæ pignora deſinunt in dies, certè autem mutantur, hæc illius ruina hiſtoricorum induſtrià ſiſteretur. In horum claſſem ego, neſcias vnde, relatus, multorum iudicia de me expertus ſum in eorum importunitate, qui Vrbis illuſtria monumenta à me deſcribi feſtinabant. Qui eorum ambitus tùm vel maxime incaluit, cùm recurrente quinquagenario anno Iubilei, imminebat Vrbi numerus ille innumerus peregrinantum. Ergo cum neque obſiſtere amicorum votis poſſem quàm deuinctus, neque tunc obſequi quàm imparatus, cumulum in compendiũ hoc cõtraxi, explicata hoc opuſculo ROMA SACRA, vt per eam hoſpites inſueti, duce me & quaſi ſcipione vterentur. Neque verò neſcio, Romę miracula ante me alijs trita, tractata, retractata: Eſto idem, fueritque; in hoc genere non repellendi ſunt ſcriptores, ſed inuitandi: vt quoniam hęc Regina Vrbium in dies noua faſtigia attollit, priſca

fun-

fundamenta premit,aſſiduà ędium fabricà,con tinuo partu Baſilicarum , proinde Romana ingenia, ne aut patrię deſint, aut architectis ſuccumbant, in annos in dièſque, alios aliòſque eiuſdem commentarios extendant nunquam effœta fœcunditate. Itaq; amicorum precibus obſequutus illa interim monumenta elegi,quę Mœnia, quę Fora, Baſilicas, Vias, Regiones ſuperſtitioſę Vrbis conſecraſſent noſtrę Religioni. Quanquam hęc preſſiùs, alia lentiùs ſum proſequutus, vtpotè ipſas in ſe Eccleſias, Odæa, Sacella, Xenodochia, Noſocomia, quę quaſi vncialibus literis, ipſo operum charactere pręferrent non modo fidei veritatem ſed charitatis exercitia apud nos perpetuò viguiſſe. Propter quę ego ſtyli elegantiam, & comatulam dictionem ſus deq; habui, neglexi potiùs quàm abieci. Magnalia operum ſe ipſis in altum ſurgunt, nec attolluntur ſic dicendo ſed ſidunt,cum creduntur creſcere verbis poſſe quę ſolido ſuo tument: Denique quod hìc ego non meam laudem, ſed tuum fructum, etiam gratiam ſim aucupatus, apparebit inde, quia tibi obſequutus mihi quodammodo deſui in eo augendo, ac poliendo : malui præcipitare opus quàm differre. Non proinde tamen abnuo me pluſculum temporis & induſtrię ei contuliſſe: Dices id ipſe cum videris obſcura ad Solem producta, authores in fonte citatos, eos interim, quorum etiam tituli, nedum

tra-

tractatus, pleriſque hactenùs inauditi. Ita vltimo (ſpero) explicabit opus quod promitto, ſcilicet, Romam ex veteri nouam, è Gentili Chriſtianam, diuina Chriſti virtute, Petri & Pauli induſtrià, deiectis ſimulacris, expunctis legibus, ictis fulmine Capitolijs.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo D. S. P. A. Magiſtro.

*Aſcanius Riualdus Viceſg.*

*Iubente Reuerendiſſimo P. Candido Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro, legi hanc Vrbis Romæ deſcriptionem, à Florauante Martinello diligentiſſimo Sacræ Antiquitatis perueſtigatore congeſtam: Quam, ob multiplicem Eccleſiaſticæ eruditionis illuſtrationem, dignam exiſtimo quæ typis in lucem edatur. Cum nihil fidei moribúsque Chriſtianis aduerſum contineat; ſed potius ad pietatem & Sacrorum locorum venerationem augendam non leue momentum allatum videatur. Romæ Kal. Maijs CIↃ.IↃC.LII.*

Lucas Holſtenius SS. Baſilicæ Vat. Canonicus:

# Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Mag. S. P. A.

## DE ROMA NOVA, ET SACRA

Ad Floranantem Martinellum,

Tetraſtichon

F. B. Baronij Hyberni.

*INclyte Romani reparator nominis : olim*
*Tu patriæ Tacitus ; Tu mihi FLORVS eris,*
*Dum geminos vna moliris in Vrbe labores,*
*Roma nouata tuo eſt, Roma ſacrata ſtylo.*

Ad Eundem

GABRIEL NAVDÆVS.

*TEcta vetuſta nouæ ſatagis dum reddere Romæ,*
*Reſtituiſque ſuis tot pia templa locis:*
*Non modo Romulei laudant tua dogmata cycni,*
*Indigeteſque Deos in tua vota rapis;*
*Sed, ſibi tam varias potuit quæ ſubdere gentes,*
*Arbitrio tota eſt ſubdita Roma tuo.*

# INDEX
## CAPITVM.


| | | |
|---|---|---|
| I. | *De Situ & ambitu Vrbis.* | pag. 1. |
| II. | *De Portis Vrbis.* | 5. |
| III. | *De Montibus Vrbis.* | 9. |
| IV. | *De Regionibus Vrbis.* | 13. |
| V. | *De Tiberi, eiuſq; inſula, & pontibus.* | 18. |
| VI. | *De aquis religioſis in Vrbe.* | 24. |
| VII. | *De reliquis fluminibus, aquis, & fontibus Vrbis.* | 31. |
| VIII. | *De antiquis Romanorum ædificijs, & locis, Chriſtianorum martyrio, in Vrbe illuſtratis.* | 37. |
| IX. | *De Templis Sanctorum Vrbis.* | 46. |
| X. | *De Pyramidibus & columnis veræ religioni in Vrbe dedicatis.* | 321. |
| XI. | *De Sacro Romæ Suburbio.* | 325. |
| XII. | *De Templis Sanctorum obſoletis in Vrbe.* | 332. |
| XIII. | *Auctores, qui de antiquitatibus Vrbis ſcripſerunt.* | 406. |

# FLORAVANTES MARTINELLVS DE VRBE ROMA.

## DE SITV, ET AMBITV VRBIS Cap. I.

VRBS ROMA à Romulo & Remo fratribus fundata, quorum nutrix lupa, *non meretrix ſed beſtia*, fuit, teſte D.Auguſt. de Ciuit. Dei cap. 6. *omnium terrarum alumna* (vt Plin.in nat.hiſt.l 3.c.5.) *eadem & parens, numine Deûm electa, quæ Cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritus molliret, & tot populorum diſcordes feràſque linguas, ſermonis commercio; contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breuitèrque vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret*. Primò Palatium, tùm Capitolium, aliòsque montes tenuit, apto ad imperandum loco, temperato climate, propinquo mari nauigabili amne, ac regionis vbertate ſuffulta. Principiò Latij, & Italiæ, poſtea orbis terrarum caput fines ſuos cum orbis finibus terminauit. Poſita nunc eſt partim in montibus, partim in vallibus, campiſque ſubiectis, auſtro obiecta, & cœli aliquanto grauioris, ruinarum plena ad vtramque Tiberis ripam. Viarum amplitudo, ex Pontificum generoſitate accepta, decorem vrbi affert,

at earum patulam latitudinem, & nulla vmbra defen-ſam grauiore æſtu ardeſcere, vt de Neroniana vrbe ait Tac. lib. 15. experitur. Antiquitùs (quod miracu-lo ſimillimum eſt) ſuffoſſionibus montium,tòtque tan-tiſque cloacis, & aquæductibus abundabat, vt eam ob cauſam penſilis à Plinio & ſubternauigata dica-tur. Hodie ualles & campi è vaſtitate, & ruinis ædi-ficiorum altiùs, quàm credi queat, exaggerati ſunt. Ambitus vrbis 13. M. paſs. non excedit; In mœnibus vltra trecentæ turres numerantur; multis tamen ex his collapſis. Vrbis mœnia vetuſtate collapſa reſti-tuerunt Romani Pontifices, vt eorum inſignia, vel nomina ijs affixa teſtantur. Hi ſunt

A porta Trigemina, vulgò S. Pauli, ad portam Ap-piam vel S. Sebaſtiani, Nicolaus V. Iulius III. Ale-xander VI. Paul. III. & Pius IV.

A porta Appia ad Latinam Pius II. Pius IV. anno 1562. Vrbanus VIII. an. 1.

A porta Latina ad Cœlimontanam, aliàs S. Ioan-nis Senatores aliquot Romani, vt indicat inſcriptio in turri ſupra Riui Mariani ingreſſum.

ANNO M C LVII.
INCARNATIONIS D. N. IESV CHRISTI.
S. P. Q. R.
HAEC MOENIA VETVSTATE DILAPSA
RESTAVRAVIT.

Senatores Saxo, Iohannes de Alberico, Ruieri Bucca, Canapinzo Philippo, Iohan-nes de Paronzo, Petrus Deteſalui, Cencio d'Anſouino, Rainaldo Romano, Nicola Mannetto.

GRE-

GREGORIO XIII. P. M.
Cæſar Iuuenalis, Latini F. Mannetta Coſ. III. turrim hanc collapſam, & à Nicolao Mannetto VII. viro Senatore, collegiſque eius, quorum familię extinctæ ſunt, inſtauratam, rurſus poſt annos CCCCXXI. iterum collabentem, vt publicum Mannettæ familiæ in patriam perpetuæ voluntatis extet monumentum, priuata impenſa reſtituit
An. Sal. M. D. XXIX.

Item Iulius III. & Nicolaus V.

A porta Cœlimontana ad Maiorem, Nicolaus V. (& hìc eſt etiam nomen artificis, videlicet, Alexander Viues fecit) Iulius III. Pius IV. an. 1564. Paulus V. an. 14.

A porta Maiori ad Taurinam, ſiue Exquilinam, hodie S. Laurentij, Iulius II. & III. Sixtus V. an. 2.

A porta S. Laurentij ad Piam, Iulius II. vt indicat hæc inſcriptio.

IVLIO II. PONT. MAX.
Bernardinus Miltius, Proſper Mutus mœnium curatores dicauerunt, muris alibi inſtauratis, alibi reſartis an. MDXII.

Iulius item III. Clemens VII. ac Pius IV. an. 1564. vt in hoc mœnium ambitu eorum nomina leguntur. Hìc ſequens inſcriptio habetur.

GREGORIO XV. P. M.
Quòd vrbis mœnia, temporis iniuria collapſa, ſub ipſa Pontificatus initia, publicæ ſecuritati conſulens, inſtauranda cenſuerit.
S. P. Q. R. PRINCIPI OPT.

Hìc propè portam antiqnitùs dictam, inter Aggeres, aliam legi inſcriptionem.

VRBANO VIII. BARBERINO P. M.
Quòd vrbis ſecuritati prouidens dilapſa mœnia refici, & collabentia iuſſerit confirmari
Horatio Manilio }
Bernardino Vellio } Coſſ.
Bruto Gottifredo }
Io. Franciſco Tolomeo Priore. M DC XXVIII.

A porta Pia ad Salariam Iul. II. & III.

A Salaria ad Pincianam Iulius III.

A Pinciana ad Flaminiam, aliàs Populi, Pius IV.

Muri vetuſtiſſimi è rudi primùm lapide quaſi coaceruati, quos extruxit Tarquinius Priſcus, à Gothis Vandaliſque diruti, & effoſſi ſunt; poſtea facti ſunt lateritij, qui adhuc durant.

Leo IV. mœnia vrbis refecit; Vaticanum montem, aucto murorum ambitu, cinxit; quos poſtea, temporis iniuria, collabẽtes varijs temporibus reſtituerunt ſucceſſores Romani Pontifices.

Poſtremò an. 1643. & ſeq. Vrbanus VIII. ciuitatem Leoninam, additis à propugnaculo proximo portæ, quæ vulgò dicitur, delli Caualleggieri, ad portam S.Pãcratij, mœnibus & propugnaculis, Tranſtiberinæ coniunxit, hâc ſupra dictam portam adiecta inſcriptione.

VRBANVS VIII. P. M.
Abſolutis ciuitatis Leoninæ munimentis, & mœnibus, ac propugnaculis ad Tiberim vſque excitatis, imminentem vrbi Ianiculum, & Tranſtiberinam regionem circumducens publicæ ſecuritati proſpexit.
An. Domini M DC XLIV. Pont. XXI.

Et

Et ab hac porta per colles vlteriores Regionem Trãtiberinam dilatauit; Portàque Portuenſe ſolo æquata, vrbem, quâ hebræorum erat ſepulcretum, centum ferè paſſibus coarctauit, ac nouam Portam, poſtremùmque ad Tiberim propugnaculum moriens ſucceſſori perficiendum reliquit, Iulio menſe Anni 1644.

## DE PORTIS VRBIS.

### Cap. II.

PORtæ vrbis in vniuerſum ſunt XX. Ad ſeptentrionem ſunt Populi, & Pinciana: ad ortum vernum, Salaria, & Pia: ad ortum æſtiuum, Tiburtina vel S. Laurentij, & Maior: ad ortũ hyemalem Lateranenſis vel S. Ioannis, & Latina: ad meridiem, Capena vel S. Sebaſtiani, Trigemina vel S. Pauli: ad occaſum, Portuenſis, S. Pancratij, & Septimiana. Reliquæ vrbis Leoninæ, S. Spiritus, de Turrione, Fabrica, Pertuſa, Tres Portæ, Angelica, & Caſtelli, de quibus mox dicemus.

I. POPVLEA, à populorum ſylua Mauſolei Cæſarum dicta; olim FLVMENTANA, quòd ad fluuium pertineret; FLAMINIA à via, in qua Iulij Papæ Cœmeterium; nunc etiam POPVLI & à Pio IV. ſingulari munificentia exornata.

II. PINCIANA à Pincij Senatoris palatio, cuius columnas, & alia ornamenta Theodoricum Gothorum Regem detuliſſe Rauennam ſcripſit Krantius in hiſtoria Regnorum Aquilonarium lib. 3. Vel à proxima S. Felicis in Pincis eccleſia, in colle Hortulorũ, cuius meminit Anaſtaſius Bibliothecarius in Hadriano I. & Leone IV. olim COLLATINA à Collatia oppido.

III. SALARIA, olim COLLINA, & AGONIA, ſiue

Agonenſis;aliquando LAVERNALIS ad Deæ Lauernæ ſanum ducens, tùm à via ipſa, Salaria : in eadem via cœmeteria Priſcillæ & Felicitatis. Extra hanc Portam ductus S. Ioannes presb. iuſſu Iuliani Apoſtatæ in via vetere in cliuo Cucumeris ante templum Solis: Extra huius muros decollatus S. Romanus, cuius meminit liber Paſſionis S. Laurentij : Alij itidem ex hac educti in ciuitate Figlina decollati fuerunt. Huius ad arcus erat Palatium Salluſtij, cuius fundamenta adhuc viſuntur ſubtùs vineam dominorum Veroſpiorum: Iuxta illud manebat S. Gauinus presb. Extra eandem ducenti ſexaginta Chriſtiani arenam fodientes tenti fuerunt iuſſu Claudij Imp.qui in Figlinas ducti,ibi in Amphitheatro ſagittis interfecti ſunt, quorum corpora Paſtor presb. ſepeliuit in cliuo Cucumeris. Cæterùm via eſt appellata Salaria, quia per eam Sabini ſal à mari deferebant.

IV. PIA à Pio IV. Pont. inſtauratore dicta : DIVAE quoque AGNETIS ab eius templo : olim NOMENTANA, & Numentana, quà iter erat ad Nomentum oppidum Sabinorum; & FIGVLENSIS, à loco extra ipſam portam, vbi fictilia fiebant. Ab hac porta, via dicebatur Numentana, in qua ſepultus S Alexander Papa, et SS. Primus, et Felicianus, vt infra dicemus.

V. TIBVRTINA vel S. LAVRENTII ad vrbem Tiburtinam ducens : à Tauri capite, quod ſuper eam eſt, TAVRINA : A templo ſuburbano,vulgò D.Laurentij; ab Exquilino monte EXQVILINA ab aliquibus. Apud hanc Portam (inquit S. Greg. Dialog. lib.4 cap. 54.) ſuo tempore Tinctorum multitudo habitabat Extra hanc portam S. Hippolytus cum ſua familia ad martyrium ductus eſt, ibìque coronam adeptus: Quorum corpora dimiſſa in campo fuere, iuxta nympham ad latus agri Verani. In eadem erat Eccleſia S. Cæciliæ.

VI.

VI. MAIOR dicta ab ædificij magnificentia, extructa, ſcilicet, eſt è marmore in ductu Aquæ Claudiæ, adiectis titulis, à Marliano & alijs relatis, qui adhuc extant. Hanc fuiſſe EXQVILINAM aliqui contendũt, eamdemq; NEVIAM, PRAENESTINAM, & LABICANAM.

VII. LATERANENSIS, & S. IOANNIS à baſilica S. Ioannis in Laterano. ASINARIA antea aliquando dicta ad Aſinij, forſan, hortos ducens; quandòque COELIMONTANA à monte Cœlio, in cuius parte ſita eſt.

VIII. LATINA, quòd in Latium mitteret; ab Hernicorum oppido FERENTINA; & à via olim dicta VALERIA. Ante hanc portam in feruentis olei dolium miſſus S. Ioannes Euangeliſta in loco, qui honoratur. Extra eamdem erat baſilica S Stephani.

IX. CAPENA à ciuitate Capena iuxta Albam condita; vel CAMOENA à templo primum dicta; poſtea APPIA à via; poſtremò S.SEBASTIANI ab eius baſilica, & cœmeterio. Extra huius Portæ muros erat templum Martis, ad quod plures Martyres decollati pro Chriſti fide: Tùm cœmeteria Calliſti, Zephyrini, & Vrbani Pontificum, nec non Marci, Balbinæ, Damaſi, Nerei, Achillei, & aliorum.

X. TRIGEMINA vel S. PAVLI. Antiquæ portæ Trigeminæ locum fuiſſe arguitur ex Frontino, ibi, *Caeus habitauit locum, vbi Salinæ nomen, & vbi Trigemina Porta*. Claudius Imp. alio in loco, Beliſſarius in eo, vbi nunc eſt, locauit: OSTIENSIS à via, & S. Pauli ab eius baſilica.

XI. PORTVENSIS trans Tiberim, quæ & aliquando D. FELICIS, ad Portum Romanum perducebat: Antiquitùs NAVALEM dictam fuiſſe à proxima nauium ſtatione docet Sex. Pompeius. Extra hanc portam in

via Portuenſi Iulij, & Felicis Pontt. cœmeteria.

XII. S. PANCRATII ab eius templo in cœmeterio Calepodij excitato: aliquãdo IANICVLENSIS à mõte Ianiculo; & AVRELIA à via, vel à ciuitate Aurelia, milliario ab vrbe octauo, olim ſita. Licèt alij alibi Aureliam portam locent.

XIII. SEPTIMIANA ab Imperatore Lucio Septimio Seuero. Priſcis temporibus FONTINALIS (inquit Sex: Pompeius) fontium ſacra.

XIV. VRBIS LEONINAE prima porta dicitur S. SPIRITVS à proximo hoſpitale.

XV. TVRRIONIS ducebat ad ſcholam Saxonum, & Longobardorum, propè ſanctæ Inquiſitionis palatium: aliquando POSTERVLA à Poſterulano quodam Saxone, iuxta illam habitante, dicta fuit; vulgò hodie de Caualli leggieri dicitur.

XVI. FABRICAE, ad fornaces ducens; reor ſic appellatam fuiſſe à D. Petri-fabrica.

De alijs portis Pertuſa, hoc eſt, PERFORATA, & PALATII, verba non facio, quia publicæ commoditati non inſeruiunt.

XVII. ANGELICA, à Io. Angelo Mediceo, qui in pontificatu Pius IV. dictus eam cũ ampla via aperuit, vrbèmque Leoninam muro cinxit, ſic appellata. Priùs S. PEREGRINI, & Nicolai V. pontificatu VIRIDARIA vocabatur.

XVIII. CASTELLI, à contigua Hadriani arce; aliquando S. ANGELI ab eius eccleſia.

Cœterùm portas vrbis fuiſſe Martyrũ trophæis nobilitatas habemus apud Mombritium in Actis S. Calliſti Papæ tom. 1. p. 152. ibi, *quos* (effectos Chriſtianos) *præcepit capitis ſubire ſententiam, & per diuerſas portas vrbis Romæ, capita eorum ſuſpendi ad exempla Chriſtianorum.*

# DE MONTIBVS VRBIS.

## Cap. III.

DE decem vrbis collibus pauca notabimus.

I. PALATINVS primus in vrbe habitatus; ſedes Euādri, & Romuli, vnde EVANDRIVS, & ROMVLIVS à Trebellio Pollione hiſtorico dictus: Ad ortum habet Cœlium; ad meridiem Auentinum; ad occaſum Capitolinum; ad ſeptentrionem Campus Boarius: In eo prima imperij ſedes conſtituta; ab imperatorij palatij ruinis Palatium Maius nominatur; ſuffoſſionibus & ſubterraneis meatibus totus quaſi penſilis, &, aut ruinis deformis, aut hortis occupatus cernitur. Decoratur tamen D. Sebaſtiani memoria, qui in eodem loco, (vbi Hippodromus erat palatij, fuſtibus cæſus, ſagittisq. confoſſus dicitur) Barberinæ familiæ pietate, ac religione ſacram habet ædẽ: Et totus ferè Hortis Farneſiorum occupatur.

II. CAPITOLINVS, Tatij Sabini ſedes, qui & SATVRNIVS, & TARPEIVS, & à templo, IOVIS ARX. Ad ortum reſpicit campum Boarium, & montem Palatinum; ad meridiem Tiberim; ad occaſum vrbem planam; ad Aquilonem collem Quirinalem. Dictus à vetuſtiſſima Saturni ſede Saturnius, & mox (vt Iuſtinus inquit) quaſi à Ioue, pulſo ſuis ſedibus Saturno, Capitolinus: Idem Tarpeius, quòd vel a Tarpeia virgine, arcis proditrice, vel à duce Tarpeio cognomen adeptus ſit. Hinc Simon cognomento Magus ſe de rupe deijciens volare cœpit; licèt alij è turri in Campo Martio; qui cecidit in locum, qui Sacra via dicitur. Hìc carcere tenti Apoſtolorum Principes in Mamertina cuſtodia. Hodie Aræ Cæli baſilica, & Senatoris, Conſeruatorumq; P. R. ædibus inſignis, nobilitatùſque noua SS. D. N. PP. Innocentij X. fabrica.

III. AVENTINVS, ab Anco Rege, creſcente ciuium numero, ex parte additus, non totus habitatus: Auentini Regis Albanorum, & Tatij Regis Romanorum ſepulcris celebris. Varijs appellatus nominibus, à Remo, Romuli fratre, REMVRIVS. A Murteæ Deæ ſacello (id Veneris cognomen eſt) MVRTEVS: à Dianæ templo COLLIS DIANAE. Hodiè à D. Sabinæ templo, mons D. SABINAE. Ad ortum in meridiem declinantem reſpicit mœnia; ad meridiem Campum Figulinum, ſeù Teſtaceum; ad occaſum, flumen; ad ſeptentrionem montem Palatinum. Auentinus dictus ab Auibus, non ab Auentino Rege, vel ab Auente Sabinorum fluuio iuxta aliquos. Celeberrima eſt ibi Diui Alexij memoria.

IV. COELIVS à Tatio, Romuli conſorte, additus, vt Dionyſius; vel ab Anco, vt Strabo; vel à Tullo Hoſtilio, vt Liuius; vel à Tarquinio Priſco, vt Tacitus. Appellatus à Cœle quodam Hetruſcorum duce, qui, cum Romulo contra Sabinos arma ſocia coniungens, caſtra in eo poſuit: à Querna ſylua QVERQVETVLANVS: à Tiberio Cæſare, quòd is poſt incendium habitatoribus ædificia conſumpta inſtauraſſet, dici cæptus MONS AVGVSTVS. Hìc olìm ara Carbonaria, de qua in vita S. Euſebij presb. Marcelli Diaconi, & ſociorum. Ibìdemq; Cyriacæ pientiſſimæ viduæ domus; ad quam, legitur, S. Laurentium veniſſe, cuius loco ſucceſſit ædes S Mariæ in Dominica. Ab ortu ſunt mœnia; à meridie Cœliolus, ſiue Cœlius minor (ſic vocant illam Cœlij partem, vbi S. Ioannis ante Portam Latinam templum) ab occaſu Palatinus; à ſeptentrione Exquiliæ. Hodie à Baſilica Lateranenſi mons S. Ioannis: in eo nunc celebres ſunt Matthæiorum horti.

V. EXQVILINVS, à Tullo Hoſtilio adiectus, vt Liuius: à Seruio Tullio, vt Tranquillus. Eundem, au-

ctore Verrio Flacco, & CISPIVM, & OPPIVM veteres nominarunt. Et SVBVRANVM à Subura. Dictus, quòd excubiæ ibi agerétur, primùm EXCVBINVS, poſtea, mutata pronuntiatione, Exquilinus; tùm Eſquilinus; à Poëtis Eſquilius. Hodie Mons S. MARIAE MAIORIS, inſigni miraculo nobilitatus, ab eius Baſilica. A meridie viam habet Labicanam; ab occaſu vallem inter Cœlium & Palatinum, longè latèque patentem; à ſeptentrione Viminalem.

VI. VIMINALIS à Seruio Tullio additus; qui & FAGVTALIS à ſylua Fagea, vt apud Varronem, & Feſtum. Nomen inuenit à viminum copia. In ortum tendens reſpicit Campum Exquilinum; in meridiem Suburæ, & Campi Boarij partem; in occaſum Quirinalem, interiecta Subura plana; in ſeptentrionem, vallem Quirinalem. Hodiè principem eius locum obtinet ædes S. Mariæ Angelorum in Thermis Diocletiani conſtituta: ac celebris martyrij S. Laurentij locus, vbi moniales dictæ S. Laurentij in Pane & perna, ſeù veriùs in Perperna.

VII. QVIRINALIS ab eodem Rege vrbi additus; alio nomine AGONIVS, vel AGONENSIS; Quirinalis dictus ab æde Quirini; Agonius, quòd Circo Flaminio, eruptione Tiberis, vndis tecto, & obruto, ludi agonales in eo fierent. APOLLINIS CLATRATI à templi ædificio, atque forma. Hodie Mons CABALLVS à duobus equis marmoreis, qui ſtant ibidèm in excelſa baſi cum ſuis ductoribus, à Phidia & Praxitele, vt fertur, factis. Habet ab ortu Viminalem; à meridie Cæſaris & Neruæ fora; ab occidente vrbem planam; à ſeptentrione Collem Hortulorum, & Campum Martium. Palatio Hortisq; Pontificijs, Barberinorum, Columnenſium, Aldobrandinorum, & Mazzarinorum celeberrimus.

VIII.

VIII. HORTVLORVM, vel Collis HORTORVM extra antiquos muros Quirinali contiguus. Ab hortis ad noſtra vſque tempora nomen retinuit: Ab ortu tãgit eiuſdem montis campum;à meridie itèm aliquam eius partem; ab occaſu Vallem Martiam, & Domitiani Naumachiam; à ſeptentrione vrbis mœnia. Nunc Mons Trinitatis ab eius Eccleſia ſub cura Fratrũ Minimorum. Dicitur enim Pincius, ſed nullam apud Scriptorem antiquum mentionem vidi huius cognominis.

IX. IANICVLENSIS ab Anco additus; IANICVLARIS etiam dictus, ab ortu,meridièq; Tiberim reſpicit; ab occaſu campos; à ſeptentrionis parte Vaticanum. Dictus vel ab arce Iani, vel à vetuſtiſſimo oppido, quod idem condidit, de quo in 8. Virgilius. Vel quòd Populo Romano primùm in Hetruſcos eunti, quaſi ianua fuerit. Hodiè dicitur Mons AVREVS à flauis arenis, corruptò vocabulo MONTORIVS, S. Petri crucifixione illuſtratus.

X. VATICANVS trans Tiberim in vrbe Leonina; olìm habitatus non fuit, nec ad vrbem pertinuit. Nomen accepit vel à vatum reſponſis, vel à Vaticano gentilium Deo, qui & Vagitanus. Ad ortum ſpectat campum Vaticanum, & flumen; ad meridiem Ianiculum; ad occaſum alium campum, in quo ex creta, & argilla vaſa fiunt,ab vſque Iuuenalis, & Plinij temporibus etiam nota; ad ſeptentrionem prata Quintia. Hodiè ſepulcro, & baſilica D. Petri, palatio, hortisq; pontificijs clariſſimus eſt.

Poſtremò prænominati montes inhabitati, maxima ex parte ſunt; hortis,& templis, & clauſtris religioſis occupati, veterumq; ædificiorum ruinis etiam obruti. Vetuſtiſſimis temporibus nemora, & paſcua habuit Palatinus: Capitolinus dumeta: Auentinus myrtetum,

& lau-

& lauretum: Cœlius quercetum. Viminalis ſyluam fageam: Ianiculis eſculetum; Vaticanus ilicetum.

Cœterùm tres intra vrbẽ Monticuli celebrantur.

I. CITORIVS in Campo Martio ex egeſtione fundamenti columnæ cochlidis Antonini Pij factus, & ACCEPTORIVS dictus, vt Raphael Volaterranus ex aliorum opinione teſtatur; licèt quidam antiquiorem faciunt, Citatorùmque priùs dictum, quò citatæ ad Comitia Tribus ſe recipiebant; Franciſcus Polletus in hiſt. Fori Rom. lib. 5. c. 8. A Martino V. Papa in Bulla pro Minoritis S. Franciſci vocatur Mons ACCEPTABILIS.

II Mons IORDANVS à Iordani Vrſini Palatio, in eo ædificato, in Regione Pontis.

III. eſt Mons CINCIORVM factus (vt putat Andreas Fuluius lib 2 de Mõte Pincio in fine) de induſtria, quaſi agger, & repagulum ad reprimendum alueum Tiberis, qui influebat totus à ſiniſtris, antequam à Tarquinio Priſco recto curſu directus eſſet, quò nunc labitur.

## DE REGIONIBVS VRBIS.

### Cap. IV.

EX inſtituto pauca de ſacræ vrbis Regionibus explicabimus. Gentilium Romanorum vrbẽ ab Auguſto Cæſare in Regiones XIV. fuiſſe diuiſam, refert Suetonius cap. 30 Eandem in Neroniano incendio maiori ex parte arſiſſe ſcribit Tacitus his verbis. *In Regiones XIV. Roma diuiditur, quarum quattuor integræ manebant; tres ſolo tenùs deiectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſuperant, lacera, & ſemiuſta.* Et licèt eandem decimo

Nero-

Neronis anno ſuis reſurrexiſſe è flammis hiſtorici teſtentur; nihilominùs Scriptores ſacri de ſeptem Regionibus tantùm verba faciunt, quòd duabus forſan ſimul iunctis per has à miniſtris Eccleſiæ Romanæ ſua munia exerceri Pontifices decreuerint, vt infra dicemus. Has ſic ab Anaſtaſio Bibliothecario recenſitas inuenimus.

REGIO I. Auentinenſis. in Eugenio I. Pontifice, & in Simplicio I.

REGIO II in qua via Mamurtina. in Anaſtaſio I. Pont. & Diaconia S. Georgij ad Velum aureum. in Zacharia I.

REGIO III. notatur in Simplicio I. In hac ſita eſt Baſilica S Laurentij, in Stephano III. Titulus S. Clementis, ibìdem, & in Hadriano I.

REGIO IV. in qua ex patre Sergio natus fuit Sergius II. Pontifex.

REGIO V. Tauma Caput Tauri, in Alexandro I. & Anaſtaſio II.

REGIO VI. in Simplicio Papa. In ea templum S Martinæ, & arcus triumphalis Septimij Seueri, vt in actis dictæ Sanctæ.

REGIO VII. in eodem.

In has igitur Regiones, tanquam in maiora membra, Pontifices vrbem, ni fallimur, diuiſerunt: & cuique Regioni Notarij, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, qui alio nomine vocantur Epiſcopi, & Defenſores ordinati ſunt.

Quis vrbem in ſeptem Regiones diuiſerit, liquidò non conſtat: licèt enim Bibliothecarius dicat de Clemente I. Pontifice. *Hic fecit ſeptem Regiones diuidi Notarijs fidelibus Eccleſię, qui geſta Martyrum ſolitè, & curioſè vnuſquiſque per Regionem ſuam diligenter perquirerent*, non videtur locus hic Anaſtaſij

innue-

innuere diuiſionem vrbis in partes, ſed tantùm partiũ aliquarum diſtributionem ſeptem Notarijs. Probatur hoc ex alio Anaſtaſij loco in Euariſto, vbi hæc leguntur: *Hic titulos in vrbe Roma diuiſit Presbyteris, & ſeptem Diaconos conſtituit, qui cuſtodirent Epiſcopum prædicantem propter ſtylum veritatis:* Item ex alio in Fabiano ſic. *Hic Regiones diuiſit Diaconibus, & fecit ſeptẽ Subdiaconos, qui ſeptem Notarijs imminerent, vt geſta martyrum in integro colligerent.* Igitur non vrbem in Regiones, ſed certas vrbis partes Notarijs Clemens; Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus Euariſtus, & Fabianus aſſignarunt. Caium Papam omnium primum conſtat diuiſiſſe vrbem in Regiones ex epiſtola ad Felicem inter eiuſdem acta à Cæſare Becillo recitata fol 53. ſic. *Et Regiones, ſicut in hac vrbe fecimus, per ſingulas vrbes, quæ populoſę fuerint, diuidantur:* Quorſum hæc in Chriſtiana vrbe diuiſio? En locus Anaſtaſij in Caio. *Hic Regiones diuiſit Diaconibus.* Ad quid hæc Diaconibus Regionum diuiſio iam à Fabiano prædeceſſore Caij inſtituta? Silueſter autem Pontifex an. 314. circiter in Synodo II. Romana actione 1. cap 6. *inſtituit ſeptem Diaconos Cardinales* vrbis Romæ. & ibid. in act. 2. legitur. *Fecit ſeptem Regiones, & Diaconibus diuiſit.* Ergò vrbem in ſeptem diuiſit membra, Regiones appellata, cui ſeptẽ Diaconos à ſe in prima actione inſtitutos aſſignauit. Quare non vna, eademq. eſt miniſtrorum, vrbisq. diuiſio, ſed diuerſa.

1 Etenim Clemens Notarios ad Martyrum geſta colligenda inſtituit per vrbem in ſeptem locis, Regiones appellatis.

2. Euariſtus ſeptem Presbyteros, & totidem Diaconos ad cuſtodiendum Epiſcopum prædicantẽ inſtituit.

3. Fabianus ſeptem Diaconos, & totidem Subdiaconos

conos aſſignauit ad præſidendum Notarijs geſta Martyrum colligentibus.

4. Caius alios Diaconos, non autem eoſdem, ad alium nobis incognitum finem inſtituit.

5. Aucto Diaconorum numero, alios ſeptem Silueſter inſtituit ad omnibus præſidendum, qui Cardinales appellantur. Et ſic vnaquæque regio habebat Diaconos minores ad diuerſa munia obeunda, & vnum Cardinalem Diaconum, qui præſideret Diaconibus vniuſcuiuſque Regionis.

Minora verò vrbis membra dicebantur Vici, qui impropriè Regiones ab auctoribus eccleſiaſticis appellantur. Huiuſmodi vicis pars eorum inſignior nomen impoſuit, vt AVENTINENSIS, COELII MONTIS, FELLONIA, PIRI, VIAE LATAE, MERVLANA, VICI PATRITII, & PORTAE METODII. Vel vici aliquod inſigne ædificium, vt COLOSSAEI, NAVMACHIAE, AD DVOS ADAMANTES, CAPVT TAVRI, TAVMA, ET ORPHEA; itèmq; GALLINAE ALBAE, idèſt cliui ad balnea Pauli. Aliquando ab Eccleſijs in vico ſitis Regio nomen accepit, vt S. THEODORI, & S. HADRIANI. Tandem Regionem BIBARETICAM reperio in hoc epitaphio ſepulcri exiſtentis in S. Laurentij extra mœnia.

*HOC. SEPVLCRVM. ET. HIC. IACEBIT.*
*IAQVINTELLVS. SPECIARIVS.*
*de. Regione. Bibareticæ. cuius. anima. requieſcat. in. pace. Amen.*

Eiuſdem Regionis Bibareticæ reperio Monaſterium S. Andreæ retro Baſilicam XII. Apoſtolorum. Et hæc ſatis de Notarijs, Subdiaconibus, & Diaconibus.

Presbyterorum apud acta Martyrum fit mentio; quoniam in eiſdem notatur Sanctus Carpophorus

V. Regio-

V. Regionis Presbyter. Quòd autem alicuius in vrbe loci Presbyter vocetur Epiſcopus, habetur in Actis SS. Alexandri, Euentij, & Theoduli, his verbis: *Seueriana vxor Aureliani iacuit ante limina dictorum Martyrum, donec veniſset ab Oriente S. Sixtus Epiſcopus, à quo impetrauit Seueriana, vt in eodem loco rei ſuę ordinaretur Epiſcopus, qui omni die, quæ ſunt ſancta Martyribus, celebraret; Ideòq; locus ipſe habet proprium ſacerdotem vſque in hodiernum diem.*

Regionarij Defenſoris meminit idem Anaſtaſius in Hadriano I. Hactenus de antiquæ vrbis regionibus.

In vrbe Roma etiam noſtro ſeculo quattuordecim Regiones numerantur, quamuis diuerſæ ab antiquis. Hæ ſunt.

I. CAPITOLINA, quæ, corrupto à vulgo vocabulo, dicitur CAMPITELLI, à monte Capitolino.

II. MONTIVM, quia per montes ſe diffundit.

III. TRIVII à tribus vijs in area emiſſarij aquę virginis.

IV. COLVMNAE, ab Antonini Columna.

V. CAMPI MARTII, à veteri campo denominata.

VI. PONTIS, ab AElij Hadriani ponte, qui vulgò dicitur Pons S. Angeli.

VII. BVRGI, quæ etiam dicitur Ciuitas Leonina.

VIII TRANSTIBERINA.

IX. RIPAE, à maiori Tiberis ripa.

X. S. ANGELI, ab eius æde in Vico piſcario.

XI. ARENVLAE, ab arena, vt quamplures arbitrantur; vulgò dicitur LA REGOLA. Sed nobis lectio, AREOLAE, arridet, quam in antiquiſſimo Codice legimus, forſan ab aliqua vrbis celebri plateola. Ariolæ meminit Platina in vita Paſchalis II. Nũcupatur etiam Regio Cacabarij à Caſtallo Metallino.

XII. PARIONIS, cuius denominatio aliquibus videtur eſſe corrupta, & dicenda, APPARITORVM.

XIII. S. EVSTACHII ab eius celebri æde, vbi ſanctus vir, eiuſque familia martyrio occubuere.

XIV. PINEAE, à pinu, vt aliqui autumant, hìc aliquando exiſtente.

## DE TIBERI, EIVSQ. INSVLA, & Pontibus. Cap. V.

TIBERIS fluuius plura apud antiquos habuit nomina: Aliquando ALBVLA à colore aquarum eſt dictus: quandòque RVMON, quaſi ripas ruminans, & exedens; TERENTI etiam in aliqua vrbis parte obtinuit nomen, quòd ripas tereret; TIBERIS quoque à Tiberio Albanorum Rege in eo ſubmerſo vocitatur. A Poëtis dicitur AMNIS LYDIVS propter aduenas è Mœonia, qui ad eum conſederunt. Item FLVMEN TYRRHENVM, aut AMNIS THVSCVS, quia in vetuſtiſſima Thuſcorum ſede ortum habet, quam Tyrrheni coluerunt. Virg. 2. AEneid.

*Ad terram Heſperiam venies; vbi Lydius, arua*
*Inter opima virum, leni fluit agmine Tibris.*

Inter ſeptentrionem, & occaſum in vrbem influit; & meridiem versùs, apud Oſtiam oppidum, in mare Tyrrhenum, oſtio amplo, & proximè deducta foſſa, quæ ibidem efficit inſulam, infertur.

Eius aqua, in fictilibus vrceis contenta, fit limpidiſſima, potuq; amabilis, & abſque corruptione longo tempore ſeruatur pura, ſola ſanè (vt ciuium traditio habet) B. Gregorij I. prece, & benedictione in eum vſum veluti conſecrata, vt refert Thom. Stapleton.

cap. 11. de magnitudine Romanæ Eccleſiæ. De eius ſalubritate plures ſcripſerũt, inter quos Alexander Petronius lib. 2 cap. 5. de victu Romanorum. Andreas Thurinus pag. 130. ſuorum operum. Contrarium ſcripſit Petrus Seruius inſtit. medicin. lib. 2. memb. 3. Ortum habet in monte Apennino paullò ſupra Arnũ; efluit milliaria quadringenta: De Hetruria, atque Sabinis vrbem ingreſſus per portam D. Petri Apoſtoli, ſeù Populi, primò ſub ponte S. Angeli, & hinc ſupra reliquias pontis triumphalis, ſub alio ponte à Sixto IV. cognominato: deinde diuiditur, & facit inſulam Regioni XIV. vbi duo pontes, ſcilicèt quattuor Capitum, & S. Bartholomęi; poſt iterùm ibi coniungitur, & per pontem ruptum, ſeù S Mariæ AEgyptiacę, & per Sublicij reliquias, iuxta Caci ſpeluncam trãſiens, inter Trigeminam, ſeù Oſtienſem portam, quæ eſt D. Pauli, & aliam Portuenſem, vrbe egreditur.

Plures illius exundationes notantur marmoribus, varijs in locis vrbis, appoſitis.

Religione clariſſimus; Petrus enim Apoſtolorum Princeps in eo baptizauit, Tertullianus de Baptiſmo cap. 4. Plures in eo ſubmerſi Chriſtiani glorioſum de tyrannis reportauerunt triumphum: eoſdem in Martyrol. Romano, & in Antonij Boſij Roma Subterranea reperies.

Pontium ſeriem à Sublicio incipiemus.

I. SVBLICIVS pons extra propoſitum noſtrũ (cùm ampliùs non exiſtat) cenſendus venit; quia plura illi tribuuntur, quę alijs conuenire videntur. Sic dictus à ſublicibus lignis; lingua enim Volſca magnæ trabes ad perpendiculum directę, Sublices vocantur, quales in pontium ſubſtructionibus ferè defiguntur; quia pronę nimio ſui pondere minùs firmiter iacerent; & ideò Cęſar in pontis ſupra Rhenum inſtitutione, ait, ſe tigna

*poſuiſſe non ſublice modo directa, ſed prona.* Marl lib. 5. cap 14. ex Feſto. Antiquiſſimus omnium pons ab Anco quarto Rege è trabibus, tabulisq; iliceis extructus, quæ cum ſint quercus ſpeciei, Roboreus etiam fuit dictus, ſic Ouidij ætate: Taciti verò Sublicius dicebatur, ſic, *Othone Principe Tiberis immenſo auctu, prorupto ponte Sublicio, refuſus.* Iulius Capitolinus de Antonino Pio, cuius opera cum recenſeret, *pons,* inquit, *Sublicius, Phari reſtitutio.* Pub. Victor, qui vixit circa annum Chriſti 364. Valentiniano, & Valente Impp. hunc pontem vocat AEmilium, *AEmilius,* inquit, *Pons, qui Sublicius;* verùm non legimus AElium Lãpridium nuncupaſſe Sublicium pontem, AEmilij; nec AEmilium, Sublicij nomine; hæc Lampridius in Heliogabalo; *ſed cùm non cepiſſet cloacula* (corpus Heliogabali) *fortuitò per pontem AEmilium, annexo pondere, ne fluitaret, in Tiberim abiectum eſt.* Nec legitur in Codicibus antiquiſſimis Regionũ vrbis, quæ P. Victori tribuuntur ab aliquibus, in pontium enumeratione poſt verbum, *Aemilius,* illa verba, *pons qui Sublicius,* quæ leguntur in aliquot impreſſis. Semper Sublicij nomine appellatum legimus apud optimę notæ ſcriptores; ſic etiam apud Plutarchum in vita Gracchorum agens de Caio Graccho deſcendente ex Auentino *In Caium fugam capeſſentem, inferentibus ſe hoſtibus, & aſſequutis eum ad pontem Sublicium;* Et apud Valer. Max. de Pomponio, & Lectorio amicis Gracchi fugientis lib. 4. cap. 7. *Lectorius in ponte Sublicio conſtitit.* Ex quibus AEmilium pontem forſan diuerſum à Sublicio cenſendum; vel illorum fidem, qui Sublicium ab AEmilio Lepido Prætore Lapideum factum volunt, & ab eo appellatum AEmilium, & Lepidum, & marmoreum, dubio calle ſequendã tenemus. Cœterùm clarus Horatij Coclitis pu-

gna.

gna. Noſtra ætate aliquot menſibus peruius Pompei Targoni induſtria, qui illum magno ſumptu ligneum refecit, poſtea à Tiberis auctu deiectum.

II. PONS RVPTVS, & S. MARIAE AEGYPTIACAE, olìm SENATORIVS à Senatoribus, & à Palatino monte propinquo, PALATINVS nuncupatus De hoc intellexiſſe creditur (vt Marl lib.5 cap.15) Liuius, cum ait dec.4 lib 10 *M. Fuluium maioris vſus locauiſſe portum, & pilas ponti in Tiberi. Quibus pilis fornices poſt aliquot annos P. Scipio, & L Mumius Cenſſ. locauerunt imponendos*. A Iulio III reſtitutus an. 1551. tum impetu fluminis an. 1557 ferè medius deiectus, poſtea à S. P. Q. R. Gregorio XIII. Pont. &, Iubilei anno aduentante, ſubſtructione arcuata, ingenti ſolidàque paraſtata flumini iniecta, duobusq; eminentibus fornicibus è tiburtino lapide ſuperimpoſitis, ad priſtinam formam reſtitutus fuit Matthæo Typhernate architecto, impenſa quinquaginta quattuor millium nũmûm aureorum, vt Ferruccius ad Fuluij cap 4. lib. 3. & ad Marl. cap. 7. lib. 7. ſed anno 1598. inundante, vt nunquam, Tiberi, verſus Palatinam ripam iterùm proruptus, nec dùm inſtauratus, in vſu non eſt.

III QVATTVOR CAPITVM à quadrifronte Iani ſtatua ibi poſita, omnium altiſſimus: olìm TARPEIVS. anno vrbis 692 extructus. De eo Dion. *Pons quoque lapideus ad Inſulam, quæ in Tiberi extat, pertingens extructus*. Porphyrio ſcribit, ſuo tempore LAPIDEI nomine appellatum fuiſſe, forſan quia ex lapidibus, vel à vulgi corrupto vocabulo à Lepidi Conſulis nomine in altero fornice ſic notati Q. LEPIDVS M. F M. LOLLIVS M. F. Coſſ. S. C. PROBAVERVNT. Ex hoc in Tiberim præcipitatum S Pigmenium presb cum puero ſuo, quorum Acta hæc habent; *Tunc iratus Iulianus iuſſit, eum apprehendi, & duci eum*

*ad pontem Lapideũ, quem inter omnes pontes maiorem appellabant; & per medium pontem iuſſit, eum in fluuio præcipitari cum ipſo puerulo ſuo, qui eum per manum trahebat. Hinc etiam SS Simplicij, & Fauſtini ligato ſaxo in colla eorum ſic mitterentur per pontem, qui vocatur lapideus, in Tiberinis reumatibus.*

Hunc vocari ANTONINI pontem colligitur à Martyrum actis. Hæc in illis legimus. *Secundianus togatus iuſſit eos* (Hadriam, & Hippolytum) *adduci ad pontem Antonini, & plumbatis cædi diutiſſimè vſque ad conſummationem eorum, & dùm diù cæderentur, emiſerunt ſpiritum; & relicta ſunt corpora in eodem loco iuxta inſulam Lycaoniam*: Hoc eueniſſe non poterat ad pontem Sublicium, medio alio Senatorio ponte ab Inſula diſtantem: Item S. Calepodium presb. ex eodem præcipitatum dicendum, cum acta hoc habeant; *B. Calepodium fecit occidi gladio & corpus trahi per ciuitatem, cuius corpus iactari præcepit in Tiberim ante inſulam Lycaoniam*; nàm inter vrbẽ, & inſulam quis locus præter hunc pontem exiſtebat?

Fabricius etiam dicebatur. Horat. II. ſerm.
*Atque à Fabricio non triſtem ponte reuerti*. Vbi loquitur de Iunio Damaſippo Coccione, philoſopho ſtoico, qui ſe ibi in flumen præcipitare voluit. Illic etiã in vtroque fornice. L. FABRICIVS C. F. CVR. VIAR. FACIVNDVM CVRAVIT. Et ſupra mediam feneſtrellam, IDEMQVE PROBAVIT. Ex quibus inferri poteſt, ſine Curatorum viarum, & Conſulum approbatione, huiuſmodi ædificia artificis periculo conſtrui ſolita. Certè omnium pulcherrimus, firmiſſimusq; habetur.

Hinc ad inſulam ducimur S. Bartholomæi olìm Lycaoniam, in qua Gelaſius II. Pontifex educatus. Hìc corpus S. Quirini, in Tiberim proiectum, fuit repertũ,

vt

vt habemus in Actis SS. Marij, Marthæ, & Sociorum. *Marius, & eius vxor Martha, & filij ſui- - - venerũt in Caſtrum trans Tiberim ad carcerem, & inuenerũt ibi hominẽ religioſum, nomine Quirinum - - - inuenerunt quemdam presbyterum, nomine Paſtorem, qui narrauit eis omnia, quæ facta fuerant, quomodo interfectus fuit gladio, & in Tiberis alueo corpus eius iactatum fuiſſet, & inuentum eſſet in inſula Lycaonia.* Si inuentus in inſula, ergò non præcipitatus è ponte Sublicio, vt aliquis aſſeuerat, vltra inſulam exiſtente.

Cœterùm in hac inſula fuere Iouis, AEſculapij, & Fauni templa; itemq; Iulij Cæſaris, Simonisq; Magi (vt Euſeb. in Eccleſ. hiſt. lib. 2. cap. 12) ſtatuæ: celebris etiam religione, paterna S. Ioannis Calybitæ domo, & baſilica S. Bartholomæi Apoſtoli, de quibus alibi dicemus. Hinc ad alium pontem.

IV. S. BARTHOLOMAEI, olìm CAESTIVM à Valentiniano, Valente, & Gratiano Impp. vt monet duplex inſcriptio ædificatus. Aliqui hunc vocant ESQVILINVM, habetq; fornicem in medio ingentem, & alium ab vtraque parte paruulum.

V. SIXTVS, olim IANICVLENSIS, & AVRELIVS à M. Antonino Pio è marmore ædificatus, teſte Marliano, & Fauno, qui, poſtea ciuilibus bellis demolitus, vocatus aliquando fuit PONS RVPTVS, nunc à reſtitutore Sixto IV. pons Sixtus dicitur.

VI. Poſt hunc cernuntur veſtigia pontis TRIVMPHALIS, ſeù Vaticani è regione hoſpitalis S. Spiritus: hodiè nullus.

VII. S. ANGELI, olìm AELIVS ab AElio Hadriano, propè ſepulcri ſui molem factus. A Nicolao V. reſtitutus, vt eius nomen in pilis inſcriptum indicat; idemq; illius ingreſſum, domibus aliquot ſolo æquatis, ampliauit; ibìdemq; Clem. VII. ſtatuas SS. Petri, &

Pauli locauit; Alexander VI. ingreſſum propè arcem fortiſſimo, nobiliſſimòque propugnaculo muniuerat; vt demoſtrant Hieronymus Maggius, & Iacobus Caſtriottus in ſuarũ fortificationũ libro. At Vrbanus VIII. ſolo æquauit, ſpatia ſupra, & ſubtus pontem, ad arcem munitiorem efficiendam, & exundationes ingruentes cohibendas, aperuit an. 1628.

Cæterùm de aqua Tiberina ſcripſerunt, præ cæteris, Alexander Traianus Petronius ad Iulium III. Pont. libello edito in 8. Romæ 1552 Ioan Baptiſta Modius 8. Romæ 1556. & Andreas Baccius 8 Romæ 1558. De eius exundatione, eiusq; remedijs Antonius Triuiſus an. 1560. & Cæſar Dominicus an. 1609.

## DE AQVIS RELIGIOSIS IN VRBE.

### Cap. VI.

AQVA à Latinis dicta Lympha, à Græcis dicitur Nympha, & à ſacris ſcriptoribus Nymphæ vocabulo ſignificari videtur locus, in quo ſurgit, vel erumpit aqua; ſic in actis S. Calliſti Papæ, *Audiens hoc Palmatius cucurrit ad B. Calliſtum in regione Tranſtiberina in vrbe Rauennatium*, & infra. *Et introiuit in domum, vbi collecta erat multitudo Chriſtianorum*, & infra. *Et allata aqua de Nympha putei, qui erat in eadem domo*. Et in actis SS. Papiæ & Mauri dicitur. *Eos ſepeliuit Ioannes presbyter via Numentana ſub die 4. Kal. Feb. ad Nymphas B. Petri, vbi baptizabat*; licèt aliqui Codices legant; *vbi habitabat*. Nymphæa verò dicebantur fontes Nymphã fundentes Anaſt. in Hilaro. *Nymphęum & triporticum ante oratorium S. Crucis, vbi ſunt columnę mirę magnitudinis, quę dicuntur hecaton-*

*eatonpendæ lacus, & conchas ſtriatas cum columnis porphyreticis radiatis ſoratis, aquam fundentes; & in medio lacum porphyreticum, cum concha aſsita in medio aquam fundentem circumdatam à dextris, & ſiniſtris.*

Plura Nympharum loca Romæ fuiſſe religione digna, hodièque exiſtere certum eſt

Ad radices Capitolini Collis, vbi dicitur, S. Petrus in Carcere, eſt NYMPHA, PRINCIPIS APOSTOLORVM iuſſu, è monte emanata. Sic eius paſſionis acta. *Illicò B. Petrus Apoſtolus facto ſigno Crucis in monte Tarpeio in Cuſtodia Mamertini eadem hora emanauerunt aquæ de monte, tunc baptizati ſunt Proceſſus. &c.* Et in vita S. Luciæ viduæ in Cod MS. S Cęciliç Tranſtiberim. *Prothaſi vade in carcerem Capitolij, & purifica eos*, & infra, *& omnia fundamenta carceris commota ſunt, & fons aquæ inundauit.* Ad corporis & animæ ſaluté bibitur, vt cecinit Nouid. lib. 8. ſacr. faſt.

In oratorio, quod dicitur S PAVLI Apoſtoli in Via Lata, ex immemorabili traditione, PVTEVS antiquitate & veneratione celebris perſeuerat, cuius aqua quamplures baptiſmo renatos Chriſto peperit S. Paulus, dùm hic hoſpitabatur; multosq; infirmos ſanitati reſtituit.

Ad S. Anaſtaſij monaſterium (locus dicitur AQVA SALVIA) Tres fontes deuotionis cauſa ſeruantur, qui à terno S. Pauli capitis ſaltu emanarunt, vt conſtans eſt, & immemorabilis fidelium traditio.

At Andreas Baccius de Thermis lib. 6. cap. 21. de his fontibus hæc ſcribit. ,, Oſtienſi via inueniũtur aquę ,, ad Tres fontanas vulgò dictæ, quæ, in ædicula S. Ana-,, ſtaſio dicata, emanantes, ob diuerſitatem ſaporis, Sal-,, uiæ, antiquis cognominatæ leguntur; craſſæ, fumoſę, ,, graues, & cum aliquali tepore, quas tùm pro loci re-

uerен-

„ uerentia, in quo, vt legitur, D.Paulus fuit martyrio
„ coronatus,tùm pro ſaporis nouitate atque varietate
„ mirificè colimus.

PVTEVS, cuius Nympha baptizatus fuit Palmatius, vt acta ſuprà citata recenſent, erat in domo S. PONTIANI, extàtque hodiè intra Monaſterium Monachorum S. Iuſtinæ in regione trans Tiberim; ſacro cultui reddita, & S. Calliſto Papæ dicata: in eundem puteum proiectus fuit idem Calliſtus, & eius aquam deuotionis cauſa fideles bibunt: febrèque detenti ſępe ſanitati reſtituuntur.

In Vico Patritio in propria S.Hippolyti domo, adhuc fons erumpit, omnibus religioſiſſimus, quo D. Laurentius Lucillum, aliòſque ibìdem tunc detentos in carcere baptizauit. Hodieq; locus dicitur S. LAVRENTIVS IN FONTE Vrbanæ Congregationis.

In Cliuo Scauri in cœmeterio eccleſiæ S. Gregorij, propè Card. Antonij Mariæ Saluiati capellam, deſcenditur ad puteum, qui dicebatur FONS GREGORIANVS miraculo inſignis, cuius memoria à Cardinale Baronio anno 1604 renouata hac inſcriptione ſeruatur.

LOCVS HIC EST QVEM IOANNES DIACONVS
FONTEM GREGORIANVM
admirabilem, & ſaluberrimum vocat, è cuius tecto Dominicus Monaſterij Præpoſitus, ad malum ſuum tegulas auferens, S. Gregorium ſenſit vltorem.

Intra clauſtrũ monialiũ S MARIAE CAMPI MARTII PVTEVS extat, ſupra quem an. 1525. inuenta fuit inſignis olìm Conſtantinopolitana Imago B Mariæ Virginis illæſa ab igne, qui ligneum illius ornamentum penitùs abſumpſerat: Cuius aquam infirmi potan-

potantes ſanitatem conſequuntur, meritis & interceſſione B. Mariæ. Hyacinthus de Nobilibus in italicis huius Monaſterij Chronicis.

Frequentiſſime, ſacræ NYMPHAE vſu, chriſtifideles venerantur Altare BEATAE MARIAE cognométo IN VIA, cuius religioſam originem ex lapide inibi fixo attulimus in Notis ad Petrum Capoccium Innocentij IV. Cardinalem in noua Ciaconij editione

In AEde S. LAVRENTII IN LVCINA PVTEVS an. 1596. inuentus fuit, Sanctorum forſan Reliquijs celebris, cuius aqua ſanitatem conferebat deuotè ſumentibus Panciról. in Theſaur.

In inſula Tiberina in templo D. BARTHOLOMAEI ante eius altare maius, PVTEVS in religione habetur; in quo corpora SS Paullini, Gilberti, Exuperij, & Marcellini reperta fuerunt.

VIA pariter NVMENTANA erat LOCVS NYMPHARVM, ex quibus Ioannes presbyter, qui ibi habitabat, ethnicos baptizabat; celebriſque plurium ſepultura Martyrum, & Confeſſorum.

Extra portam Tiburtinam ad latus AGRI VERANI, vbi excitata eſt baſilica Laurentio Martyri, CAMPVS erat Nympharum, vbi S. Hippolytus, qui commentarienſis vices D. Laurentio exhibuit, martyrij palmam obtinuit.

NYMPHARVM alius locus habetur VIA CORNELIA, vbi Martha necata eſt; cuius mentio eſt in Martyrologio 19. Ianuarij.

PASTORVM LACVS meminerunt Acta Paſſionis SS. Euſebij presb. & Marcelli Diaconi. *Qui ducti ad petram ſceleratam iuxta Amphitheatrum ad lacum Paſtoris, ibidem decollati ſunt. Notatur hic locus in tertia Vrbis Regione.*

In Monte Auentino in Eccleſia S. ALEXII PVTEVS

eſt

eſt in religione habitus, & obſoletæ venerationi reſti-tutus à Cardinali à Balneo titulari: cauſa religioſi po-tus inter fideles hæc affertur in quodam antiquo hu-ius Eccleſiæ manuſcripto. *In feſto SS. Bonifacij & Ale-xij, cauſa caritatis, reſidentibus Epiſcopis, Abbatibus, Iudicibus, & Romano clero aliquibus, de quibus vnus fueram ego ad menſam Abbatis, dignum viſum eſt, vt vinum frigida temperaretur aqua; hinc quia cali-dum, inde quia præ naturali fortitudine impotabile videbatur. Ex conſuetudine quidem adſtante Vui-zolo præcipitur, vt de puteo eccleſię, quia frigidior erat, aquam citiſſimè ferret: qui obediens concitus lagenam impleuit, & ſuis humeris per ſcalam, quæ ad dormito-rium ducit, portabat; in cuius ſummitate diabolus in-uidens charitati reſidentium, & fratris obedientiæ, lagenam de humero proiecit, & per gradus vſque ad terram coegit. Mira fides, nam eo clamante, SS. Bo-nifaci & Alexi adiuuate, recens lagena tot ictus ac-cipiens quot erat gradibus ſcala ſubnixa, non eſt in aliquo læſa; & maius audiens obſtupeſcas, aliquid aquę non eſt effuſum, quam iterum ſuſcipiens ad nos detulit, & prodente pallore euentum rei ſeriatim nobis expoſuit. Quo audito, non vino mixtam, ſed puram omnes bibimus glorificantes Dominum, qui ſemper eſt mirabilis in Sanctis ſuis.*

Io. Baptiſta Paulianus in ſuo libello, edito tempo-re Iulij III de Iubileo & Indulgentijs, hæc de S. SA-BAE FONTE ſcribit lib. 4. *In S. Sabæ fano fons cla-ra fluit, qua ebibita B. Sabæ meritis, fluxum ſangui-nis ſiſti, multi experti referunt.*

Idem Paulianus addit alium religioſum fontem in monte Exquilino his verbis. *In capitibus Tabernu-læ regionis ſtat vna S Iuliani, licèt parua, eccleſiuncu-la, plena tamen ſanctiſſimis reliquijs, & maximè AL-*

*BERTI, & Iuliani, quorum interceſſione ad Deum pro noſtro beneficio in ea manat FONS limpidiſſima, quę ebibentem cum deuotione & oratione à febribus, & multis ęgritudinibus liberare dicitur.*

Tandem FONS erat IN VATICANO templo, Liberio Pontifice, affluentibus è proximo monte aquis, quibus per Pontifices, ſtatis ſolemnioribus diebus, baptiſmus conferebatur: temporis iniuria, aliâue de cauſa vena fontis deperdita, eæ circa Vaticanum templum adeò diffundebantur, vt monumenta ſuper aquas denatarent, & fons ſacro vſui eſſe amplius non valeret. Damaſus tunc presbyter, accepta à Liberio reſtituendi fontis cura, acceſſit cum Diaconibus ad templum, & duobus apertis cuniculis expiauit locum; indèque omni putredine eliminata, ac proximo cæſo monte, aquam certa via duxit affluentem in fontes, quos ipſe conſtruxerat, vbi poſtea Liberius baptizauit. Hoc baptiſterium extra Vrbis mœnia fuiſſe ſcripſit Ioſeph Vicecomes in cap. 6. Obſeruat. Eccleſiaſticarum de antiquis Baptiſmi ritibus; Verùm ſententia Vicecomitis ex argumento, quod ipſe ſumit à cadauerum ſepultura extra Vrbem, euaneſcit, cum ex carminibus Damaſi, ex antiquiſſimis Damaſi rebus geſtis per Mileſium collectis, & ab Vbaldino editis; necnon ex Baronio conſtet, cadauera fuiſſe in Vaticano templo, venâmque aquæ in idem ex proximo mōte, qui tunc extra mœnia exiſtebat, corriuaſſe. Eandem aquam INNOCENTIVS X. P. M. in atrium Vaticanarum Aedium iuſſit duci, fonte nobillimo extructo cum hac inſcriptione.

AQVAM

# AQVAM VATICANI COLLIS

incerto olim à capite deerrantem, à B. Damaſo, inuenta ſcaturigine, ad lauacrum nouę generationis in fontem corriuatam, rurſus amiſſam

INNOCENTIVS X.
PONT. MAX.

Conquiſitam repertàmque, ac mirè probatam, fonti recens extructo reſtituit, vt in Vrbe aquis peregrinis affluente, Ædes Vaticanæ ſuam hanc haberent gemina ſalubritate gratiùs hauriendam

ANNO D. M.D.C.XLIX.
PONTIFICATVS. SVI. QVINTO.

DE

# DE RELIQVIS FLVMINIBVS, AQVIS & Fontibus Vrbis. Cap. VII.

AQVARVM, quæ hodie in Vrbem influunt, copioſiſſima eſt, cui MARANAE vulgò nomen tribuitur; riuo enim non contemnendo inter portam Latinam, & Baſilicam S. Ioannis vrbem ingreditur, fertùrque per vallem inter titulum S. Sixti, & Hortos Matthæiorum in valle, quæ eſt inter Cœlium, & Cœliolum; inde ad radices Auentini per Circum maximum à ſiniſtro latere S. Mariæ in Coſmedin influit in Tiberim. Maranam à Mariano oppido, quaſi Marianam, dictam putant. Marlianus Riuum Herculanum eſſe arbitratur; nonnulli aquam crabram. Sed amicus quidam meus, qui in veterũ aquæductuum fontibus perueſtigandis multum operæ impendit, riuo Maranæ non Crabram ſolam, ſed & Iuliam ac Tepulam in vrbem deferri mihi oculata fide affirmauit.

ALMO extra portam Appiam in loco vulgaritèr dicto, ACQVATACCIO, apparet; tum extra portam Trigeminam non procul ab vrbis mœnibus cum Tiberi miſcetur; eſt curſu breuiſſimus, vnde apud Prudentium dicitur RIVVLVS ALMONIS. De hoc D. Gregorius lib. 12. epiſt. ad Felicem. Concipitur ex religioſis apud gentiles aquis Mercurij & Camœnarũ, quæ ex agris Capharellorum, aliorùmque ibidem adiacentium ſcatent.

AQVAM VIRGINEM (quam alij Salonianam, alij Triuiam, vulgus DI TREVI appellant) perduxit Agrippa, vt Plinius lib. 31. cap. 3. Virgo ideò appellata, inquit Frontinus, quod quærentibus aquam militibus puella virguncula quaſdam venas monſtrauit, quas ſecuti qui ſoderant, ingentem aquæ modum inue-

inuenerunt. Plinius loc. cit. & Caſſiodor. lib. 7. epiſt.
6. alias referunt cauſas. Baccius de Thermis lib. 7.
cap. 4. alias congerit, & plura de huiuſmodi aqua ſub
iungit. Concipitur, vt ait Plinius, via Præneſtina; vt
Frontinus via Collatina: Certè octauo ab vrbe mil-
liario, in agro vulgariter dicto, Salone, ad Capitu-
lum & Canonicos Baſilicæ Liberianę ſpectante; habèt-
que ductus longitudinis à capite ad ipſum Triuij fon-
tem, vt Frontinus dimenſus eſt, milliariorum quat-
tuordecim; nam vbi ſpecus ſubit montium, vbi cir-
cuit colles, vel valles æquat arcuato opere, multos
habet flexus: progreditur Anienem fluuium, ac in-
terſecta Tiburtina via, & exinde Nomentana, & pro-
ximè Salaria, tandem inter Portas Pincianam, & Po-
puli ſub colle Hortulorum ad Triuij vicum exilit, Fon-
te à Nicolao V. reſtituto. Lactantius Corteſius, qui
vixit ſub Iulio II. in annotationibus ad Paulum Cor-
teſium verſ. *Ad aquam Virginem*, inquit. *Aqua
Virginea erat, vbi nunc Palatium* SS. *Apoſtolorum
ſub Quirinali*. Eam bonitate laudat Baccius, ac ſubdit,
in experimentis hanc tardiùs coquere legumina, &
reliqua cibaria, quàm Tiberinam, & aliquas ciſter-
nales.

Ex hac plures intra vrbem fonticuli, & fontes ſca-
turiunt: eos, quos hoſpitum oculis gratos cenſemus,
enumerabimus.

Ad radices collis Hortulorum ea parte, in qua emi-
net Sanctiſſimæ Trinitatis templum, Vrbani VIII. be-
neficentia, ingens è tiburtino marmore nauis aquis
onuſta, ſine vllo remigio in Virginea natat aqua.

Alius exurgit in platea Matthæiorum inter cæteros
præſtantiſſimus, qui ſic deſcribitur à Hieronymo Fer-
rutio inter antiquitates Marliani lib. 7. p. 161.
*In eo quatuor ſunt vaſa ad conchiliorum ſimilitudinem*

*ex Africano marmore inſculpta, quibus totidem ęnei Delphini superſtant, ore in vaſis hiſce ſuppoſitis aquā promentes; ſuperq; his quaterna iuuenum ęnea ſimulacra miro artificio conflata, quę pedes alternos attollentia, delphinorum capita premunt, alternosq; extendunt, ſicut itidem manu altera caudam ipſius marinę belluæ viciſſim attrectant, altera ad inuicem quaſi labrum, ſeu concham ſuperiorem fulcientia, eniti videntur. Hic inter cæteros, qui noſtra ętate Romę conſtructi ſunt fontes, prę ſtantioris atque abſolutioris operis ſpectatur. Quę ſimulacra ænea, anno 1585. conflata ſunt ab egregio artifice Thaddęo Landino Florentino. In hoc toto fontis opere ad mille ducentos nummos aureos impenſum eſſe, nobis à fide dignis relatum eſt.*

Item in plateis columnæ Antonianę, Rotundæ, Montanaria, Iudæorum, Floræ, duòque in Agonali, quorum vnus in ornatiorem formam reſtituit Sanctiſſimus D. N. INNOCENTIVS Papa X. Verùm dum hæc ſcribebamus tertium in eadem agonali platea miræ ſtructuræ fontem excitauit idem Innocentius: Obeliſcum enim ab Imp. Aurelio Antonino, cognomento Caracalla, in Circo Viæ Appiæ collocatum, vbi olympici olim fiebant ludi, ad exercendos, vt creditur, milites Prætorianos, qui illìc tunc contubernia habebant, ibìque temporum calamitate per ſecula fractum iacentē idem operum publicorum aſſertor Optimus Maximus, ab extremo vindicatum occaſu ad Agonalem Plateam transferri iuſſit, vt Pamphilia Columba Romæ triumphans illum ſibi pro trophœo ſtatueret ſupra fontem: &, vt ſpectaculorum locum, à ſe ampliatum, à ſordium ſqualore expurgatum, & gentilitijs ædibus ornatum, mirando munificentiæ ſuæ ſpectaculo, Equite Bernino architectante illuſtraret. Cæterum in vrbē reſtituta fuit à Pio IV.

& V. cuius reſtitutionis extat opſuculum Lucæ Pæti impreſſum cum alio de ponderibus, & menſuris.

FELICEM aquam duxit Sixtus V. felicèmque de ſuo ante Pontificatum nomine appellauit: Concipitur via Præneſtina ſiniſtrorſum in agro Columnenſi, multarum collectione venarum, ductu ſinuoſo, à receptaculo mill. XX. à capite XXII. Romam ingreditur per ductum ſubterraneum mill. XIII. arcuatum verò VII. Pontificatus an. I. cœpit, abſoluit III. Chriſti verò 1587. Aliqui Claudiam, Martiam nonnulli eſſe arbitrantur; ſed ex Frontini libro de aquæductibus falſum eos opinari conſtat. Ex ea hi fontes deriuantur per Vrbem.

Primus ad pyramidem in laterano ſumptibus Capituli Lateranenſis an. 1607. excitatus.

Pauli V. in area S. Mariæ Maioris propè Columnã.

Alius in plana Subura à latere S. Mariæ in Montibus.

Vnus in area Quirinali propè equos marmoreos.

Item in area S. Mariæ de Populo propè pyramidem: in area Capitolij, & alius ante S. Mariæ de Campitello. Item in platea S. Ioannis de Mercatello. De huius aquæ qualitatibus ſcripſit Dominicus Gagliardellius Maceratenſis libellum editum Romæ 1590.

ALSIETINAM induxit Auguſtus, ideòque Auguſta dicta fuit; hæc omnibus humilior erat, parùmque ſalubris, vt ait Frontinus, Naumachiæ, quam Auguſtus Tranſtiberim fecit, hortis ſubiacentibus, & vſibus priuatorum inſeruiens. Eadem forſan quæ Sabbatina, de qua Sex. Pompeius à Lacu Sabate, nunc Anguillariæ dicta. Sabbatinam reſtitutam fuiſſe à Gregorio IV. ſcribit Anaſtaſius; vtramque ab Hadriano Pontifice Marlianus lib. 5. cap. 19. & 22. Fontes ex ea exilientes hi ſunt.

Vnus ante templum S. Petri Montorij.

Alius præ foribus Ptochotrophij S. Sixti in capite Viæ Iuliæ.

Duo in platea Farneſiorum ſumptuoſiſſimi.

In Platea Vaticana mirabilem Paulus V. excitauit; ex eo ingens, argenteus, ac ſpumiger fluuius erumpere, & ad æthera ſe tollere videtur.

Alius in area S. Iacobi Coxæcaballi; & vltimus in capite noui, veteriſque Burgi arcem Hadriani reſpiciens.

TOCIAE aquæ formam reſtaurandam præparauit Nicolaus I. vt Anaſt. Bib. qui etiam Tucij Xenodochij meminit in Leone III. Quæ ſit hæc aqua ignoramus.

ACIDAM extra portam Populi omittere nequimus. Proſilit ad ripam Tiberis, non longè à ponte Miluio dextrorſum, & noſtra ætate reperta, clara ſubſtantia, non iniucundo ſapore, qui licèt acidus, guſtatu ferè ipſo euaneſcit; virtute pollet abſterſoria, inflammationes reprimit, obſtructiones viſcerum, præſertim lienis, tollit; omni viſcoſitate, atque craſſitie renes abſtergit, lapillos à renibus euellit, calculos in veſicis, qui naſcuntur in corporibus hominum, potione diſcutit. Vitruuius lib. 8. cap. 3. in fine, cauſam huius virtutis optimè diſcutit, & concludit ijs verbis. *Ergò cum has res ante oculos ita fieri videamus, ratiocinamur, ijſdem rationibus ex acidis propter acritudinem ſucci etiam calculoſos è natura rerum ſimiliter poſſe curari.* Illuſtriſſ. D. Carolus Rinuccinus Florentinus hoc expertus eſt, alijq; qui id mihi teſtati ſunt. Alias virtutes nos experti ſumus, quadraginta enim abhinc annis ea vſi ſumus, æſtate potiſſimè ſub Sirio in proprio fonte, domi ſæpe, ſeruata etiam aliquando octo, vel quindecim diebus aqua: &, quod maius eſt, media hyeme, Aquilonèque vehementi furente, febri ardentiſſima laborantes, aqua in proprio

fonte ad ſatietatem ebibita, duarum horarum ſpatio obtinuimus ſanitatē. An.1633.editus fuit liber de Agri cultura Reuerendiſſimi Io. Baptiſtæ Barpi Bellunenſis, in cuius Ricor.2 fol.103. hæc leguntur. *Io hò pur veduto ſtillar vn acqua alla ripa del Tebro, vicino à Pōte molle, di ſapor d'aceto, e beuutone più volte, che leuatone vn certo odore di fango, e di creta, diletta al palato, come ſarebbe vn vino, che foſſe per inacetire, e viene vſata aſſai in Roma dalla nation Franceſe, e dalli ammalati, che con ſomari portata per le publiche vie, ſi vende communemente, nè viene altrimente biaſimata da Signori Medici.* Plura ab alijs fide dignis mirabilia audiuimus, quæ hic enumerare non expedit, præſertim quòd auctoritate Pauli V. Pontificis huius aquæ virtutes breuiter in marmore ſic cenſeantur.

PAVLVS V. PONT. MAX.
AN. SALVTIS M.DC. XIII. PONT. IX.

*Renibus, & ſtomacho, ſpleni, iecorique medetur;*
*Mille malis prodeſt iſta ſalubris aqua.*

Cœterùm de aquis acidis propè Romam vide Gabrielem Faloppium de medicatis aquis fol. 28.

In proximo colle eminet villa Dominici Card. S. Clementis, *quam ſuper ripam Tiberis à fundamentis ædificauit, paulò à Miluio Ponte diſtantem, vicinam quoque fluentibus Anienis: Prata illa, quibus imminent ędes, ea eſſe dicunt, in quibus de Metio Suffetio Albanorum Rege à Tullo Hoſtilio Romanorum Rege ſupplicium ſumptum eſt.* Diar. Volaterrani.

Extra portam S. Pauli, & vltrà illius baſilicam alia emergit ACIDIOR TIBERINA iam dicta, eiuſdem ſubſtantiæ, coloris, & virtutis. De hàcce aqua Leonardus Florauantes in Phyſicæ libello lib 3. c. 22. hæc ſcribit. *E circa di Roma fuor di porta S. Paolo tre miglia*

*glia vna fonte di acqua acetoſa, come aceto, la quale è molto ſalutifera per quelli, che patiſcono difficoltà di orina, & indiſpoſitioni di ſtomaco*. Vide etiam Baccium de Therm. lib.6. cap. 21.

Via Appia, in vinetis proximis viæ Lateranenſi, ad primum ab vrbe lapidem, non longè ab Antonini hippodromo, inſignis virtutis inclaruit aqua an. 1567. diù deperdita, iterùm claruit ſub Paulo V. fortuito experimento anno 1616. circiter, de qua plura Andr. Baccius de Thermis lib.6. cap. 21. Hodiè vocatur AQVA SANCTA.

BARBERINA VATICANA in porticu Atrij Palatij Vaticani vulgariter nuncupati, *Beluedere*, Vrbani Papæ VIII. beneficentia, ex confluentibus è Vaticano monte venulis, collecta; clara, ſuauis, nullius ſaporis, nullius ſedimenti, leuiſſimi ponderis, & ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ: vnde meritò illi præſunt hæc duo carmina.

*QVID. MIRARIS. APEM. QVAE. MEL. DE. FLORIB. HAVRIT*
*SI. TIBI. MELLITAM. GVTTVRE. FVNDIT. AQVAM.*

## DE ANTIQVIS ROMANORVM AEDIFICIIS, & locis, Chriſtianorum martyrio, in Vrbe illuſtratis. Cap. VIII.

IN Amphitheatrum, quod vulgò dicitur, COLOSSEVM, ducta S. Martina V. & M Romana, vt Dijs ferret libamina. Iuxta & ante illud erat ſimulacrum Solis, ante quod incendio concremati Simpronius, Olympius, Exuperia, & Theodolus. In eodem Decius Imp. tribunal parauit, ad cuius conſpectum adducti SS. Abdon, & Sennen, & inde educti ante idem ſimulacrum ſpiritum emiſerunt; quorum corpora collegit Quirinus chriſtianus ſubdiaconus, qui

habitabat iuxta idem ſimulacrum, & in domo ſua ſepeliuit, aliò deinde tranſlata. In eodem S Priſca leonibus expoſita, varièque excruciata. In eodem Ignatius Antiochenſis Epiſcopus dentibus beſtiarum molitus ſub Traiano Imp. In eodem S. Potitus in equuleo appenſus, lampadibusq; ſuppoſitis per latera cruciatus, exungulatus, feris traditus, in ſartaginem miſſus, oleòq; frictus, & liquefacto plumbo ſuppoſitus, & tandem, poſt alia tormenta in eo ſuperata, extra vrbem decollatus eſt. In eiuſdem amphitheatri publico contubernio meretricum ducta S. Daria, in cuius cella leonem manſuetum reddidit.

In TELLVRIS, ſeù TELLVDIS templo, quod ex actis Martyrum conijcitur fuiſſe inter amphiteatrum, & templum Palladis, quod erat proximum eccleſiæ S. Sebaſtiani in Palladio, ac propè Solis ſimulacrum, omnia tormentorum genera fuerũt præparata ad terrendos Euſebium presbyterum, Marcellum diaconũ, & ſocios. Ibidem præſentati Cyriacus, Largus, Smaragdus, & Creſcentianus: nec non Sixtus, & Cornelius Pontifices: itèm Simpronius, Olympius, Exuperia, Theodolus: Abdon quoque, & Sennen: Pontianus, Vincentius, Euſebius, & Peregrinus, varijſque tormentis excruciati. In eodem tribunal paratum Vitellio Aniſio, in cuius conſpectu præſentatus fuit Iulius Senator nudus, catenisq; munitus, qui, cum ibi fuſtibus cæderetur, emiſit ſpiritum, eiùſque corpus iactatum ante amphitheatrum. In eodem iuſſu Muſciani gremium pręparatum. In eius Secretario iuſſu Decij diuerſis à Libanio vexati ſupplicijs sãcti Martyres. Ante illud iuſſu Clementiani capite truncatus Gordianus Marinæ vir. Vnde vniuerſum illud ſpaciũ inter Amphitheatrum (cuius anterior pars reſpicit arcum Titi) Conſtantini arcum, S. Sebaſtiani in Palladio

tem-

templum; & aliud S. Mariæ Nouæ cũm illius monaſterio, & Cardinalis Pij nomine hortos, martyrum actis nobilitatum, & ſanguine illuſtratum conſtat.

PETRA SCELERATA erat locus in vrbe, vnde ſupplicia de reis ſumenda exprimebantur voce per præconem, vt omnibus cauſa noteſceret; licet etiam aliquando id fiebat per inſcriptionem. De inſcriptione exemplum eſt apud Suetonium in Caligula c. 32. *Roma publico epulo ſeruum ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confeſtim tradidit, vt manibus abſciſſis, atque ante pectus è collo pendentibus, præcedente titulo, qui cauſam pœnę indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur.* Et notiſſimus eſt titulus per Tiberij procuratorem & Præſidem in Iudęa affixus ligno Crucis, vnde SALVATOR NOSTER pependit. De præconis voce lampridius in Alexandro Seuero. *Clamabat, inquit, ſæpius, quòd à quibuſdam ſiue iudæis, ſiue chriſtianis audiuerat, & tenebat; idque per præconem cum aliquem emendaret, dici iubebat; quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris.* Et in actis SS. Gordiani, & Epimachi *Vade, & vide ſi declinauit ad ſacrificandum magno Ioui Ianuarius presb aut ſi non perſuaſiſſet ei, & tunc ſub voce præconia fuſtibus cædatur.* Præco autem quandòque de mœris templi, vt Varro lib. 5. ſœpè contra Chriſtianos de Petra. Hæc iuxtà Amphitheatrum ſita videtur; è qua cum præconis voce reorum ſcelera exprimerentur, Petra ſcelerata vocabatur. In actis S Pontiani hæc de Pontiano, Vincentio, Euſebio, & Peregrino; *Ante amphitheatrum plumbatis exhalent, qui ducti ad petram ſceleratam ſub voce pręconia introducti ſunt in Tellure plumbatis diù macerati ſunt. iuſſit, vt ipſa hora capitis ſubirent ſententiam. & decollati ſunt SS. MM. Pontianus &c. ipſa hora &c. & in voce præco-*

*nia dictum eſt, vt nullus corpora eorum attingere praſumat:corpora verò Sanctorũ per triduũ ante Amphitheatrum iacuerunt*. Item in actis S Euſebij presb. & Sociorum. *Traianus iuſsit, Euſebium, & Marcellum capitis ſubire ſententiam, qui verò ducti ad Petram ſceleratam iuxta Amphitheatrum ad lacum Paſtoris ibidem decollati ſunt*. Ad eandem Petram in conſpectu Hadriæ & Hippolyti gladio ſunt conſummatæ Neon, & Maria.

AD APOLLINIS TEMPIVM forſan ſitum intra, vel propè imperiale Palatium, ducta fuit S. Martina, illùdque in minutias vnà cum Apollinis ſimulacro redegit: eadem ferè legimus in actis S. Priſcæ. Ad aliud Apollinis templum in Vaticano ſepultus Princeps Apoſtolorum.

ARCVM STELLAE, ſeù STILLAE, cuius fit ſæpè mentio in actis Martyrum, antiquiſſima vrbis mirabilia conſtituunt ante Septiſolium. Taciti interpres ad lib. primum. *Eſt autem Porta Capena, quam ſuper erat aquæductus, qui Arcus Stillans vocabatur.* Sãctus Stephanus I. Papa miſſus fuit in carcerem cum nouem presb. & duobus epiſcopis, & tribus diaconis ad arcum Stellæ, ibìque fecit ſynodum, vt Anaſt. in eo.

AD ARTEMIDIS FANVM ducta S. Martina.

CAMPVS dicebatur locus IN PALATINO vbi ſagittis confoſſus S. Sebaſtianus.

CARCER TRANSTIBERIM, in quo detentus S. Quirinus, alijque, creditur fuiſſe, vbi nunc dicitur S. Saluator de Curte. De CARCERE TVLLIANO, CAPITOLII, & MAMERTINO, vide infra de templo S. Petri in Carcere.

Iuxtà CIRCVM MAXIMVM S. Sebaſtiani corpus in cloacam proiectum. In CIRCO FLAMINIO tribunal paratum Secundiano togato contra Hadriam, Hip-

Hippolytum, & ſocios. In eodem pręſentati Papias, & Maurus.

In CLAVDII IMP. PALATIO, quod erat iuxta Amphitheatrum præſentatus fuit S Valentinus: in eodem coram Valeriano S Nemeſius.

In CLIVO VIAE SACRAE ad Romuli templum Pigmenius presb. cum ſuo puerulo apprehenſus fuit iuſſu Iuliani Apoſtatæ. Cliuus Vrſi, in cuius platea dimiſſum fuit corpus S. Creſcentiani, erat ante templum Palladis; quod alij vocant templum Palatij in Palatino propè templum S Sebaſtiani.

In CLOACAM MAXIMAM S. Sebaſtiani corpus proiectum, indèq; extractum. Ignoramus an in eandem vel aliam præcipitata fuerit S Felicula, cuius corpus S Nicomedes presb. in ſpeculo poſitus occultè liberauit.

S Concordiæ corpus in cloacam iactatum fuit, Hereneus & Abundius iuſſu Valeriani viui in cloacam necati fuerunt

CRYPTA NEPOTIANA erat in Vico Patritio, vbi nunc dicitur, Vicus Vrbanus, ad Suburam: Ibi iuſſu Stephani Primi Papæ chriſtianorum fuit conuenticulum. Hùc ad Chriſtianos latitantes S. Laurentius victui neceſſaria deferebat.

DIANAE SIMVLACRVM fractum oratione S Eugeniæ: Ad DIANAE TEMPLVM ductus Anolinus commentarienſis: Vrbanus Papa cum ſocijs iuxtà illud decollatus eſt. Ad aliud intra vrbem ducta S. Martina.

Ad DVODECIM IDOLORVM TEMPLVM ducta S. Martina, vt tot dæmonijs ferret libamina.

In FORO MARTIS coràm Publio adducta S. Felicitas cum ſeptem filijs. In foro TAVRI dimiſſus S. Bibianæ corpus. In foro TRAIANI pulcherrimis

ædi-

ædificijs ornato tribunal ſæpè paratum, in quo præſentati Euſeb. presb. Marcellus diaconus, Hippolytus, alijque; & fuſtibus cæſus S. Ianuarius.

INSVLA CAMINIANA erat IN MONTE COELIO, in qua domus erat S. Pancratij mar. Inſula excelſa erat in Monte Palatino in imperiali Palatio; In ea Caſtulus Zetarius chriſtianorum hoſpes morabatur; & in eadem S. Sebaſtianus ab Irene, Caſtuli vxore à ſagittarum ictibus curatus, & ſanitati reſtitutus.

AD IOVIS, ET HERCVLIS FANVM in Capitolio ductus S. Reſtitutus, ibìque extra Capitolium capite truncatus. IOVIS ET MINERVAE NVMINA in Capitolio conſtituta. De IOVIS aurei ſimulacro legitur in actis S. Marciani, *Temporibus Maximini in Capitolio Iouem intra templum, in quo ſimulacrum aureum erat, caput ſuum extorſiſſe*. Et in paſſione S. Calliſti, *quòd temporibus Macrini, & Alexandri incendio diuino concremata fuerit pars Capitolij à meridiano, & intra templum Iouis manus ſiniſtra aurea reliquata fuerit, & dum ſacrificio vterentur ſubitò cœlo ſereno, mane diei Iouis, fulmine diuino mortui fuerint quattuor ſacerdotes idolorum, & Ara Iouis incendio concremata*. De IOVIS BASILICA in Palatio, intra quam factus eſt Conuentus præſentibus Auguſtis, vniuerſiſque Aulicis poteſtatibus, habetur in actis S. Silueſtri Papæ. Ad IOVIS TEMPLVM INTRA TIBERII PALATIVM præſentatus S. Laurentius mart IOVIS TEMPLVM APVD PAGVM creditur fuiſſe propè, & extra portam vrbis S. Sebaſtiani Ad idem deductus S. Vrbanus Papa, & alij, ibìque erat LOCVS, qui dicebatur TRVCIDATORVM.

LACVS PASTORIS erat iuxta amphitheatrum ad Petram ſceleratam; ad quam decollati Euſebius, & Mar-

Marcellus: notatur in tertia regione à P. Victore. fortè erat ſtagnum Neronis, de quo Mart. epig. 2. de Spectac

*Hic, vbi conſpicui venerabilis Amphitheatri*
*Erigitur moles, ſtagna Neronis erant.*

MANVS CARNEA eſt locus in vrbe apud S. Marcum; nam inter mirabilia vrbis, adiuncta Chronico M. S. Romualdi de Salerno Legitur. *Ad S. Marcum, qui vocatur Manus Carnea* ex Benedicti, canonici D Petri, Rituali colligitur, locum hunc fuiſſe inter S. Marcum & cliuum argentarium, vbi nunc dicitur *Macello de Corui*, antequam aſcendatur idem cliuus, qui nunc dicitur *la ſalita di Marſorio*. eòque dicitur, quia miniſter cædens S. Luciam viduam factus eſt lapideus; manus autem eius carnea remanſit: ſic legitur in Martyrum actis. Vnde colligitur corruptela vulgaris denominationis, quicquid alij dicant de ſomniato macello, & domo Coruinorum.

AD METAM SVDANTEM, erat Domus Iuſtæ Matronæ religioſiſſimę.

AD MARTIS TEMPLVM quod erat extra Appiam Portam Sixtus Papa, Feliciſſimus, & Agapitus, ad quorum preces corruit aliqua pars templi, decollati fuerunt. Ad idem ductus S Cornelius Papa Hic S. Neměſius comperit Valerianum, & Maximum ſacrificare dæmonibus.

In PALATIO IMPERATORIS IN PALATINO in ea parte, quæ reſpicit Amphitheatrum ſub Diocletiano, & Claudio ſæpius tribunal paratum. Item in Palatio Saluſtij ad portam Salariam.

SALVSTIANI HORTI, cuius ingentes ruinæ apparebant tempore Flauij Blondi, fuerint in Viminali ne, an in Quirinali, ipſe quamuis antiquariorum primus, indicare non potuit. De ijs autem pauca

lib. 2.

num.28. hæc ſcripſit: *Magnæ, & obſtupendæ ſunt ipſorum hortorum, quas adhuc extare videmus, murorum fornicùmque reliquiæ, quę à Viminali olim, nunc S. Agnetis, Porta in Collinam nunc Salariam ad S. Suſannam propemodum extenduntur*. Hæc Blondus. Huiuſmodi Hortos fuiſſe omnium pulcherrimos, & amœniſſimos, in quibus ſubterraneæ erant aquæ manufactæ, quę illos rigabant, credidit And. Fuluius lib. 2. cap de Monte Quirinali, qui ſubdit, *Extant adhuc hortorum veſtigia in profunda valle parum intra Portam Salariam inter montem Quirinalem, & collem Hortulorum, cuius partem hi Horti cum ciſternis aquarum occupabant* Blondum fuſiùs ſequitur Marlianus lib. 4. c. 23. Ad huiuſmodi hortos fuit Palatium forùmque Saluſtij, cuius miranda fundamenta, à nobis viſa, cernuntur ſepulta in vinea Dominorum de Veroſpijs. Eorum amplitudinem deſcribit Bernard. Gammuccius lib. 3. Antiquitatum, his verbis; *Ne tempi noſtri in queſto ſteſſo luogo ſi veggono longo le mura della città certiſſimi veſtigij della loro grandezza, la quale conteneua in ſe quaſi tutto quello ſpatio, che è dalla porta Salaria fin'alla porta Pinciana, e per larghezza occupaua vna gran parte di quei colli, & inſieme quella piccola valle, che ſi vede eſſerui in mezzo*. Ibi ſpectabatur, tempore Sixti V. Obeliſcus ægyptiacis notis inſcriptus, humi proſtratus, & confractus: In huiuſmodi Saluſtiano Palatio, foròque Tribunal paratum fuit S Laurentio Martyri; & coram Decio aut Valeriano Cæſaribus præſentatus. Hic ad ferreas laminas ardentes damnatus; hinc eductus ad Montem Viminalem igniti martyrij palmam in Olympiadis thermis obtinuit. Propè huiuſmodi palatium ad arcus Portæ Salariæ habitabat S. Gabinius presb. qui fuit frater vterinus Caij

Papæ, paterq; S. Suſannæ, quorum acta notis explicata edidit anno 1628. Cæſar Becilius Congregationis Oratorij.

Ante PALLADIS TEMPLVM IN PALATINO pluriès tribunal paratum contra SS. Martyres.

Ad PALMAM erat locus iuxta Arcum triumphalem Septimij Seueri ad radices Capitolij; ſic dicebatur ab antiqua arbore, ibìque decollabantur chriſtiani; ſic in vita S. Vitalis, & alibi.

PINVS erat locus in media vrbe, vbi nunc eſt templum S. Marci.

Ante SEPTISOLIVM in capite Circi Maximi, vbi eſt molendinum ſupra Marianam Aquam, qui locus antiquitùs vocabatur, Via Noua, dum S. Petrus Apoſtolus fugiens iret ad portam Appiam, tibiàmque demolitam haberet, cecidit ei faſciola.

Ad SERAPIDIS TEMPLVM, quod erat iuxta Secretarium, ductus fuit ad ſacrificañ S. Felix Senior presbyter ante tribunal Dracchi vrbis Præfecti.

SOLIS TEMPLVM erat apud Amphitheatrum, ante quod plures martyrio affecti chriſtiani.

Ad Theatrum, eo loci, vbi nunc PLATEA vulgariter NAVONA dicitur, quam multi Alexandri Circum fuiſſe opinantur ad meretricum contubernium in lupanari ducta S. Agnes, vbi virgo permanſit, & impurus Præfecti filius à Virginis cuſtode Angelo occiſus: eſt ibi templum S. Agnetis.

THERMAE DIOCLETIANI à Sanctis Martyribus fabrefactæ fuerunt. THERMAE NOVATI, vbi nunc templum S. Praxedis. In THERMIS OLYMPIADIS paratum Decio tribunal contra chriſtianos. Intra THERMAS TRAIANI templum erat AEſculapij iuſſu Diocletiani ædificatum; in eo plumbatis cæſi Seuerus, Seuerianus, Carpoforus, & Victorinus emiſerunt

ſerunt ſpiritum. In actis quoque Sanctorum Nerei, & Achillei idem templũ vocatur Baſilica, in qua pro tribunali ſedebat Valerianus. In Thermarum fornacibus miſſa S. Eugenia.

IN TIBERIM plures præcipitati Sancti viri.

IN VIA SACRA cecidit ex aere Simon Magus.

AD ZEI TEMPLVM ducta S. Martina. Iuppiter græcè dicitur Zeus; quòd, vt omnes interpretantur, vitæ dator ſit: vel quòd animantibus vitas inſpiret. Verùm Lactantius hanc etymologiam irridet, & iure quidem; magìſque ei placet, vt Zeus dictus ſit, quòd primus ex liberis Saturni maribus furtim à matre ſubtractus vixerit.

VICVS LATERITIVS eſt in capite Suburæ, vbi ædes S. Praxedis, & eſt, ni fallimur, idem cum Siliceo, & in Silice: nam in Actis S. Praxedis Vicus iſte vocatur lateritius, & apud Scriptores eccleſiaſticos vocatur IN SILICE, ibi, S. Lucia in Silice. Silices etiam ab ijſdem appellantur Saxa è lapide tiburtino; ſic in antiquiſſima inſcriptione in æde S. Martinæ, in qua fit mentio S. Coſmatis in Silice, non quia in Vico, & cliuo Siliceo (certum eſt enim fuiſſe in Via Sacra) ſed quia eius parietes ex dicto lapide conſtabant.

INTERLVDE, ideſt, inter duos ludos, ideſt, inter Amphitheatrum, & Circum Maximum.

## DE TEMPLIS SANCTORVM VRBIS. Cap. VIIII.

NON eſt animus impræſentiarum, Hoſpes, exactam vrbis Romæ templorum hiſtoriam contexendi, vt eruditorum deſiderium expetit; Sed ſcribendi ſacrarum rerum epitomen, ad tui, cuius animus in ſacris vrbis rebus excurrendis verſatur, facilem, ce-

Ierèmque notitiam. Hinc breuibus eorum primordia, aut fundationes indicauimus; inſigniores inſtaurationes appoſuimus; ornamēta propter raritatem hoſpitibus grata enumerauimus. Imagin.ū, & reliquiarum omnium ſeriem prætermiſimus, ijs contēti; quas propter peculiarem venerationem pio chriſtiano non iniucundas foreſumus arbitrati. Adiunximus pauca, omiſſis gentilium, & pluribus chriſtianorum, quæ alibi ſunt edita, epitaphia, vt chriſtianorum ingenia admireris, & miſcellanea lectione peregrinationis tędium mulceas; ac mortem laborum eſſe quietem addiſcas.

Cæterùm admonitum te volumus, Alarico vrbem irruente, Gothi huiuſmodi votum dediſſe; Vt quicunque Romanorum in locis Chriſti inuenirentur, in eos agere belli iure non liceret, ſed ibi & feriendi refrænaretur immanitas, & captiuandi cupiditas coerceretur. Ex Chronico Sancti Iſidori ad annum 409. Item Sixtum IV. Pontificem contra ſubtrahentes ornamenta ex Eccleſijs, eorùmque fautores edidiſſe conſtitutionem, quam Laertius Cherubinus Iuriſconſultiſſimus Romanus publicauit tom. 1. Bullarij primæ editionis, quæ eſt ſequens.

## *SIXTVS EPISCOPVS SERVVS*

*Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*CVM prouida Sanctorum Patrum decreta eos ſacrilegos eſſe diffiniant, qui Eccleſias & loca ſacra, Altiſſimo dedicata, deuaſtant, ipſorùmque diripiunt ornamenta; Sicut & illos, qui de ſacro ſacrum auferre impia temeritate præſumunt, parique vtrumq; flagitium ac duplici pœna coerceant, decet meritò,*

*Nos*

*Nos, cui eccleſiarum omnium cura, diſpoſitione ſuperna commiſſa eſt, pro deteſtatione tanti criminis, pròque ſtatu proſpero, venuſtate, & decore ipſarum eccleſiarum in ſua decentia debitè conſeruandis, omni vigilantia, & attentione curare, ne peruerſorum creſcente malitia, eędem eccleſiæ, & ſacra Dei templa præcipuè Almæ vrbis, noſtro conſpectui antepoſita, ſuis nudentur ornatibus, & huius ſceleris nequiſſimi patratores debitam recipiant vltionem.*

*Sanè fide dignorum relatibus, non ſine admiratione, ad noſtrum peruenit auditum, quòd nonnulli iniquitatis filij ſe inaniter chriſtianos eſſe profitentes, & à quorum oculis Dei timor, & reuerentia chriſtianæ religionis abſceſſit, de patriarchalibus, & alijs ſacratiſſimis eccleſijs, & baſilicis dictæ Vrbis porphyreticos, marmoreos, & alios diuerſorum generum, & colorum lapides, ad ipſarum vſum, decorem, & ornatum deputatos, auſu ſacrilego, abſtulerunt hactenus, & in dies auferre; eóſque ad diuerſa loca per ſe, vel alios aſportare pręſumunt, in grauem diuinæ Maieſtatis offenſam, eccleſiarum earumdem deformitatem, detrimentumq; animarum ſuarum, periculum, & ſcandalum plurimorum.*

*Nos igitur ſacrilegorum impios, & temerarios auſus huiuſmodi, quantum nobis ex Alto conceditur, reprimere cupientes; quamuis præmiſſorum occaſione nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum ſanctiones, & prohibitiones variæ emanauerint temporibus retroactis; quas (in eo dumtaxat, quod de eccleſiarum, & ſacrorum locorum ornamentis, atque lapidibus antedictis minime auferendis prohibent, vel diſponunt, ſeù illos, qui huiuſmodi flagitioſiſſimos, ac penè in chriſtiano orbe inauditos exceſſus perpetrare, & in his ſacrilegas manus inijcere præſumpſerunt, excommunica-*

*nicationis ſententia innodatos fore declarant) in ſuo robore volumus permanere; omnes & ſingulos cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, qui ex præfatis lapidibus, ſiuè alijs ornamentis earumdem eccleſiarum, ſiue Baſilicarum dictæ vrbis habuerint; aut in ſurripiendo, ſeruando, & retinendo auxilium præſtiterint, vel fauorem, niſi à die habitæ præſentium litterarum notitia, ea reſtituant cum effectu: ſcientes verò reuelent, & ad notitiam noſtram, ſaltèm per minores Pœnitentiarios noſtros, deduci faciant, maioris excommunicationis ſententia, à qua (niſi in mortis articulo, & debita ſatisfactione prætia) à nullo, præterquam à Romano Pontifice, abſolui poſſint, irretitos eſſe; Eccleſias verò, & loca alia, quorum vſibus & ornatui illa deputata fuerint, aut forſan (quod abſit) deputari contigerit in futurum, tamdiù Eccleſiaſtico interdicto ſubiacere quamdiu ad loca, vnde priùs ablata fuere, abſque diminutione aliqua, fuerint reportata: harum ſeriè declaramus.*

*Et inſuper quiſquis ſuæ ſalutis immemor ſacrilegij crimen huiuſmodi committere præſumpſerit in futurum, vltra cenſuras præfatas, Eccleſiæ, ſiue Baſilicæ à qua lapides, & ornamenta huiuſmodi abſtulerint, mediam libram auri pro recompenſa ſibi irrogatæ iniuriæ abſquè diminutione aliqua ſoluere teneatur.*

*Nulli ergò, &c noſtræ voluntatis & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicę milleſimo quadrigenteſimo ſeptuageſimo, ſeptimo id. Aprilis, Pontificatus noſtri anno 3.*

Poſtremò Cardinalem S. Onuphrij Papæ Prouicarium contra amouentes, vel ſubtrahentes lapides ſepulcrales à templis, ſanctionem pœnalem publicauit tenoris ſequentis.

# EDITTO

FR. ANTONIVS BARBERINVS
Miſeratione Diuina tit. Sancti Petri ad Vincula S.R.E. Presbyt. Cardinalis, S. Onuphrij nuncupatus, S.D.N. Papæ Prouicarius generalis, Romanæque Curiæ, eiuſque Diſtrictus Iudex Ordinarius, &c.

*ESſendoci ſtato preſuppoſto, che in alcune Chieſe, e luogij Pij contro ogni debito di giuſtitia, e pietà chriſtiana, ſiano ſtate leuate de fatto molte memorie, inſcrittioni, e lapidi, che li pij fedeli ſi ſono eretti per ſe ſteſſi, ò per mezzo de' loro heredi, e ſucceſſori in graue pregiuditio dell'antichità delle loro famiglie, e delli beneficij fatti, e da farſi all'iſteſſi.*

*E volendo Noi per il debito del noſtro offitio rimediare, e prouedere, che per l'auuenire non ſeguano tali diſordini. Con il preſente publico editto ordiniamo, e commandiamo à tutti Superiori di Chieſe, tanto ſecolari, quanto Regolari, che per l'auuenire non ardiſchino di muouere, nè far muouere quelle, che hoggi vi ſono, ſotto qualſiuoglia preteſto, ò colore, ſenza il conſenſo delle parti, e noſtra licenza in ſcritto, ſotto pena alli Regolari dell'vno, e l'altro ſeſſo, di priuatione di voce attiua, e paſſiua da incorrerſi ipſo facto, la reintegratione della quale riſeruiamo à noi; & à Preti Secolari ſotto pena di cento ſcudi, & altre pene à noſtro arbitrio.*

*Volendo, che il preſente Editto publicato, & affiſſo nelli ſoliti luoghi aſtringa tutti, come ſe li foſſe perſonalmente intimato. Dato in Roma li 2. d'Ottob. 1640.*

Io. B. Epiſc. Camerineñ. Viceſg.

## S. AEGIDII

### In Burgo

Ad Portam Angelicã. Eſt iuris Baſilicæ S. Petri.

### Trans Tiberim

Olim Sancto Laurentio martyri dicatum, & Capitulo S. Mariæ Tranſtiberim vnitum: fuit anno 1610. conceſſum ad inſtaurandum Auguſtino Lancellotto lanio & dicatum S. AEgidio, apud quod idem inſtituit moniales, quas bonorum ſuorum hæredes fecit. Erat in angulo huius monaſterij propè dictam Eccleſiam; ſed obtento per moniales templo SS. Criſpini, & Criſpiniani Artis Calceolariorum, veteri ſuppreſſo, hoc inſtaurarunt, & D. Mariæ de Monte Carmelo dicarunt.

## S. AGATHAE

### In Subura

Antiquitate illuſtre ad radices Montis Quirinalis; olim Gothorum Eccleſia; à Gregorio magno S. Agathæ, & Sebaſtiano conſecrata: A Cardinalibus Franciſco, & Antonio Barberinis inſtauratione nobilitata Eſt Diaconia Cardinalis ſub cura Monachorum Montis Virginis. de qua dixi in peculiari libello edito,

### Trans Tiberim

A Gregorio II. in domo propria Honeſtæ matris ædificatum: ſub cura Clericorum doctrinæ Chriſtianæ. Olim erat vnitum S. Chryſogoni templo.

## S. AGNETIS

### In Agone

A platea ſic dictum; Paruum, at celebre & venerabile. Hùc in fornicibus ducta S. Agnes. Hic impurus Præfecti filius ab eius caſtitate victus. Iacobus Grimaldus putat eſſe illud, quod Anaſtaſius Biblio-

checarius vocat, Ad duo Furna: Eſt Diaconia Cardinalis ſub cura Clericorum minorum. Præforibus extat Tabula marmorea dedicationis.

✠

ANNO DOMINI M C XXIII.
IND. I. MENSIS IANVARII DIE XXVIII.
HAEC ECCLESIA S. AGNAE DEDICATA EST
A DOMPNO CALLISTO II PP.
CVM REMISSIONE ANNVATIM IN D. DIE
VNIVS ANNI ET XL DIERVM.
HAE SVNT RELIQVIAE IN ALTARI POSITAE
SCILICET
INDVMENTVM QVOD ANGELVS DETVLIT
BEATAE AGNETI.
DE CAPILLIS ET VELO B MARIAE VIRGINIS
DENS APOSTOLI PAVLI
ET DE PANNO OCVLIS PRAEPOSITO
IN DECOLLATIONE EIVS.
BRACHIVM S. CALLISTI PP ET M. S.AGNETIS
S.EMERENTIANAE S.ANASTASII S EVSTACHII
DE BALTHEO S. GREGORII PP. TRYPHONIS
S. SEBASTIANI S. HERMETIS S.ALEXANDRI PP.
SANCTI CORNELII PAPAE.

## In Via Numentana.

In gentilitio Sanctæ Agnetis prædio, vbi parentes eius ſacrum corpus condiderunt, excitatum: tùm à Conſtantino, precibus ſuæ filiæ Conſtantiæ, ædificatum, Verùm quis fuerit hic Conſtantinus & hæc Conſtantia dubium videtur, ſtante varietate opinionum Cæſ. Card. Baronij in Annal an. 324. nu 108 & Bolandi in notationibus ad vitam huius Sanctæ. Habet valuas æneas,

æneas, columnas quattuordecim magnas, ſingulis alias paruas impoſitas. Inter magnas duæ ex alabaſtro, quibus maiores in Vrbe non vidimus. Lithoſtrotum ex marmore albi, viridis, & purpurei coloris. Sex candelabra antiqua, ex vicino S. Conſtantiæ templo translata, baſes habent trigonales, in quibus aues humana facie, capita arietum, pueri vuas decerpentes. Hìc ab exilio rediens Liberius Papa habitauit, qui S. Agnetis ſepulcrum marmoreis tabulis ornauit. Hoc Innocentius Baſilicæ titulo decorauit, & Presbyteris gubernandum, regendum, & ornandum tradidit. Hìc Bonifacius Papa Baptiſmũ Paſchæ celebrauit. Huius templi abſidam, omnèmque Baſilicam Symmachus Papa renouauit; Quam à ſolo reſtituerũt Honorius I. & Hadrianus. Hic Rothadus Sueſionicæ vrbis Epiſcopus libellum contra ſuos accuſatores Nicolao I. Pontifici tradidit, à quo coram omnibus fuit reſtitutus ad ſuum Epiſcopatum, quo eum priuauerat Hincmarus Remorum Archiepiſcopus. Paulus V. Pont. corpus S. Agnetis ſub ara maxima honorificentiùs recondidit, ara & ciborio magnificentiſſimis erectis. Eſt Abbatia curæ Canonicorum Regularium S. Saluatoris à Sixto IV. ann. 1499. aliò translatis monialibus, commiſſa. In dextera Naui.

*Hic iacet abrepta extremo funere coniunx,*
*Nomine Tecla mihi, quæ caro pectore viuens*
*Demiſt ceminum picnus ſi fata dediſſent*
*Crudeli tabe conſortem ſuſtulit vnum.*

*DEPOSITA III. KAL. DECEMBRIS.*

Item

*Hic requieſcit Reſtituta venerabilis abbatiſſa S. Agnetis*
*Virgo Deo dicat X. Kalend Septembris*
*M. CC. XLII.*

## S. ALEXII.

In Vico, aut monte Auentino, olim Herculis Victoris, ſatis pulchrum:poſtea templum S.Bonifacij, vbi S.Dei Genitricis Imago,ex Edeſſa allata, conſeruatur. Hic ſcala lignea, ſub quia in domo paterna diù delituit & obijt S. Alexius; olim fuit ſub cura monachorum Benedictinorum.Sub Bonifatio IX. Monaſterio præficitur Chriſtoforus Maro Card. poſt cuius obitum illud Baſilicæ Vaticanæ adiectum eſt. Nunc eſt ſub regimine monachornm S.Hieronymi. Sub Altari maiori ſunt corpora SS Bonifacij mart.& Alexij Confeſs. Aglaæ, & Hermetis mart.. Idem Altare templùmque vniuerſum nobili opere magnòque ſumptu perpoliuit Card à Balneo Titularis, puteùmque obſoletæ venerationis ornauit.

## S. AMBROSII

### De Maxima

In Regione S.Angeli prope Matthæiorum palatium, & forum Piſcarium. Iacobus Grimaldus putat eſſe illud, quod Anaſtaſius Bibliothecarius in Leone III. vocat S.Maria Ambroſij. A fundamentis illud ædificare cœperunt Moniales ordinis S. Benedicti: Idēque exiſtimamus, quod alibi dicitur S. Maria de Maxima. olim erat parochiale.

### Mediolanenſium

In Campo Martio in via Curſus. Eſt Oratorium, nationis Mediolanenſium, apud quod habetur eius hoſpitale pro infirmis.

## S. ANASTASIÆ

In radicibus mōtis Palatini ad Circum Max.antiquiſſimum à Damaſo, & Hilaro Pontificibus ornatum, cuius

cuius ſartatecta Leo III. nouiter reſtaurauit. Annis retroactis Card.Bernardus de ROYAS, & Sandoual Titularis frontem, & porticum ante illud conſtruxit, quã anno 1634. tempore bacchanalium, ventorum vi collapſam Vrbanus VIII. reſtaurauit. Eſt Titulus Presb. Card. & Canonicorum Collegiata. Huic templo proxima erat Ara Conſi ſubterranea, & templum Neptuni equeſtris.

## S. ANASTASII

### Ad Aquas Saluias

Religione celebre: In Villa ſic in Actis martyrum appellata. Creditur, à ſalientibus aquis locum fuiſſe dictum ad Aquas Saluias; ſeu ab aquis medicinalibus hic circumquaque emergentibus, quæ ægros ſaluos pręſtant. Olim S.Ioanni Baptiſtæ dicatum, vbi requieſcunt venerabiles reliquiæ S.Anaſtaſij.Incendio conſumptum Hadrianus Papa reſtaurauit. In proxima Capella ad tres fontes eſt locus martyrij S. Pauli, vbi eſt columna, ſuper quam S.Paulus decollatus fuit Eſt Abbatia commendata clerico ſeculari ſub regimine monachorum Ciſtercienſium Prouinciæ Tuſciæ. Vide plura infra VV. S.Maria Scala Cœli; & S.Paulus ad Aquas Saluias; & SS. Vinc.& Anaſt.

### Coquorum

In Regione Harenulæ ſupra Tiberim: antiquum à Societate Coquorum reſtitutum, & rectum,cum animarum cura. Olim in Piſcinula dicebatur; In media eccleſia hæc habentur epitaphia.

*D. O. M.*

*Fuimus in vita heroes, in funere vermes*
*Paſcimus,& merito pabs perit ipſa ſuo.*

*At, qui diuinis inhiabat ſpiritus aulis;*
*Has habet, & voto non perit ille ſuo.*

*CI. CVRIALES F. F. M. D. XLVIII.*

Aliud.

*IOANNI DE VALLE*
*Natione Gallo, Pauli III. P.M. Secretiori coquo, ſocietatis Coquorum Priori huius eccleſiæ vltimo Rectori eadem Societas benemeriti poſ Vixit ann. 55. obijt 11. Aprilis M. D. XLII.*

## Ad Fontem Triuij

Sub Quirinali; paruum antea; ſub cura fratrum S. Hieronymi, & parochiale; nunc à Card. Iulio Mazarino renouatum. Vide infra Verbo, S. Vincentius.

## S. ANDREAE

## Aquarenariorum

Vide S. Maria de Pace.

## In Cliuo Scauri

Antiquiſſimum, vbi S. Gregorius Monaſterium conſtruxit: paruum, ſed pulchrè ornatum ad S. Gregorij Vbi Honorius II. defunctus eſt. Vide infra Verbo, S. Gregorius.

## In Exquilijs

Dirutum apud S. Antonium, intrà proximi Xenodochij ambitum. Eius muri, & abſis muſiua à Simplicio Papa facta adhuc ſupereſt. Idem Catabarbaræ Patritiæ nuncupatur ab Anaſtaſio, qui tecta Leonē III. reſtauraſſe refert. A Grimaldo, in Auriſario appellatur.

## De Frattis

A ſepibus hortorum illic extantium appellatum.

Olim

Olim parochiale ex 57. ferè paruis familijs conſtans: Habebat cōtiguam domum, quæ dicebatur hoſpitalis quæ gratis pauperibus ad inhabitandum concedebatur. A Bubalorum familia ſumptuoſè cœptum cuius hæc extat inſcriptio ſupra maiorem portam.

*OCTAVIVS BVBALVS DE CANCELLARIIS*
*FIGHINI MARCHIO*
*Templum hoc SS Andreæ Apoſtolo, & Franciſco de Paula ſuæ familiæ Patronis exædificauit, ornauit, addixit*
*ANNO DOM. M. DC. XII.*

Eſt imperfectum; Parochiale; ſub cura fratrum Minimorum S Franciſci de Paula Exiſtimamus eſſe, quod alibi reperitur ſub vocabulo S. Andreæ inter hortos, & de Vrſis in Pincis.

## In Laterano

Paruum hoſpitalis infirmorum ſub cura Archiconfraternitatis nobilium Romanorum. Olim vocabatur SS. Andreas, & Bartholomæus Honorij; ab Honorio Papa ædificatum: Ab Hadriano Primo nouitèr extructum, de quo Bibliothecarius in eiſdem.

## In Mentuza

In radice montis Capitolini ad Turrim ſpeculorum. Olim Matutæ Appellatur etiam ad Funarios. olim erat Parochia. nunc eſt Confraternitatis lapicidarum. Ibi hoc eſt Epitaphium.

*D. O. M*

*Victorio Feſto de Aſpra* V I. *D. clerico Sabino, eccleſiæ huius Rectori, & reſtauratori. Eugenia mater & Ioannes, & Auguſtinus fratres, Lælius, Iulius iuriſconſulti, & Federicus Philoſophus nepotes, ex Ioan. fratre P. C. Vix an. XLI. m VIII. obijt 18. Decembris M. D. LXXII.*

Ad

## Ad Pontem Miluium

Paruum, occaſione capitis S. Andreæ Romam aduecti ædificatum. Eſt Archiconfraternitatis ſanctiſſimæ Trinitatis Conualeſcentium.

## In Portugallo

In Subura propè Amphitheatrum Veſpaſiani, & Hortos Cardinalis Lanfranci, tùm Cardinalis Pij; olim Buſta Gallica. Eſt confraternitatis Veſtiarorum, qui vulgò, Regattieri, vocantur. In eo olim fuit cura animarum.

## In Quirinali

Apud Domum probationis Societatis Ieſu. Dicebatur de Caballo. An. 1561 erat parochiale omnino deſertum, & deſolatum, & ſine populo. Ibi eſt corpus B. Stanislai CoſtKæ nobilis Poloni.

## De Scaphi

Trans Tiberim Societatis ſanctiſsimi Sacramenti eccleſiæ ſanctæ Cæciliæ, ni fallimur.

## De Valle

In Regione, vbi Domus familię Vallenſis, ſeù de Valle Ibi olim Theatrum Pompei; à clericis regularibus Theatinis intra Picolomineorum ædes cœptum ſumptibus Cardinalis Geſualdi: tum à Cardinale Alexandro Montalto magnificentiſsimè perfectum. Hinc paullò diſtans ſupra proximam cloacam erat antiqua Aedes S. Sebaſtiani, cognominata in via Papæ, cuius religio, ea ſolo æquata, Sixti V iuſſu, ſeruatur in ſumptuoſo familiæ Barberinæ ſacello. Templum eſt omni ex parte ſpectabile.

Propè Sacrarij fores.

D. O. M.

*Mentis eram hoſpitium, gelidì ſum marmoris hoſpes.*
*Mens dedit eſſe hominem, mors modo vertit humũ.*
*Hoſpitium mihi vita fuit, ſibi terra recepit*
*Omnia, mens tantùm quod bene geſſit habet.*

Aliud ibìdem.

D. O. M.

*Plura ſub exiguis clauduntur corpora ſaxis,*
*Et tamen in ſaxis clauditur hiſce nihil*
*Quid mortalis homo nihil eſt, nil clauditur ergò;*
*Sic nos mortales mors nihil eſſe monet*
*CAMILLA PELLEGRINA THOMAE BVSIO*
*VIRO BENEM. SIBIQ. MOERENS P.*
*A. S. M. DC. XXXIII.*

In Via Flaminia

Extra Vrbis moenia à Iulio III ædificatum, & vnitum S. Mariæ de Populo; parochiale.

S. ANGELI

In Burgo

Apud Arcem Hadriani, Societatis laicorum.

Cuſtodis

In Regione Triuij, Archiconfraternitatis Laicorum.

Ad Fornaces

Extra Burgi portam Fabricæ, à laterariorum Societate excitatum. Eſt Parochiale filiale Baſilicæ Vaticanæ.

DeMincinello

Alias de Mozarella, in Regione Pontis, apud montem Iordanum. Hodie à S.Iuliano, protectore Societatis laicorum ibi erectæ, vocatur S.Iuliani.

## In Piſcina

Apud quod nunc eſt forum Piſcarium,in ſummo Circo, ideſt,in capiti Circi Flaminij ( vt Iacobus Grimaldus m.s. de Canonicis Vat Baſilicæ interpretatus eſt in Leone III.) à Bonifacio Papa dedicatum, ſeù excitatum. Propè olim fuit Templum Bellonæ, vel, vt alicui placet, Mercurij, & coniuncta illi excelſa porticus poſt incendium reſtituta à Seuero, & Antonino Pio, vt inſcriptio teſtatur. Eſt Eccleſia Collegiata & Diaconia S. R. E. Card ab Andrea Card. Peretto in preſentem formam reſtituta.

## S. ANIANI

In Regione Ripæ,ſocietatis famulorum Sutorum.

## S. ANNAE

## Ad Funarios

In Regione Harenulæ, ſiue Areolæ, Monialium ordinis S. Benedicti, in quarum monaſterio an.1538. erat Aedes S.Saluatoris, vel, vt Grimaldo placet, S.Mariæ in Iulia.

## Parafrænariorum

Romanæ Curię,in Burgo Pio: frontiſpicium ex modulo architecti Vignolæ cœptum, ſed imperfectum

## In Quirinali

Excitatum anno 1608. vnà cum Monialium monaſterio à fratribus Diſcalceatis Carmelitanis.

## S. ANTONII

## Abbatis in Exquilijs

Ad celebres Hortos Cardinalis Montis alti, de quo etiam ſupra in S. Andrea; vnà cum infirmorum Hoſpitali erectum, & dotatum à Card. Capoccio Romano,

no, non inelegans, & ſpectabile: eſt ſub cura fratrum S. Antonij nationis Gallicanæ.

Eſt ibidem ad altare D. Antonij tabella appenſa cum imagine hominis ardentis depicta, cum hac inſcriptione.

*VIRESCIT VVLNERE VIRTVS*
*Marcus Brixianus miles, admota aræ D. Antonij manu, periurus vltore numinis igne correptus moritur.*
*IDIB. AVGVSTI AN. M. D. XXXVII.*

Contigit huiuſmodi miraculum, Paulo III. Pont. anno M. D. XXXVII. vt in tabella; eiuſdemq; meminerunt Pancirolus in Theſ. Vrbis primę ęditionis, & Tilmannus Bredembachius lib. 3. Sacrar. Collation. Illud fuſiùs deſcripſit Hieronymus Borgius electus Epiſcopus Maſſę Lubenſis carminibus, quę exſcripſi ex m. s. collectione carminum dicti Borgij exiſteñ. apud CL. V. Leonem Allatium; quę hęc ſunt.

*Miraculnm in Eſquilijs editum an. 1537.*

*Quis neget eſſe Deum? quis nunc ſine vindice pœna*
*Turpia committi crimina poſſe putet?*
*Paulus ad Eſquilias peditum dum cogeret agmen,*
*Roma Vrbs rem miram vidit, & obſtupuit.*
*Antoni pedites tres ignipotentis ad ædem*
*Stertebant ſomno nocte ſilente graui.*
*Horum vnus ſocio furatus denegat aurum,*
*At rabido teſtes aduocat ore Deos.*
*Cereus hinc ardens ſua cuique piacula fecit;*
*Atque ita fur ſoluit perfidus ora prior.*
*Sic mihi, ſi merui, corpus ſacer hauriat ignis,*
*Ardet vt hic rapido cereus igne, precor.*
*Nec mora: corripuit ſacer ignis viſcera ſontis,*
*Fumit & ardenti corpore dirus odor.*
*Ambuſtâmque Caron animam, taboq; fluentem*
*Traijcere horreſcens ex Acheronte fugat.*

*Nuno*

*Nunc vmbra infelix buſtum circumuolat atrum*
*Ac vano gemitu Numina læſa rogat.*
*O ſi alij vltores Dij tales ſontibus eſſent,*
*Auderent homines parciùs omne nefas.*

De eodem eiuſdem

*Aurum furatus iurauit miles ad aram*
*Antoni, ſocio ſurripuiſſe nihil.*
*Confeſtim ſacer ignis edit miſerabile corpus*
*Furis, & aſtantes territat aſper odor.*
*O felix genus humanum, ſi ſumere pœnas*
*Aſpiceret ſubitas gens ſcelerata Deos.*

E conſpectu Eccleſiæ in memoriam ( vt Seb. Conradus in Itinerario trium germanorum adoleſcentum) reconciliationis Henrici IV. Galliæ,& Nauarræ Regis; eſt ſupra baſim pyramis graniti lapidis erecta ſemirotunda, in cuius vertice Crux aurata extat; & verſus S.Antonij, Chriſti eidem affixi imago;à tergo autem,B. Virgo radiato corpore lunam bicornem pedibus premens,nobili ciborio operta; ſupra portam Eccleſiæ, hæc eſt inſcriptio.

D. PETRVS CARD CAPOCCIVS
MANDAVIT CONSTRVI HOSPITALE
IN LOCO ISTO, ET DD. OTHO EPISCOPVS
TVSCVLANVS, ET IOANNES CAIETANVS
CARDINALES EXEQVVTORES FIERI
FECERVNT PRO ANIMA D PETRI CAPOCCII.

Plura de d. Petri Capoccij rebus geſtis, & huius hoſpitalis erectione ſcripſi in notis noui operis Ciaconiani de Pontificibus, & Cardinalibus.

In conſtitutione Pontificia, quæ incipit. *Etſi ex iniuncto.* à Pontifice deputatur quidam frater Sanguineus Magiſter, & Rector, cui iniungitur, quod ſubdit ibi Pontifex,his verbis.

*Volumus autem, quòd omnes fratres, & ſorores, ac*

*oblati, & oblatæ, quos, vel quas in eodem hoſpitali S. Andreæ admitti contigerit, tibi, tuiſque ſucceſſoribus obedientiam, & reuerentiam expreſsè promittant; quòdque tu, & ipſi in caſtitate, & ſine proprio viuetis in perpetuum; ac inſtituta, quæ Venerabilis frater noſter Tuſculanus Epiſcopus, & dil. fil. noſter S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis per ſe, vel aliũ in hoſpitali pręſato prouiderint ſtatuenda, fauente diuina clementia, ſtudebitis inuiolabiliter obſeruare.* Ex primo lib. formularij Marini de Ebolo p. 258. Cæterum Franciſcus Schottus in Itinerario ſic ſcribit: *Adiacet illi Hoſpitalis domus à Pio IV. Mediolanenſe Pont. Max. inſtaurata.*

## In Auguſta.

In via curſus recens, & magnificum fratrum Eremitarum S. Auguſtini Diſcalceatorum.

## Luſitanorum.

In regione Campi Martij in loco, qui à publica taberna, vulgò dicitur, la Scrofa. Paruum, & imperfectum; ſed elegans & Doctoris Nauarri ſepultura celebre. Regitur à Luſitana Natione.

## S. APOLLINARIS

Propè Turrim Sanguineam, non longè à S. Auguſtino. Olim Apollinis ſecundùm Blondum S. Apollinari mar. & Præſuli Rauennateñ. ab Hadriano Primo dicatum, vt, nominis ſimilitudine, memoriam idolorum confúderet, vt ſcribit Io. Tortelius, Verbo, Circus.

Eſt Parochiale, & olim erat etiam Collegiatum: nunc eſt Collegij Germanorum, & Vngarorum ſub regimine Patrum Societatis Ieſu. An. 1647. illuſtratur Imagine B. M. Virginis miraculis inſigni, de qua Odoardus Ceccarellus in libello italicè edito Romæ.

S. APOLLONIAE

De oliua, in Regione trans Tiberim Monialium Ordinis Sancti Franciſci.

SS. APOSTOLORVM

In Regione Triuij, prope ædes Columnenſium, valdè magnificum à Pelagio Papa initiatum; à Ioanne III. perſectum, & dicatum SS. Philippo, & Iacobo Apoſtolis, quorum corpora hic requieſcunt. Eius porticum à Paulo Primo cœptam, Hadrianus Primus renouauit, & Abſidam ruinoſam confirmauit. Quadriporticum Leo III renouauit. Hoc quamplurimis Sanctorum reliquijs Stephanus VI. ditauit. Iulius II. penè collabentem Aedem reſtituit, porticum præ foribus fornicatam poſuit. Incolunt fratres Conuentuales S. Franciſci, ex gratia Card. Beſſarionis, qui Canonicos amouit, & eſt Titulus Cardinalis.

Hæc ſelegi Epitaphia.

EVANGELISTAE BONSENIORIO.

*Laurentia marito concordiſſimo, & liberi nouem Bonſeniorij Patri optimo poſſ Vix. an. 65. m. 8. d. 6. An. Chriſti 1483. 15. Cal. Octobris hora 15. obijt.*

*Viue diù quicumque potes, nos viximus olim,*
*Fortunàmque ſuam vita ſecunda tulit.*
*Vrbs mihi natalem, gens Bonſeniora nomen,*
*Cuius quicquid habet muneris illa dedit.*
*Pignora cara nouem, & rarum ſanctiſſima Coniux*
*Frigida preſſerunt lumina, lector, Aue.*

Aliud.

*Gentilis tumulo iacet hoc Laurentia, ſecum & ſimplicitas, mores, gratia, forma, fides.*

Monumenta ad fauorem huius Baſilicę lubet aſſuere, quæ exſcripſimus ex Cod. Bib Vaticanæ 5560.

*G Volaterranus Apoſtolicæ Sedis Protonot. & Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Vicariuspro B. Epiſcopo Tus-*

*Tuſculano eiuſdem Commendatario hæc ſcribit anno 1454.*

*Conſtantinus Imperator - - - - Baſilicam duodecim Apoſtolorum in media vrbe, vbi nunc eſt Atrium præſentis eccleſiæ iuxtà viam, non tamen paruę quantitatis, ſicuti ſemirupti arcus, & parietes in fronte præſentis eccleſię, & ampliſſimi poſtes, & ſpatioſa ſuperliminaria, ac pauimenta ſepulta oſtendunt, deuotiſſimè fabricauit, & dedicari rogauit. Et in atrio ante ingreſſum eius marmoreos gradus Palatij di maſſa vnius marmoris; nec non & calicem marmoreum ad ornatum Baſilicæ collocauit. Deinde, Bizantium ſecedente, Palatium ſuum, quod Romæ habebat, nihilominus inſignia Imperialia Romano Pontifici perpetuo iure conceſſit: Ad cuius curiam Romani ciues velut domeſtici, & familiares, vel potius conſanguinei frequenter abeuntes honorabantur, & ab his, quæ facere volebant illis in partibus non ambigebantur. Vnde contigit, vt ex mandato B. Helenæ Hieropolim Phrygiæ vrbem proficiſcentes, corpùſque Philippi Apoſtoli inde ſumentes, lætabundi Romam adduxerunt, & in Eccleſia B. Petri commendauerunt. Iiſdem ferè temporibus nautici viri de ciuitate Formia Hieroſolymam tranſmeantes corpus B. Iacobi Apoſtoli iuxtà templum Dominici (ſic B. Hieronymus refert) ſepultum, de ſepulcro callidè educentes ad ciuitatem ſuam Formiam tranſtulerunt, & illic honorificè recondientes impoſuerunt loculo eius titulum ſic dicentem.*

*HIC REQVIESCIT IACOBVS APOSTOLVS FRATER DOMINI.*

*Qualiter verò præfata ciuitas Formia poſtea deſtructa fuerit, certum non habemus. Reſtat tamen dicendum à quibus præſens Baſilica rurſus à fundamentis miræ longitudinis, latitudinis, & altitudinis iuxta vete-*

*veterem ſit ædificata, & in meliorem ſitum tranſmutata.*

*Succeſſit quidem Pelagius Primus,* * *qui vigeſimus nonus à B. Silueſtro Romanæ Eccleſiæ cathedram tenens, tempore Iuſtiniani imperatoris, cum Narſus Patricius ad gubernandam Remp. Romę reſideret, nouam Baſilicam duodecim Apoſtolorum ædificauit, & ab ortu Solis abſidiam conuertens in ſimilitudinem crucis fabricam eius bracchiatam largiſſimè inchoauit, quod primus verſus in abſidia eius declarat dicens,*

*Hic prior Antiſtes veſtigia parua reliquit.*

*Ingrediente autem S. Pelagio viam vniuerſæ carnis, ſucceſſit ei Papa Ioannes Tertius, qui, quod Pelagius ſe incepit, pleniter, & largiter ipſe perfecit. Quod ſecundus verſus in Abſidia ſic denotat dicens*

*Suppleuit cœterum Papa Ioannes opus.*

*Et in maiori ſuperliminari parte eccleſię huiuſmodi verſus exarati ſunt.*

*Pelagius cœpit, compleuit Papa Ioannes*
*Vnus opus amborum par micat & meritum.*

*Ad hanc autem Baſilicam efficaciter explendam præfatus Narſus Patricius columnas, & lapides Traiani Palatij, quotquot neceſſarios haberet, conceſſit; præcelſam quoque columnam coclidem eiuſdem Palatij hiſtoriatam cum circuitu ſuo ad honorem, & vtilitatem ſurgentis Baſilicæ Apoſtolorum perpetuo iure condonauit, & incolumen conſeruandam commendauit. Deindè cum Romana Vrbs per Imperatorē tunc & Patricium eius magnæ reuerentiæ, & timori tunc haberetur, per manum tamen validam corpus B. Iacobi Apoſtoli Romam fecit adduci de præfata ciuitate Formiæ. Sic demùm in Baſilica Duodecim Apoſtolorum vtriuſque Apoſtoli corpora decenti cum honore recondiuit, & in Kal. Maij in honorem duodecim*

*Apoſtolorum eccleſiam [b] conſecrauit, & inter reliquos Titulos Vrbis priuilegiauit, & honorauit, atque, in quibuſdam dignitatibus, Patriarchalibus eccleſijs coequauit. Sanè hanc translationem Apoſtolorum, etſi per alias traditiones, & inditia eorum corpora in Baſilica pręfata XII. Apoſtolorum perſiſtere non dubitaremus, potius tamen D. Petrus Aegidij induſtrius vir, & venerabilis monachus Caſinenſis monaſterij in præfata translatione Apoſtolorum, nos corroborauit, & confirmauit. Aſſeruit namque nobis quomodo præfata corpora Apoſtolorum eo, quo diximus, modo Romam adducta ſunt, ſicut in libro Antiquitatum apud Neapolim nobilem ciuitatem reperit & in Baſilica duodecim Apoſtolorum, quæ eſt in media Vrbe cum iucunditate, & magna reuerentia ſunt locata.*

*Euoluto autem tempore multo, ſuſcepit Romanam cathedram Stephanus V. [c] Papa, qui in ordine Pontificum à Ioãne Tertio, conditore ſæpe dictæ Baſilicæ, eſt quinquageſimus primus: Hic Baſilicam duodecim Apoſtolorum ruinæ proximam, quaſi à fundamento reædificauit, depinxit, atque conſtruxit; Corpùſque B. Eugeniæ Virg. & Mart. integrum, nec non matris ſuæ Claudiæ cum multis alijs martyribus in Baſilicam duodecim Apoſtolorum adduxit, quorum nomina ſunt,*

*Bonus, Fauſtus, Maurus, Calumnioſus, Ioannes, Exuperantius, Primitiuus, Cyrillus, Honoratus, Theodoſius, Iouinus, Baſileus, ſicut ſimul omnes in vna eccleſia fuerant cum B. Eugenia: ad eccleſiam Apoſtolorum ſunt translati, quos omnes in latere eccleſiæ ad auſtralem partem in conca porphyretica recondiuit. Ipſe quidem magnam partem inuentorum martyrum in hanc eandem Baſilicam Chryſanthi, Daria,*

riæ, & aliorum martyrum,præ alijs titulis, tradidit. Non autem credimus fore neceſſe ſcribendi vobis, quomodo corpus B Sauini ſimiliter & in alia conca porphyretica in alio latere eiuſdem eccleſiæ cum colobio B.Thomę Apoſtoli, vnde, veteri conſuetudine tradita eſt ſtatio ibi in feſtiuitate B.Thomæ Apoſtoli, & ſacris pignoribus B.Clementis ſit reconditum, atq; in eodem Altari ſacratum. Hoc etiam ipſa pictura parietis teſtatur, & ipſum Altare antiquitùs Clementis vocabatur. Sed poſtquam corpus B.Sauini ibi appoſitum eſt, neglecto nomine Clementis, retinuit nomen Sauini. Sciendum autem eſt, quia in Altari maiori prȩter illa duo pretioſa corpora prædictorum duorum Apoſtolorum, aliorum quoque ſingulorum Apoſtolorum pars ibi recondita eſt; propter quod vocata eſt Baſilica duodecim Apoſtolorum. Rutilans etiam diuerſorum Martyrum copia nihilominus Reliquiarum ibidem poſita eſt. Laudemus igitur Dominum, quòd iſtis ſanctis Pontificibus tale, tantumq; opus dederit incipere, & conſummare; & ipſi rogemus Dominum, vt det nobis opere perſeuerare, vnde perpetuam gloriam cum ſanctis omnibus mereamur acceptare. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Honorius Papa II. in conſt. quæ incipit, Quoniam Dat. anno Dom. 1127. Pontif. ſui 3. comprobat iudicium, & decretum Rectorum Fraternitatis maioris de dignitate Crucis eiuſdem fraternitatis circa eccleſiam S. Marci pro eccleſia Duodecim Apoſtolorum.

Alexander Papa III. conceſſit ſtationem in feſto ſancti Iacobi Maioris in conſt. Attendentes. Dat. Anagniæ 17. Kal. Auguſti his verbis.

Stationem Eccleſiæ veſtrȩ (duodecim Apoſtolorum)

*quę quinta feria infra octauam Pentecoſten annuatim fieri conſueuit, ad preces veſtras, & inſtantiam dilecti filij Gregorij Subdiaconi noſtri in diem feſtiuitatis B. Iacobi Maioris de communi fratrum noſtrorum conſilio commutamus auctoritate Apoſtolica. Statuentes, vt Statio ipſa, ſicut hactenus proxima quinta feria poſt feſtum Pentecoſten in eccleſia veſtra fieri conſueuit, ita etiam in feſto B. Iacobi in eadem eccleſia ſolemniter fieri debeat, & deuotè, &c.*

*Idem mandat Primicerio, & clericis ſcholę cantorum, quatenus de cętero in feſto B. Iacobi ſtationem in præſcripta eccleſia (ſunt verba Bullæ) occaſione, & excuſatione poſtpoſita cum ea, qua conuenit deuotione ac reuerentia, annis ſingulis faciant, in conſt. Apoſtolica Sedes. Dat. Anagniæ 17. Kal. Aug.*

*Alexander Papa IV. Indulgentiam vnius anni, & 40. dierum conceſſit his verbis.*

*Omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad d. baſilicam in feſto Apoſtolorum dictorum Philippi & Iacobi, & duobus diebus ſequentibus cauſa deuotionis acceſſerint, annuatim vnum annum & 40. dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Dat Laterani 8. Idus Maij pontificatus noſtri an. 3*

*Honorius IV. litteris directis Cardinali Archipresbytero, & Capitulo Baſilicæ duodecim Apoſtolorum datis Laterani 3. id. Nouembris pontificatus ſui an. 1 reducit Capitulum ad duodecim canonicos.*

*Gregorius IX. idem ad numerum denarium reduxit in conſt. Iuſtis. dat. Laterani 3. id. Octobris Pont. ſui an. 4.*

*Innocentius IV. ad numerum octonarium conſt Expoſita Dat. Anagniæ 10. Kal. Septembris pontificatus ſui an. 12.*

*Eugenius IV, ad numerum quaternarium conſt. Dum ad perſonam. Dat Romæ apud S.Petrum Anno Incarnat. 1443. xi. Kal. Martij. Pontificatus ſui anno 13.*

Eccleſiæ ſuppoſitæ olim Titulo Baſilicæ duodecim Apoſtolorum erant infraſcriptæ.

*Eccleſia S.Athanaſij pro medietate cum cura in regione Triuij.*

*Eccleſia cũ cura S.Nicolai de Porcis in regione Triuij.*

*Eccleſia S.Nicolai ad Columnam Traiani cum cura in regione montium.*

*Eccleſia S.Laurentij in via Bibaretica in regione montium.*

*Eccleſia ſancti Abbacyri collegiata in via Bibaretica in reg. montium. Hanc conceſſit Anacletus Papa II. Baſilicę duodecim Apoſtolorum an. Incarn. 1130. 8.Kal.Maij Pont. primo in conſt. Vniuerſos.*

*Eccleſia S. Mariæ in Campo Carleo cum cura in regione montium.*

*Eccleſia ſancti Silueſtri de Arcioninis in regione montium.*

Confinia Parochię aſſignatæ à Ioanne Papa III. in ſupracit. conſt. Quoniam.

*A via, vbi eſt [d] calix marmoreus : & lapis marmoreus magnus in gradibus excauatus cum omnibus domibus ante ſe; & inde itur iuxta eccleſiã Sancti Marcelli, & declinatur ad læuam ante eccleſiam S.Mariæ, quæ eſt in Via lata; & inde recto itinere producitur per viam, quæ eſt ſub monte [e] Tarpeio vſque ad arcum Blagentariorum [f] (fortè legendum, Argentariorum) & indè itur in viam ad læuam per viam ſecus hortum qui dicitur Mirabilis; [g] atq; per ſcalam mortuorum fit aſcenſus per canam montis vſque ante caballos mar-*

*moreos recta via; ac inde vertitur ante arcum Pacis: Deinde ad dexteram extenditur iuxta latus montis ſuper catricam,*[i] *& exinde deriuatur per calicem*[l] *mõtis vſq; ad hortum Veneris;*[m] *& deinde itur in viam Salariam*[n] *& exitur in Pincianam. Deinde deſcenditur per ſilicem,*[o] *& fit tranſitus ſuper formam Virginem*[p] *iuxta monumentũ;*[q] *& deinde conuertitur citra eandem formam continuò vſque illuc, vbi dicitur, Cannella*[r] *eiuſdem formę; & exinde recolligitur per viculum capralicum cum inſula & caſis ex vtroque latere via ad prefatum calicem marmoreum, & lapidem in gradibus excauatum.*

Hæc confinia ſic modò deſcriberemus. A via, quæ à Palatio DD. de Mutis producitur ad Curſum ante S. Marię in Via lata: quæq; declinat ante eandem verſus Palatium Aldobrandinorum, & S. Marci vſque ad locum, qui dicitur vulgò, Macello de Corui: Tùm pergit ad radices Montis Capitolini vſque ad S. Laurentiolum: inde ad viam retro Eccleſiam S. Martinæ, vſque aliam Pantanorum, vt aiunt; & ſecus eamdem pergit per forum Neruæ verſus S. Mariam de Montibus vſque ad S. Saluatorem: hinc aſcendit ad læuam per Burgum S. Agathæ, tum ante hanc vſque ad Sanctum Silueſtrum Theatinorum. Poſtea declinans à dexteris rectà per Quirinalem verſus Portam Piam, vſque ad viam, quæ tendit ad Salariam Portam; hinc ad Pincianam, vnde interſecans Hortos Mediceos deſcendebat per viam ſilicatam ſupra, & vltra formam Aquæ Virginis, vbi terminatur platea Ambaſiatoris Hiſpanici è conſpectu S. Caroli Mediolanenſium, vbi ſtat Mauſoleum Auguſti: Deinde conuertebatur ad, & citra eamdem formam ante Palatium dicti Ambaſiatoris, & recta ad Palatium Cardinalis Carpinei, vbi eſt emiſſarium, ab imperitis

Cannella, dictum, Aquæ Virginis: exinde recolligebatur per viculum, qui noſtris temporibus eſt inter monaſterium ſancti Iacobi de Morattis, & aliud Virginum, redeundo ad Palatium DD. de Mutis.

Anno ſal. 1463. die 15. Iulij Conuentus cum baſilica SS. XII. Apoſtolorum fuit aſſignatus Fratribus Conuentualibus D. Franciſci, vt P. Mag. Petrus Rodulphus à Tauſiniano adnotauit ex antiquo exemplari manuſcripto.

## Notæ ad ſupradicta monumenta

a *Pelagius I.*] Hoc fatetur Ioannes Tertius in conſtit. *Quoniam primitiuam*. Data menſe Maio die 3. per manus Petri Epiſcopi Cancellarij Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſic præ cæteris. *Placuit mihi Ioanni Vrbis Romæ humillimo Pontifici eccleſiam duodecim Apoſtolorum conſummare, quam Pelagius Papa bon. mem. Prædeceſſor meus ante Palatium Conſtantij initiauit, ſed morte preuentus inchoatam reliquit.*

b *Conſecrauit.*] Conſtat ex cit. bulla Ioannis III. ſic *Hanc etiam & in natali Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, quod eſt in Kal. Maij ad honorem omniũ Apoſtolorum decenter dedicatam Titulum Cardinalem illam conſtituimus, nec non Parochiam ſicut Tituli alij vrbis habent --- deliberamus &c.* & infra. *Inſuper ex ſacro noſtro Veſtiario hæc donaria contulimus, videlicet, crucem vnã aureã penſantem libras ſex; Calicem vnum penſantem libras duas. Calices duos penſantes libras quattuor. Veſtes quoque ſericas cum albis & auro contextas quatuor. Libris etiam multis, ac varijs eam adornare curauimus.*

c *Stephanus V.*] Huius Stephani ædificationem recitat etiam Laur. Surius in inuentione S. Diodori in menſe Martio.

d *Calix marmoreus*] Vas iſtud eſt in primo atrio mo-

monaſterij fratrum Conuentualium ſanctorum Apoſtolorum.

e *Sub monte Tarpeio* ] Id eſt ad Macellum coruorum.

f *Elagentariorum* ] Paullò vltra Sanctum Laurentiolum.

g *Hortum,qui dicitur mirabilis* ] Erat retro eccleſias Sanctæ Martinæ, & Sancti Hadriani.

h *Scalam mortuorum.* ] Nunc dicitur Burgus S.Agathæ Gothorum.

i *Catricam* ] Id eſt, vbi erat mons cum templo Clatræ imminens Regioni, & fonti Triuij, vbi erat Palatium, & vinea Oliuerij Caraſę Cardinalis Neap.

l *Calicem montis* ] Id eſt,per extremitatem montis; videlicet inter montem & vallem Quirinalem.

m *Hortum Veneris.* ] Fortè ad Hortam, ſiue Hortenſem Venerem, cuius Aedes erat ad Portam Collinam à Pio IV. clauſam.

n *In Salariam, & Pincianam* ] Ex Portis notiſſimę viæ.

o *Per Silicem* ] Id eſt per cliuum ſilice ſtratum.

p *Formam Virginem.* ] Aquæ Virginis.

q *Monumentum.* ] Mauſoleum Auguſti.

r *Cannella* ) Emiſſarium Aquę Virginis.

## ASCENSIONIS DOMINI

Paruum apud Portam Angelicam. Hodie ab Imagine B. Virginis Mariæ miraculis conſpicua, & anno 1588. Romam delata à quodam Albentio Calabro, vocatur S. Mariæ Portæ Angelicæ. Fratres Eremitæ hic conuiuunt, & pauperes peregrinos hoſpitalitate fouent.

## S. ATHANASII

In Regione Campi Martij in via Paulina, in loco, qui vulgò dicitur *Babuino* à deformis quadam figura Satyri

tyri fonti impoſita. Id Gregorius XIII. Pont. vnà cum Collegio ad Græcos iuuenes erudiendos ædificauit, cuius primum lapidem Iulius Card. Sanctorius benedixit, & in fundamentis poſuit 23. Nouembris 1580. Eſt ſub cura Societatis Ieſu.

## S. AVGVSTINI

In Campo Martio, ad quod aſcenditur gradibus marmoreis duodecim, à Card. Gulielmo Eſtouteuilla, maximis ſumptibus ædificatum; ac ditatum Imagine B. Mariæ Virginis dono data à quibuſdam græcis Conſtantinopolitanis, vt pluribus ſcripſit eloquentiſſimus Fr. Ambroſius Landuccius Auguſtinianus de Templo Sanctæ Mariæ Populi in Die 3. Ibidem in ornatiſſima capella requieſcit corpus S. Monicæ matris Sancti Auguſtini; nec non in alio altari corpora SS. Tryphonis, Reſpicij, & Nymphæ. Eſt ibi conuentus fratrum ordinis S. Auguſtini & Titulus Cardinalis.
In Altari S. Annæ, quæ eſt ex marmore manu Andreæ de Monte Sanſouino hæc extat inſcriptio.

IESV. DEO. FILIOQVE. MATRI. VIRGINI
ANNAE. AVIAE. MATERNAE.
*Ioannes Coricius ex Germanis Lucumburg. Prot. Apoſt. D.D D. perpetuo ſacrificio dotem, vaſa, veſtes, tribuit* 1512.

Inferiùs.

*Veſtra locum vt pietas aliquem poſt reddat in aſtris,*
*Has dedit in terris Coricius ſtatuas.*

In pauimento circumcirca Altare. A ſiniſtris.

*Locus Annæ ſacer, huc inſeratur nemo.*
*Secus qui faxit Diua tu vindicato.*

Ante.

*Bullam eſſe ſe qui exiſtimat, is demum ſapit,*
*Et qui ſtruendam locat oſſibus domum.*

Ade-

Adextris.

*Nemo cadauer inferat in ſacrum;*

*Qui aduerſus ierit ſentiet vltricem.*

In media naui ſub organo epitaphium legitur Angeli Roccæ, qui bibliothecam inſignem publico omnium vſui ibidem inſtituit.

D. O. M.

F. ANGELO ROCCÆ CAMERTI
ORDINIS EREMITARVM AVGVSTINIANOR.
EPISCOPO TAGASTENSI
ET
APOSTOLICI SACRARII SVB CLEMENTE VIII.
LEONE XI. ET PAVLO V. PONTT. MAXX.
PRAEFECTO.
Inſignis Bibliothecæ Angelicæ fundatori, ac liberaliſſimo largitori, viro eruditiſſimo, & de Auguſtiniana Religione optimè merito.
Piiſſimi Patres, ac fratres S. Auguſtini de Vrbe gratitudinis, & beneuolentiæ argumento Poſuere.
OBIIT ANNO SAL. M.D.CXX.
DIE VII. APRILIS AETATIS SVAE LXXV.

Aliud in minori naui prope anteriorem portam in pauimento:

*D. O. M.*

*Arguta puer hac quieſcit vrna*
*Parentes Hieronymum vocarunt*
*Infelix niſi certa vox Deorum*
*Non naſci, aut ſubitò mori probaret.*
*VIX. ANNOS. VI. MENS. I. DIES XXII.*
*OBIIT ID. SEPTEMBRIS MDXIX.*

Ibidem.

*Non-*

D. O. M. S.

*Nondum tricenos Carolus compleuerat annos,*
*Corſica cui patria eſt; Roccha ſuperba domus.*
*Qui toties inimica potens euaſerat arma,*
*Preſſerat hoſtiles, Marte fauente, manus.*
*Vrberatus tutum fore ſe, ceu fulminis ictu*
*Tormenti igniferi, proh dolor, acer obit.*

*OBIIT DIE XXIX. IANVARII AN. SAL. CHRISTIANAE M. CD. XX.*

Hic propè Altare S. Apolloniæ.

MARLIANI INSTAVRATORIS VRBIS S. QVI ALTARE FECIT, ET DOTAVIT.

Apud Altare Coriolani Catanei.

*Lilia dulciſonis iam cantibus æthera mulcens*
*Sandra ſub exiguo marmore muta iacet.*
*Dona dat hæc non tàm formæ, quàm laudis amator*
*Et dona tot fatis tàm citò rapta dolet.*

*VIX. AN. XXIII. OBIIT XIV. IANVARII M.CD.XCVI. EX PIETATE FIERI FECIT.*

S. BALBINAE

In Auentino iuxtà Viam Ardeatinam, pauimento teſſellato, vbi Thermæ fuerunt Antonini Caracallæ. A S. Gregorio conſecratum; à Leone III. inſtauratum. Dicebatur etiam ad S. Saluatorem, cuius imago in choro ſuprà Altare maius oſtenditur; ibi conditā ſunt corpora S. Balbinæ, S. Quirini, & duarum Virginum, quibus prænominata imago apparuit. Eſt iuris Baſilicæ Vaticanæ. Hic in pariete eſt nobile ſepulcrum, manu Ioannis fil. Magiſtri Coſmati elaboratum, cum hac inſcriptione.

*Hic iacet tumulatus D. Stephanus de Surdis*
*Domini Papæ Capellanus.*

In huius Templi porticu eſt labrum cum hoc epitaphio.

HAEC

HAEC EST SEPVLTVRA IOANNIS COSSAE DE VRBE DE REGIONE SS. LAVRENTII, ET DAMASI
CVIVS ANIMA BENEDICATVR

## S. BARBARAE
### Bibliopolarum

In Regione Parionis, qui ab eorum Patrono appellant hoc templum etiam S. Thomæ Aquinatis. Eſt ibi ſepulcrum Marci Antonij Nicodemij præſtantiſſimi medici cum hoc epitaphio.

*D. O. M.*
*LVDOVICAE CRASSAE CONIVGI*
*quę dum parere ſperat, abortiens obÿt. Abbię filio, qui ex cæſo vtero exemptus in Baptiſmo expirauit.*
*Vix. an. XXXXII.*
*M. ANTONIVS NICODEMIVS TIBVRS*
*art. & med. Doc. F. an. D. 1599. 8. Cal. Decembris.*

### In Cliuo Scauri

Oratorium apud S. Gregorium.

## S. BARTHOLOMAEI
### Bergomenſium

Paruum & elegans apud Seminarium Romanum: olim parochiale.

### Coriariorium

Seù Vaccinariorum in ipſorum vico. Olim Parochiale ſub inuocatione S. Stephani in Silice; nunc eſt ſocietatis laicorum Coriariorum Subactariorum.

### In Inſula

Olim Iouis. Altare maius ſuſtentatur quattuor colum-

lumnis ophitinis. Ibidem labrum porphyreticum, cui impoſita alba tabula marmorea pulcherrima. Intus S.Bartholomæi Apoſtoli corpus. ſpectabile. Paulus IV cum dictum S.Apoſtoli corpus inter ruinas ſui templi. ob inundationem collapſi, anno 1557. repertum fuiſſet, illud magna & ſolemni pompa ac ſupplicationibus in templum D. Petri comportandum curauit: quod poſtea Pius IV. reſtitui mandauit, vt vidi in inſtrumento conſignationis die 27. Iulij 1560 in Archiuo Vaticanæ Baſilicæ. Fruitur quoque ſacro Sancti Paulini Epiſcopi Nolani corpore. In horto Nauis, Aeſculapio poſita, è lapide Thaſio, longitudine pedum ſexaginta, in ea exculptus ſerpens, & caput bouis; quod inſigne Nauis fuit: Hoc refertur à G.F. Ignoramus, an ibi adhuc extet. A Cardd Tonto, & Treſcio inſtauratum, ornatùmque. Olim erat Collegiata, vt ex lapide ſepulcrali in eccleſia Sancti Iacobi in Septimiano. Eſt Titulus Cardinalis ſub cura fratrum minorum S.Franciſci de obſeruantia.

Supra altare maius Ciborio marmoreo.

*Anno Dom.* Incarnat. 1284 *mens.* Decembris *die* 29.
*Omnia ſanctus Callararius de Tederinis*
*fecit fieri hoc opus.*

Item in pariete.

*Flaminio Parnaſſo Conſentino* I.C. *qui dum æſtus leuandi gratia, loci inſolens in Tiberi inter Aelium Pontem, & Miluium extinctus eſt. Auria Parnaſ. ſoror, Alphonſus, & Hieronyma Maimoni cogn. P.C.*
*Vix.an* 21. *obijt* 9. *Kal* Iulij *an.*1588.
*Dum Tiberim placidis Parnaſsi comparat vndis*
*Flaminius rapido vortice merſus obit.*

Aliud in pauimento.

*Hic iacet Angelus de Riccis. Bonus homo fuit*
*Vix.an.*50. 1424.

## S. BASILII

### In Regione Montium

Prope forum Neruæ erat vetuſta pręceptoria S. Ioannis Hieroſolymitani conceſſa monialibus neophytis, à Iulia Columna nob. Romana fundatis in Regione Campitelli auctoritate Pij IV. hùc à Pio V. translatis Vide conſtitutiones dictorum Pontt. in Bullario veteri Laertij Cherubini.

## S. BENEDICTI

### Ad Catinarios

In Regione Arenulæ: exiſtimamus illud eſſe, quod alij appellant Tagliacotij. eundo verſus vicum Iudęorum à Campo Floræ. Paruum, & venuſtum ob recentem reparationem factam anno 1600. à ſuo Rectore.

### Ad Ciambellam

In Regione S Euſtachij. Eſt Oratorium Archiconfraternitatis Sanctorum Benedicti, & Scholaſticæ Laicorum in loco, à ſigno proximæ Tabernæ, ſic appellatum.

### In Piſcinula

Trans Tiberim eundo à pōte Fabricio verſus S. Cæciliam antiquiſſimum; S. Benedicti incolatu, vt dicitur, celebre. Eſt cum cura animarum ſub Rectore.

## S. BERNARDINVS

### In Regione Montium

Ad radices Collis Balneorum Pauli, è conſpectu D. Agathæ cognomento in Subura. Olim hoſpitium

S. Venerandæ; quod àd Monaſterium S. Laurentij in Perperna ſpectabat. Eſt pulchra ędicula monialium ordinis S.Claræ.

## S. BERNARDVS

### In Colle Viminali

Rotundum excitatum in vna, quam vulgò appellant. *Botte delle Terme Diocletiane* à fratribus S. Bernardi Fullieñ ordinis Ciſtercienſis. ſpectabile.

### Ad Columnam Traianam

Propè S.Mariam Lauretanam. Olim vnitum ſocietati presbyterorum de Vrbe in eccleſia S Luciæ ad apothecas obſcuras; tùm ſocietatis laicorum nunc translatæ ad S.Suſannę.

## S. BLASIVS

### De Cacabarijs

Quod à familia Romana ſic dictum, aliqui arbitrantur: credimus dicendum, de Caſa Marij. fuit D.Mariæ dicatum, licèt ſocietas Regatteriorum illud ſancti Blaſij appellet.

### In Campitello

Subtus cauam Capitolinam. Parochiale ſic in libris S.Viſitationis an.1575.

### De Fouca, ſiue Foſsa

Aliàs in Tribus vijs propè Sanctæ Mariæ de Pace. Parochiale.

### Montis citorij

In Campo Martio, vbi Pons, per quem citata Centuria introuocabatur in ſepta ad ferendum ſuffragium

Eſt

Eſt ſub cura Congregationis Clericorum de Somaſcha.

## De Pagnotta

Aliàs de Paneta in via, quæ olim dicebatur Florida; nunc à Iuliani Medicis palatio, Iulia. cognomen accepit, quòd die feſto S Blaſij panis clero diſtribuebatur. Parochia iuris Baſilicæ S Petri. Olim fuiſſe templum Neptuni ſcripſerũt Albertinus,& Marlianus, in quo ſeruati naufragio aquarum ſolebant pro voto, tabellas,naufragium ipſum pictum habentes, ponere: Erat antiqua Vrbis Abbatia vocata S.Blaſij inter Tiberim, & Pontem S.Petri.

In hoc templo hæc anno 1550. extabant carmina

*Hoc fuit inceptum renouari tempore templum*
*Vrbis Alexandri Romanæ Præſulis anni.*
*Annus erat eius duodenus, & ipſe ſecundus*
*Annus millenus geminus tunc ſeptuagenus;*
*Tempore,quo Verbum concepit Virgo supernum*
*Annus in Auguſto currebat menſe peruſto.*
*Sexta diadena & fuerat indictio dena.*
*Abbas Dominicus meritis, & nomine dignus*
*Hanc ædem cœpit, plenè compleuit & idem.*
*Hicque Crucis lignum poſuit venerabile dignum,*
*Et veſtem Diuæ Genitricis quippe Mariæ*
*Andreæ,S.Blaſij, Dariæque, Chryſanti.*
*Papæ Silueſtri, Dionyſij, nec non Seueri,*
*Honori,Stephani, Marci, Marcellique,*
*Tranquillini, Nicoſtrati,Cæſariſque,*
*Ac Aquilæ,Nerei, vel Achillei,*
*Vel Eraſmi,atque Catharinæ, ſeù Sanctorum quadraginta, S Cæciliæ*
*Priſcæ Zoëſque, Sophiæ.*
*Hæ ſunt Reliquiæ,quibus almus ſit locus iſte*
*Nec non multorum neſcimus nomina quorum.*

In Scalis

Prope gradus S.Mariæ de Ara Cœli.Parochiale ſub tit. collegiatæ eccleſiæ S.Marci; Dicitur etiam de Mercato.

S. BIBIANA

Prope Palatium Iicinij ab Olympina Flauiana ædificatum; à Simplicio Papa dedicatum; ab Honorio III. cum Monialium cœnobio refectum, & conſecratum: poſtremò ab Vrbano VIII. in præſentem formam reſtitutum, vt in inſcriptionibus à nobis allatis ad Ciaconium pag. 671. A. & ſeqq. Eſt Iuris Baſilicæ S.Mariæ Maioris, ibìque hoc præ cæteris eſt epitaphium.

HIC REQVIESCIT VENER. ET RELIGIOSA
D. VIVIANA DE SALVECTIS CIVIS ROMANA
ABBATISSA HVIVS VEN. MONASTERII.
ANNO D. M. CCCC. XXXV.
MENS. SEPTEMBRIS DIE XIII.

Pauimentum veteris Eccleſiæ ex marmore hanc habebat inſcriptionem.

✠

AD HONOREM SANCTI SIMPLICII
EGO EVFROSINA HVMILIS ABBATISSA
HOC OPVS FIERI IVSSI.

S. BONIFATII

In Auentino; Idem cum S.Alexij.

S. BONOSAE

Tranſtiberim prope S.Saluatorem de Curte.

S. BRIGIDAE

Aliàs Birgittæ in platea Ducis Parmæ, & Placentiæ in domo, ab eadem ſancta inhabitata, excitatum anno 1513. pro hoſpitale peregrinorum Gothorum ex

Regno

Regno Suetiæ , vt aſſerebatur tempore S. Viſitationis anni 1577. ad Vrbem Romam cauſa deuotionis confluentium . Deinde à Pio IV. cum nulli amplius Gothi ad vrbem venirent, vnitum eccleſiæ monialium Conuertitarum , vt vocant: Demùm à Pio V. ab illa ſeparatum & commiſſum Card. Vicario . In lateralibus parietibus hæ leguntur inſcriptiones.

*Hic deſignatur locus, in quo carne ſoluta*
*Migrat , & in tuta pia Brigida à ſede locatur.*
*M.C. ter & decies ſeptem tres Apollinarum*
*Hanc incepta dies cæleſtibus aduenit aris .*

Alia

*Hic Brigidæ caræ ſe ſe Chriſtus manifeſtans*
*Prædixit claræ vitę ſpatium breue reſtans*
*Quam blanda facie conſolans fortificauit ;*
*Hinc quintaq; die quę tranſeat inſinuauit*
*Aduenit ipſa dies , quæ ſacris mane refectam*
*Hanc, velut electam, colligit alma quies.*

## S. CAECILIAE

### In Campo Martio

Prope Mediceum palatium: antiquiſſimum S. Cæciliæ Oratorium , in quo legitur in cippo marmoreo.

HAEC EST DOMVS IN QVA ORABAT
S. CAECILIA

Et in eiuſdem cippi alio latere .

M. C. XXXI. CONSECRAVIT.

Eſt Societatis Culcitrariorum conceſſum anno 1525. à Capitulo S. Laur. in Lucina .

### In Monte Iordano

In Vico Parionis antiquiſſimum . Olim vocabatur de Saxo, & de Saſſo, vt aliqui credunt ; & de Turre Campi ; nec non Stephani de Petro ab eius palatio ,

& Turri. Altare ibi erat ſub Calliſto II. conſecratum vt in inſcriptione ſequentis tenoris olim ibi exiſtente.

*Anno milleſimò Dominicæ Incarnationis centeſimo vigeſimo tertio An. quinto Pontificatus* D. *Calliſti* II. *Papę, Indictione prima, menſ. Maij die* 8. *dedicatum eſt hoc Altare per manus Cinthij Epiſcopi Sabinenſis, recondiditque in eo reliquias Sanctorum, ſanctarumque Coſmę, & Damiani, Tryphonis & Reſpicij, Mamiliani Epiſcopi, Agapiti mar Arthemiæ Virg Nimphæ, Ciriacę Virg. & Mart. & aliorum ſanctorum:*

Eſt ſub cura Parochi, cuius & parochianorum eleemoſynis, velut paradiſus coruſcat: verùm nunc incidi in Conſt. Greg. XV. Cum ad vberes. 11. tom. 4. Bullarij qua idem congregationi Oratorij conceditur demoliendum, ita vt in Oratorio ab eadem Congregatione nouiter extruendo altare maius in honorem, & ſub inuocatione S. Cæciliæ ac S. Philippi Nerij erigatur, & iam deſtructum eſt.

## Trans Tiberim

Amplum, & ſpectabile, quatuor & viginti columnas, duobus ordinibus habens, pauimento vermiculato. Sepulcra in eo antiqua, & recentia: Ante templum ſcyphus ingens cum anſis duabus, qualis ille, qui erat ante SS Apoſtolos, modòque viſitur in cœnobij cauædio. Totum picturis illuſtribus exornatum, & maximę venerandum; tum quia propria Domus nobiliſſimæ Virginis Cæciliæ, in qua ipſa balnealibus flammis expoſita illibata perſtitit ſanitate; & capitis percuſſione eam martyrio conſecrauit; tum quia à S. Vrbano eidem dicata Dominam, & Patronam ſub Ara Maxima tanta veneratione conſeruat, Pauli Cardinalis Sfondrati munificentia, vt nil ſanctius, ſplen.

ſplendidiùsque deſiderari poſſit. A Paſchale I. conſecratum ad honorem Dei, eiuſque genitricis, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, B. Agathæ, & Cœciliæ anno D 300. cuius muſiua apſis adhuc perdurat. Hìc captus Vigilius PP. natalem Virginis celebrans, ductùſque Conſtantinopolim. Hìc Stephanus IV. in Pontificem electus. Hoc templum, quod Anaſtaſius vocat Cœmeterium reſtituit Gregorius III. Eſt ſub cura monialium ordinis Camaldulenſium. Eſt in templi, ſiniſtra parte ingredientibus, ſepulcrum Moſci Cardinalis, qui viuebat tempore Greg. III. an. 735. quod vix legi, præ antiquitate, poteſt, & eſt huiuſmodi.

SEPVLCRVM QVOD IN HANC AEDEM
Venerandæ Chriſti martyris Cæciliȩ ſitum eſt, in
quo & quieſcit in pace.
MOSCVS HVMILIS DIACONVS SANCTAE
SEDIS APOSTOLICAE.

Omnes expoſcens, vt pro me Dominum exoretis, quatenus eiuſdem Sacratiſſimæ Virginis interuenientibus cunctorum conſequi merear indulgentiam delictorum. Ibidem.

*Hac ſitus eſt vrna Magalottus, cerne viator,*
*Quot modò mors Romȩ publica damna tulit.*
*Hoc viuo pietas viuebat, iùſque fidèſque,*
*Hȩc tria nunc illo dona ſuperna vigent.*
*Hunc igitur ploret ſic patria Roma quotannis,*
*Vt ſuperum pietas, iùſque fidèſque gemunt.*
*M. D. XXXVIII.*

*Maura eius germana, huiùſque ædis Abbatiſſa poſt tumuli honores, oſſa Bononia aduehi, atque hic piè locari curauit.*

S. CAESAREI

In Palatio ab aliquibus dicitur: Vocatur Monaſterium Corſarum ab Anaſtaſio in Leone III. quod deſolatum

& ad ſecularem habitationem perductum, Leo IV. perfectius reſtaurauit, ancillarùmque Dei congregatione muniuit, monialibus S.Sixti temporis ſucceſſu vnitarum. A Nicolao Signorili dicitur, S. Cæſareus in Turri: Eſt parua picturis, & marmoribus perpolitis ſplendida eccleſia in hanc formam à Clem.VIII. Pontifice reſtituta; habètque præ foribus columnam erectam; Eſt Diaconia Cardinalis.

## S. CAII

Papæ in Quirinali ab ipſo in propria domo conſecratum; quod dirutum, ac hominum memoriæ ignotum Vrbanus VIII. PP. in eodẽ ſitu reſtituit, ac ſacro eius corpore ditauit. Plura de S.Caio eiuſque eccleſia Cæſar Becillus presb. congregationis Oratorij peculiari libello edito. Eſt ſub cura monachorum Fullienſium Ciſtercienſis ordinis.

## S. CALLISTI

Transtiberim; olim Pontiani domus, vbi adunabantur chriſtiani, perſecutionum tempore, ad pſallendum clauſis ianuis, quæ in antiquis Martyrum actis vocatur Cœnaculum: Hùc confugerunt SS. Marius, Martha, eorùmque filij, furente Claudij Imp. perſecutione. Hìc inter orantes inuentus S.Calliſtus Papa, tentus, & carceri mancipatus, vt fame periret: hic fuſtibus cæſus, tandèmque per feneſtram fuit præcipitatus, ligatòque ad eius collum ſaxo in puteum demerſus, qui adhuc ſeruatur, eiuſque aqua deuotionis cauſa bibitur. Eſt parua ſub cura monachorum Caſinenſium Aedicula, cui eſt annexum magnum eorundem monaſterium.

S. CA-

## S. CATHARINAE V. ET M.

### In Circo Flaminio

Immò in eius cauea erectum, vbi propter loci commoditatem, & areæ longitudinem funes conficiſolebant, ob idque ad Funarios cognominatum. Olim vocabatur S. Stephani, & S. Mariæ Domnæ Roſæ in Caſtello aureo, & in Palatinis, quod ob ingentes Circi ruinas caſtellum, & Palatium vulgus vocauit. Eſt apud Palatium DD. de Matthæis, & perelegans à Federico Card. Cęſio in hanc formam extructum; habètque Moniales, & pauperes puellas, quæ eleemoſynis aluntur, quarum domum F. Antonius Barberinus Card. S. Onuphrij, laxata via, ampliauit.

### De Rota

In platea S. Hieronymi de Charitate in Regione Arenulæ. Eſt Parochia filialis Baſilicæ S. Petri in Vaticano.

### In Vaticano.

Olim Monialium nobilium de Cauallerottis ordinis S. Benedicti. Huius monaſterij fuiſſe monialem S. Gallam Patritiam teſtatur Iacobus Grimaldus. ibique in eius felici tranſitu S. Petrum illi apparuiſſe, refert Ioſeph Matraia in hiſtoria S. Mariæ in Porticu libr. 1. cap. 1. Nunc eſt oratorium Archiconfraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti Baſilicæ Vaticanæ.

## S. CATHARINAE SENENSIS

### In Via Iulia

Nouum Confraternitatis laicorum Nationis Senenſis. Ibi præ cæteris legitur hoc epitaphium.

*D. O. M.*
*Ioanni Berto Raphaelis fil. à Monte Ilicinio*
*Sculptori, ſtatuario claro, & nemini ſuæ ętatis ſecũdo*
*Marcus Antonius fratri benemerenti Poſ.*
*Vix. ann. LXX. obijt die V. Maij M. D. XCI.*

## Ad Balnea Pauli

In ruinis Balneorum Pauli. in loco, qui vulgò dicitur *Bagnanapoli*, ædificatum à monialibus ordinis S. Dominici. Ibi eſt Turris.

## S. CAROLI.

## Ad Catinarios

Ex nocturno incendio in area patefacta excitatum à Clericis regularibus. Barnabitis, & Io. Baptiſtæ Card. Lenij magna impenſa perfectum, & inter eximia Romæ numerandum.

## Mediolanenſium

In Via Curſus magnificè cœptum, in quo hoc legi Epitaphium.

D. V. T.
*Io: Iacobo Mombello Papienſi*
*Illuſtri candore morum ſacerdoti, de huius templi fabrica, cui decem millia ſcutorum legauit egregie merito.*
*Archiconfraternitatis eiuſdem templi Prelati, Cuſtodes deputati, perpetuum grati animi monumentum extare voluerunt.*
*Obijt 1618 XIV. Kal Octobris.*

## Ad quatuor Fontes

Paruum, pulcherrimàque Equitis Franciſci Borromini icnographia, à Franciſco Cardinali Barberino excitatum Ordini SS. Trinitatis Redemptionis Captiuorum congregationis Diſcalceatę.

SS, CELSI, & IVLIANI

Obſcurum apud Pontem Aelium,in loco vulgò dicto *Banchi*. Habet Canonicos, & curam animarum.

CHRISTI

A magis adorati; Vide IESV infanti.

S. CHRYSOGONI

Trans Tiberim: Propè fuerunt olim Thermæ Seueri, ſecundum aliquos;pauimento eſt teſſellato, & columnas magnas quattuor, & viginti in duobus ordinibus habet, quibus circa Altare maius, ex vtraque parte aliæ ſunt additæ. à Gregorio III. reſtauratum, & ornatum; quod Titulus SS.Martyrum Stephani, Laurentij, atque Chryſogoni vocabatur; vbi Stephanus Papa IV. educatus fuit. A Ioanne de Crema Cardinale renouatum, eiuſque precibus dedicatum, vt in allatis inſcriptionibus in noſtris adnotationib.ad Ciac pag 464. D. & 483. C. & poſtremò à Scipione Card. Burgheſio laqueari, ciborio, alijſque notabilibus operibus ornatum. Eſt perpulchrum, & ſpectabile: regiturque à fratribus Carmelitanis congregationis Lombardiæ quorum Monaſterium doctiſſimorum virorum Hadriani,Bembi, & Alexandri S.R.E. Cardinalium incolatus reddidit celebre.

S. CLARAE

Recens in Regione S. Euſtachij; Monialium Ordinis S. Claræ.

S. CLAVDII

Archiepiſcopi Biſuntini, eſt paruum Nationis Burgundiæ. Paucis abhinc annis S. Baſilio excitatum propè templum S.Mariæ in Via.

In Monte Cœlio iuxta carinas in paterna domo excitatum; antiquiſſimum, visùque dignum, ſex columnas habens duobus ordinibus. Præ alijs duo ſepulcra marmorea habet, in quorum vno mœſta, & oculis fixis ſedet Philoſophia, cui clarum Solis ſplẽdorem manu dextera monſtrat Theologia. In hoc templo *Cęleſtius hęreticus viſus eſt palinodiam canere an* 417. *ſed cœterorum more, hæreticorum ſubdolè ſcilicet, ac vafrè: fallere etenim conatus Zoſimum Papam, damnari ab eo vti metuit, ita & meruit*. Sic Petreius in catalogo hæreticorum. Hic Paſchalis II electus in Pontificem. Ab Hadriano I. & Nicolao I Pont. reſtauratum. Poſtremò à Iacobo Thomaſio ex ſorore nepote Bonifacij VIII. muſiuo ornatum, vt Vgonius ſtat. 13. & Ciacon. in eius vita. Eſt in Via quę apud rerum eccleſiaſticarum ſcriptores vocatur Maior Regionis tertiæ. Hoc olim habebant Canonici; poſtea fratres S. Hieronymi, quibus ab Vrb. VIII extinctis, monaſterium fuit commendatum S. R. E. Cardinali, & Templum fratribus S. Dominici. Requieſcunt in eo corpora S Clementis Papæ, & Ignatij mart. Ibìque præ cæteris hæc extant epitaphia in pauimento maioris nauis ea parte, qua itur ad ſacrorum cuſtodiam.

*Quod perago, Clemens, Creſcentius excipe Sancte*
*Fèrque tui mihimet auxilium iugiter.*
*Vt te perpetuò teneam quo gaudia ſemper*
*Cardinalis ouans me tibi conſocians.*

Forſan eſt ille, quem refert Ciaconus pag 339. lit. A Card. 19.

Sub porticu propè portam maiorem in pariete in circulo marmoris rotundi.

HAC IACET ECCLESIA
CLEMENS SANCTISSIMVS AEQVOR
QVEM DIV CELAVIT
HVNC EGO CORDE PRECOR.

Hìc in pauimento.

*Iſtius Eccleſiæ ſpeculum, rectòrque beatus,*
*Qui fuit hoc tumulo mortuus, ecce iacet.*
*Mortuus ecce iacet mundo, ſed viuit in illo,*
*Qui nunquàm moritur, nec moriturus erit:*
*Ecce iacet Cleri ſpes, cuſtòſque pupilli*
*Pauperis auxilium cura benigna Dei.*
*Presbyter iſte quidem, Romanus nomine, cuius*
*Centenis annis vita beata fuit.*

In Horto fratrum in marmoreo grandi labro.

*† In me cognoſce qui perlegis, quam breue poſſe*
*Eſt hominis, potui dum qui es ipſe fui.*
*Amodo nil poſſum, quia tantùm puluis & os ſum;*
*Sic tu nil poteris quando ſepultus eris:*
*Gloria mundi, honor, eminentia, gratia, & opes*
*Nobilitas, robur, & delectatio, famam,*
*Gaudia, vel planctus, genus, & ſapientia, virt us,*
*Et furor, atque timor, tempus, audacia, pompa'*
*Dedecus. atque decor, plauſus, cognatio proles,*
*Et vigor, atque minę, confracta ſuperbia, peſtes,*
*Cunctàque prætereunt, prę ter amare Deum.*
*Sens grammaticale, genus, & copia rei.*
*Argentum, gens, affectio, prædia cunctam,*
*Tandem me mœſtum voluere linquere fato;*
*Nam placet ſic Chriſto, tumulo quod claudar in iſto.*
*Sufficit heu nudo, cui non ſuffecerat ædes*
*Magna, thorus latus, veſtis, nonnulla ſupellex;*
*Marmoris abſque thoro nudus hoc claudor in antro*

Cer-

*Ceruica cultra, fulcrum quoque, lintea deſunt.*
*Sunt mihi nulla toga, ſunt nec camiſia mecum;*
*Eſt commune mori, mors nulli parcit honori,*
*Et nec maiori, magno, paruoque merori.*
*Sunt tria quæ proſunt, te rectè viuere ſuadent.*
*Mors penſata diù, timor & deſpectio mundi.*

† SVPERIS. ESTO. LAVS.
QVO D. CLAVDITVR. HIC. NICOLAVS.
† BONI. SENIORE.
IVRIS. DECORATVS. HONORE.

S. CONSTANTIAE

Olim Bacchi, vt aliqui falsò arbitrantur: In Via Nomentana proximum S. Agnetis: eſt rotundum, & columnis duplicatis duodecim: nec vllæ videtur in fornice depictæ Bacchi res geſtæ, vt etiam falsò aliquis ſcripſit; ſed vitis, vuæque cum pueris illas comportantibus, & exprimentibus, quæ, quid ſignificent apud chriſtianos lege in Roma ſubterranea Boſij latinè edita tomo 2. lib. 6. cap. 45. In eodem templo eſt inſigne labrum porphyreticum, ſpectabilis operis, quod à ſacris Scriptoribus dicitur Mauſoleum S. Conſtantiæ. Quod vna cum templo credimus fuiſſe à S. Conſtantiæ patre, & fratribus fabricatum, vt legimus in cod. m s. S. Mariæ Vallicellæ, ſic Corpus (*B. Conſtantiæ*) in pretioſo labro porphyretico ſepultum eſt, & ibid ipſa à patre & fratribus Eccleſia columnis, & muſiuo, ac lapidibus decorata in eius honore fabricata eſt) Idem templum ab Hadriano Papa renouatum poſtremò à Fabritio Card. Verallo inſtauratum, & picturis ornatũ, & in fronte altaris hæc adeſt inſcriptio:

IN HOC ALTARI SVNT CORPORA
SS. VIRGINVM CONSTANTIAE ATTICAE
ET ARTEMIAE
DE CAPILLIS GLORIOSAE VIRG. MARIAE
PARTICVLA VESTIMENTORVM CHRISTI
RELIQVIAE D. SATVRNINI ET SISINNII.

## SS. COSMAE, & DAMIANI
### Barbitonſorum

In Regione S. Euſtachij in Vico Dominorum de Philonardis. Paruum Societatis Barbitonſorum vrbis.

### In Campo Vaccino

A Felice IV. Papa ædificatum. Olim Caſtoris, & Pollucis; vel, vt alij, Romuli, & Remi; quod olim non procul foro, ſecus viam, quæ ad Carinas ferebat, ſitum in loco obſcuro propter circumiecta ædificia, qui locus dicebatur, Sub Oliuis, conſtituit Halycarnaſſeus. Aedificium eſt in ingreſſu rotundum, quod creditur fuiſſe templum Vrbis Romæ, cuius fornicem vocat Anaſt. Bibliothecarius, Trullum, quem Sergius Papa plumbo muniuit; Ex hoc in aliud ingreditur oblongum, in cuius capite antiqua apſis operis vermiculati. Parietes laterales omnes ex ingentibus tiburtinis marmoribus, qui à fratribus tertij ordinis S. Franciſci huius monaſterij alienati vſui fuerũt fabricæ S. Ignatij fundatoris Ieſuitarum. Olim ad hoc aſcendebatur; tum noſtro ſeculo deſcendebatur nunc, fornice interpoſito, duo euaſerunt templa, ad quorum altius, & vſu frequentius aſcenditur per aliquot gradus. Ab Hadriano Papa renouatum fuit huiuſmodi templum, diaconalique cardinalitio titulo inſignitum. Sergius Papa ambonem, & ciborium fecit, Leo III. templum mirificè inſtaurauit. Ex eo

cor-

coactus ad Pontificatum euectus eſt Gregorius IV. Cæterum dicitur templum in Tribus foris, & corruptè Tribus Fatis, à tribus, vt creditur, Cæſaris, Auguſti, & Neruæ foris; ac in præſentem formam, & ſplendorem redactum ab Vrbano VIII. Pontifice.

Poſtremò templum maximam habet venerationem ob ſepulcra corporum S. Felicis Papæ, & mart. S. Tranquillini Presb. & SS. Marci, & Marcelliani martt. & aliarum reliquiarum, ac ob imaginem antiquiſſimam B. Mariæ Virg. quam allocutam fuiſſe D. Gregorium fidelium traditio teſtatur. Eſt Diaconia S. R. E. Cardinalis ſub cura fratrum tertij ordinis Sancti Franciſci.

## Tranſtiberim

Dicebatur S. Coſma in mica aurea, cortupto vocabulo Vici aurei. Olim hìc campus Codetanus, & Naumachia Auguſti. Tum templum SS. Coſmæ, & Damiani in Vico aureo & Abbatia ex 20. Vrbis. Vulgò S. Coſmati. Eſt picturis ornatum à Sixto IV. Pontifice fundatum, quòd inſcriptio in tranſuerſali portæ lapide indicat; anno Iubilei 1475. Viget hìc ordo monialium S. Claræ, charitate, & eleemoſynis conſpicuus, ſub cura fratrum Minorum Sanct. Franciſci de obſeruantia.

## S. CRVCIS

## In Cœlio monte

Cognomento in Hieruſalem, tribus nauibus, quæ à duodecim ingentibus columnis diſtinguuntur: inter Caſtrenſe Amphitheatrum, & Veneris, Cupidiniſq; templa ab Helena, Conſtantini matre, ſeù, vt alij volunt, à Conſtantino, matris precibus, ædificatum, & dotatum eo in loco, vbi fuit Palatium Seſtorij ciuis

Ro-

Romani, propter quod Baſilicā Seſſoriana, & corrupto vocabulo in Suſurrio ab aliquibus appellatur. Labrum pulchrum porphyreticum, cum tabula marmorea apud altare maius, ſupra quod ciborium nobile columnis, & columellis ornatum ab Hubaldo Card. Virdunenſi; Pauimentum teſſellatum, laquearia aurata: à S. Silueſtro conſecratum: à Gregorio II. & Hadriano I. reſtauratum: Apud id Gerardus Cardinalis, qui, poſtea creatus Pontifex Lucius II. dictus eſt, cœnobium, clauſtrùmque cum tabernis, & officinis, ac canonicorum ibi degentium cellis exædificauit. Eugenius etiam III. dicitur vetuſtas fabricas reparaſſe, & nouas excitaſſe. Sub Innocentio VIII Pontifice Petrus Gundiſaluus de Mendoza tectum, & apſidem templi inſtaurauit, titulùmque venerabilem Crucis Domini, effoſſo pariete, detexit. Franciſcus Quign. & Bernard. à Queua Cardd. Cuſtodiam ſub apſide, pauimentum, altariſque maioris gradus concinnauerunt. Ad hanc Baſilicam Innocentius III. celebrata miſſa in Baſilica Lateranenſi, nudis pedibus proceſſit cum clericis, & laicis, ad finiendam generalem ſupplicationem pro felici exitu belli contra Sarracenos, vt idem refert lib. 3. epiſt. Regeſt. 15 ep. 179 In hac Baſilica conſueuiſſe Pontifices in Dominica, Lætare, florem aureum fidelibus repræſentare teſtatur idē Innoc. III. Serm. in ead. Dom. Coluere hanc Baſilicam primò clerici ſeculares; ſub Benedicto VII. congregatio quædam monachorum: ſub Leone IX. Monachi Caſinenſes: ſub Alexandro II. Canonici, regulares S. Frigdiani Lucenſes: ſub Vrb. V. Monachi Carthuſiani. Marinus de Ebulo in ſuo formulario Bullarum regiſtrat conſtitutionē directam Priori, & Conuentui S. Crucis, qua Baſilica committitur regimini Cardinalis, donec aliter Pontifex pro-

uideat, vt ipſe vice Rectoris de ipſa liberè ordinet, & diſponat. Nunc monachi Congregationis Lombardiæ Ciſtercienſes ex Pij IV indulto illam maxima religione gubernant, & eſt Titulus Cardinalis. Quamplurimis, nobilibúſque SS Reliquijs inſignitur, præſertim Clauo, quo Chriſtus fuit affixus: Titulo Sanctiſſimæ Crucis: Digito D. Thomæ Apoſt. Spina coronæ; vno ex triginta argenteis denarijs, quibus à Iuda Chriſtus fuit venditus: non mediocre parte ligni ſanctiſſimæ Crucis. Subterraneum adeſt maximæ deuotionis Sacellum, cuius antiqua hæc inſcriptio à Codice manuſcripto relata ſic meminit.

*Hanc ſacratiſſimam Capellam,*
*Quæ vocatur Hieruſalem*
*Aedificauit B. Helena mater Conſtantini Imp. In qua ante ædificationem fuit cubiculum ipſius B. Helenæ. Eandem conſecrauit, decorauitq; atq; ſanctificauit B. Silueſter Papa*
*Die XX Martij in Vigilia Sancti Benedicti.*
*Et fuerunt recondita in Altari dictæ Capellę notabiles infraſcriptæ reliquiæ per manus dicti B. Silueſtri precibus B. Helenæ*
*Quas reliquias è Hieroſolymis ad preces dicti Papæ B. Helena detulit.*
*Funis, quo ligatus fuit D. N. Ieſus Chriſtus in Cruce*
*Sapphiri duo, quorum vnus plenus eſt de Sanguine D. N. Ieſu Chriſti; alterum de lacte B. Marię Virginis matris eius.*
*Item pars magna veſtis Ieſu Chriſti.*
*Magna pars veli Beatę Mariæ Virginis*
*Spongia, cum qua fel, & acetum Chriſto Ieſu in Cruce porrecta fuerunt.*
*Vndecim ſpinæ* (Credimus, num. II. ſignificantē duo, extenſum fuiſſe verbo, vndecim, cum vbique reperiatur hìc

hic duas ſpinas tum ſitas fuiſſe ) *Coronæ Domini*.

*Lacerta Apoſtolorum Petri, & Pauli.*

*Lampas plena balſamo, in qua notat caput B. Vincentij Mart.*

*Maſſa, ſicut vnus panis, de pinguedine, cineribus, & carbonibus Beati Laurentij.*

*Pars magna veſtimenti S. Io. Baptiſtæ*

*Eſt etiam in dicta capella quotidie Ind. 27 annorum & totidem quadragenarum, quæ incipit à IV. feria ante Dominicam de Paſſione, & durat per totum annum.*

*Item Papa Stephanus, qui hic in iſta capella mortuus fuit, dedit indulgentiam omnium peccatorum cunctis ritè confeſſis, & contritis, dictam Capellam viſitantibus.*

*Item in die conſecrationis dictæ Capellę eſt omniũ peccatorum remiſſio, vera æternàque promiſſio.*

*Et in omnibus diebus Veneris totius anni eſt indulgentia à pœna omnibus huc venientibus confeſſis & contritis, præſertim in 4. feria Paraſceue maioris Hebdomadæ, ſicut patebat, & adhuc patet in parte in literis muſaicis compoſitis ſupra Altare dictę capellę.*

*In quam capellam non poſſunt ſine ſententia excommunicationis mulieres intrare, niſi in die conſecrationis eiuſdem capellę, quæ eſt in Vigilia B. Benedicti Abbatis XX. Martij*

*Item ſupra altare dictæ capellæ nemo poteſt celebrare, niſi ſolus Papa.*

Hanc eandem Capellam reſtituerunt Bernardinus Caruaial Card. & Albertus Card. Archidux Auſtriæ, vt hæc ibi inſcriptio.

SACELLVM DEO OPTIMO MAXIMO
IN HONOREM SANCTÆ HELENÆ DICATVM
A Bernardino Caruaial huius Baſilicæ Card. Tit. antea reſtitutum, ac muſiuis ſignis, vt nunc in ipſo fornice cernitur, decoratum.
ALBERTVS ARCHIDVX AVSTRIAE
MAXIMILIANI II. AVG. F.
Et Card. eiuſdem Baſilicæ Titularis inſtaurandum, elegantibùſque picturis vndequaque exornandum curauit an. M.D.XC.III.
CLEM. VIII. PONT. MAX II.

In Cappella Sancti Iacobi de Galitia hoc legi Epitaphium.

LEONAE DEVOTISSIMAE FOEMINAE
Cuius integerrimam vitam mors beata, & inter alia incorrupta carne diù ſeruatum cadauer comprobarunt, ex pietate Poſ.
Obijt 8. Septembris M. CCCC. XC. VIII.
XVIII. Decembris monumento hùc translato.

In Monte Citorio

Paruum Monialium ordinis S. Claræ ſub cura fratrum min. S Franciſci de Obſeruantia. Ad hoc vide conſt. 95. Mart. V. tom. 5. Annal. minor. Lucæ Vuadingi.

In Monte Mario

Extra portam Angelicam, vltra S. Lazari: paruum, & nouum itinerantium, & vineariorum commoditati.

Mons iſte, ſupra quod aſſurgit Villa Millinorum, vocari antiquiſſimis temporibus Gaudius, præ cæteris illic ſitis montibus, videtur; idèmque Malus, & Aureus; qui forſan ex duabus hiſce vocibus corruptè Marius, vt nunc dicitur. Illic Henricus IV. seù V. Imp.

Imp. Vrbem ingreſſurus conſedit, vt Platina, & Ciacon. in Paſchali II. & Baron. ad annum 1111.num. 5. Propè eundem Montem ad vallem quandam peruentus S.Cerbonius Epiſcopus Populonienſis deſcendit ex eodem in Pratum Neronis, vt referunt acta manuſcripta dicti Sancti exiſtentia in antiquo Codice Vaticano ſignato n.6453. pag. 154. Quæ cum multiplicem eruditionem redoleant, eccleſiaſticis ſcriptoribus incognitam, Iubet aſſuere.

*B.Cerbonius in Africa natus, à S.Regulo Archiepiſcopo educatus, iter arripuit in Italiam, & eligitur Epiſcopus Populonienſis poſt S. Florentium. A Vigilio Papa, legatis miſſis ad eum, Romam vocatus: iter aggreſſus cum legatis: Qui peruenti ad vallem deſcenderunt de monte, qui nuncupatur Gaudij, & venerunt in pratum Neronis, vbi ipſi Legati licentiam acceperunt à B.Cerbonio, vt eius aduentum Papæ, notum facerent* (& narratis miraculis &c ſequitur) *timor magnus apprehendit Pontificem, ſtatimque conuocans ordinauit omnem clerum ſuum, qui cum illo erat, cum planetis & dalmaticis, & incenſo, & cum Litanijs, & pſalmodijs venit ei obuiam ad gradus B. Petri Apoſtoli. Beatus autem Cerbonius, dum per pratum Neronis iter carperet, vidit aues copioſas & multas, quę vocitantur Anſeres, iuxta morem ſuum congregatas, & fecit ſignaculum Crucis contra eas dicens, Non habeatis licentiam Domini mei Ieſu Chriſti, vt volitetis in aliquem locum, donec veniatis mecum in præſentia Domini Papę: Illæ verò hæc audientes venerunt propè eum, & ille cum ſuo baculo eas duxit ad gradus B.Petri Apoſtoli, vbi Dominus Papa obuiam venit. Dixitq; ei B Cerbonius. Ecce, Pater, munera parua, quæ vobis de Eccleſia noſtra, adduximus. At verò Papa magnas ei gratias egit. Tunc B Cer*

 *bonius*

*bonius contra ipſas aues ſignaculum S.Crucis fecit, & abſoluit eas dicens; ex iuſſione Domini mei Ieſu Chriſti vobis pręcipio, vt volitetis vbicunque volueritis. Tunc cœperunt ipſę volitare in aere, & abierunt. Tunc Vigilius Papa, hoc miraculo viſo, amplius territus mirari cœpit, & benignè pacificèque rogat ſanctum virum, vt cum illo introiret in eccleſia B. Petri Apoſtoli. Cum autem ingreſſus fuiſſet S. Cerbonius perrexit ad ſepulcrum S. Petri, & orauit. Ab illo ergò die, quoties ad illum vir Sanctus veniebat, de ſua Sede Papa ſe eleuabat, & veniebat contra eum, quod & fecit cunctis diebus vitę eius, & poſt eorum obitũ omnes deceſſores eius, qui Apoſtolico ordine functi sũt ipſum exemplum detinent vſque in hodiernum diem. Nam conſuetudo Apoſtolici eccleſiæ Romanę non eſt, vt propter Regem, vel vllum pontificem ſe leuet; ſed tantùm Populonienſis eccleſiæ Epiſcopo aſſurgit, &c.*

Eccleſia Romana ſeruabat feſtum huius S. Cerbonij teſte Radulpho Decano Tungrenſe in Propoſit.22 de Canon.obſeru.

## Pœnitentium

In via, vulgò Longara; nouum mulierum Pœnitentium Diſcalceatarum S.Thereſię.

## SS. CRVCIFIXI

Oratorium, inter Moniales S Iacobi dè Morattis, ac Palatium olim Sciarræ nunc Iulij Columnæ Principis Carboniani: Archiconfraternitatis laicorum in Eccleſia ſancti Marcelli erectæ.

## SS. CYRI ET IOANNIS

Vide infra, Verbo, S.Praxedes.

## DOMINE QVO VADIS

Eſt rotunda capella in Via Appia in loco, quò Chriſtus Saluator noſter apparuit Petro Roma diſcedenti.

S. DO-

### S. DOMINICI

Et Sixti Papæ in Regione Montium in loco, qui vulgò dicitur *Bagnanapoli* iuſſu Pij V. extructum cum cœnobio pro Monialibus à S.Sixti hùc translatis, quarum opera, & impenſa templum, cœnobiùmque perſectum eſt. Hìc colitur Imago B. Mariæ Virginis antiquitate, & miraculis conſpicua, de qua plura diximus peculiari libello edito.

### S. DOROTHEAE

Et Silueſtri: Parochiale trans Tiberim ad Portam Septinianam.

### S. EDMVNDI

Transtiberim apud S. Ioannis Baptiſtæ nationis Ianuenſis, à quodam Anglo excitatum, & Anglorum Collegio vnitum.

### S. ELIGII

### Aurificum

In Via Iulia rotundum.

### Fabrorum

Ferrariorum apud S.Ioannem Baptiſtam Decollatum.

### S. ELISABETH

Ad S. Andreæ de Valle, Germanorum Piſtorum.

### S. EVPHEMIAE

In Vico, qui dicitur Campus Caroli Leonis, & vulgò *Carleo*, vbi plurimæ aluntur puellæ, quas vulgus appellat, *Zitelle ſperſe*, cuius monaſterium eſt contiguum monialibus Spiritus Sancti.

### S. EVPLI

Ad Cœſtij ſepulturam extra portam S.Pauli, oratorium à Theodoro Papa extructum, & ab Hadriano I. re-

ſtauratum : tum deſtructum , vt aliqui arbitrantur ; ſed valde ſuſpicamur eſſe , quod colitur ſub inuocatione Sanctiſsimi Saluatoris, de quo infra V. Saluator in Via Oſtienſi .

S. EVSEBII

In loco , quem vulgus *Cimbrum* , & Marij trophæa appellat , in monte Exquilino , proximum caſtello aquæ Martiæ . Antiquiſſimus titulus à Zaccharia, Hadriano , & Nicolao Pontificibus reſtauratus, à Gregorio IX. conſecratus, vt in inſcriptione impreſſa in noſtris adnotationibus ad Ciaconium pag. *686*. A ac à Roberto Pariſieñ Card. titulari renouatus . Hodie eſt titulus Cardinalis ſub cura monachorum Cæleſtinorum, & hic requieſcunt corpora SS. Martyrum Euſebij , Orosij, & Paulini , ac medietas corporis S. Vincentij , ac frœnum equi Conſtantini ex Clauo , quo Chriſtus Cruci affixus fuit,confectum : Eſtque ibi nobiliſſimum monachorum odeum ex nuce magno artificio fabrefactum . Ibi in mediana naui prope Altare maius hoc legi epitaphium .

*HIC REQVIESCIT NOBILIS VIR Ioannes Pauli Capociæ de regione Montium,qui obijt anno Domini* 1331. *menſe Febr. die* 14. *cuius anima requieſcat in pace . Amen .*

Aliud propè vas aquæ luſtralis .

*HIC IACET D. SIMON BOET. PRESB. Rector Eccleſiæ S. Martini de S. Valerico ſuper mare Ambianen. Diœc. qui obijt Romę an.* 1300. *Anima eius requieſcat in pace . Amen .*

Aliud in naui dextera .

*HIC REQVIESCIT FR. IOANNES de Abbatis Villa Canonicus monaſterij S. Victoris Pariſienſis,cuius anima requieſcat in pace . Amen . Obijt an. Dom.* 1401. *die* 4. *intrante Aprili .*

S. EV-

Propè Pantheon, in Platea vulgariter dicta, Dohana, ſatis pulchrum pauimento & columnarũ ordine. Prope fuit templum Boni Euentus, & Thermæ Neronianæ, ac Alexandrinæ. Venerabile, quia locus martyrij S. Euſtachij, vxoris & filiorum, qui creditur vbi eſt Capella S. Archangeli; & ſub Ara maxima eorum corpora aſſeruantur. Eſt Diaconia Cardinalis; & Parochia cum collegio canonicorum. Templi conſecratio adhuc extat in lapide marmoreo cum hac inſcriptione.

*IN NOMINE DOMINI IESV CHRISTI Anno Incarn eiuſd.* 1196. *& anno* 6. *D. Cæleſtini Papę III. Indictione* 14. *in Dominica, qua cãtatur,* Modicum, *dedicata eſt eccleſia iſta cum tribus altaribus, quæ ſunt in ea, quæ conſecratio facta eſt ab eodem Papa, cui coadiutores fuerunt hi Epiſcopi: Octauianus Oſtienſis, P. Galocia Portuenſis, Ioannes Albanenſis, Petrus Archiepiſcopus Aggerenſis, Anaſtaſius Caputaquen, Nicolaus Foroſempronienſis, & Sebaciſius Baden. In maiori altari conſecrato ab ipſo D. Papa, cui etiam aſtitit præfatus Epiſcopus ſunt hæ reliquiæ. De ligno Crucis Domini, de ſanguine ipſius, de Spinea corona, de veſtimentis eius, de reliquijs, & veſtimentis Apoſtolorum Petri, & Pauli, de Coſta S. Andreæ, de Pruna, & Carbonibus S. Laurentij, de Reliquijs S. Euſtachij, vxoris, & filiorum eius. Sub maiori altari in conchina ſunt corpora ſanctorum cum titulo marmoreo. Hic requieſcunt corpora ſanctorum Martyrum Euſtachij, & vxoris eius Theopiſtæ, eorumq; filiorum Agapiti, & Theopiſti. Ego Cœleſtinus cath. eccl. Epiſc. cũ prę ſatis Epiſc corpora ſanctorũ, & oculis vidi, & manibus tractaui, & recondidi cum titulo an-*

 *tiquo*

*tiquo in Mauſoleo ſub altari, ad cuius conſecrationis anniuerſarium instituimus, vt quotquot ab ipſo die vſque ad octauam Pentecoſtes deuotè conuenerint duorum annorum remiſſionem ſuorum peccatorum habeant. Hæc conſecratio facta eſt ſtudio, & labore Petri Archipresbyteri cognomento Saccoccia, clero, & populo auxiliante, cuius conſecrationis celebritati vſque ad hæc tempora nulla ſimilis extitit.*

## SS. FABIANI ET SEBASTIANI

Extra vrbis Portam Capenam, via Appia, veneratione omnium ferè celeberrimum. Olim vocabatur Baſilica Apoſtolorum, quia ibi aliquandiù iacuerunt corpora ſanctorum Petri, & Pauli. Eſt Eccleſia patriarchalis, & vna ex ſeptem vrbis principalibus. Appellatur locus iſte à Clem. VI. in Bulla iubilei, Sanctiſſimus. Eſt etiam celeberrimum Calliſti, Cornelij, Prætextati, & aliorum Martyrum cœmeterium. Incolunt monachi Fullienſes Ordinis Ciſtercienſis ſub Abbate Commēdatario. Vide etiam alia infra verbo, Sebaſtianus.

## SS. FAVSTINI ET IOVITAE

In Regione Pontis in Via Iulia ad Tiberis ripam an. 1575. à Brixienſibus excitatum. imperfectum.

## S. FRANCISCAE

Romanæ, in Regione Triuij, in Via Felici à Sixto V. aperta: inter quattuor fontes, & Sanctiſſimæ Trinitatis ædem collis Hortulorum; nouum ordinis fratrum Santiſſimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum, qui ſupra eius portam hanc inſcriptionem locarunt.

*D. O. M. ET DIVAE FRANCISCAE.*
*Familia fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, quæ in ortu ipſo ordinis ab anachoretis Ioanne, & Felice diuino monitu inſtituti: & ab Innoc. III. confirmati ad D. Thomæ in Formis; deinde Pio V. Pontifice ad D. Stephani in Trullo conſedit. Demùm annuente Paulo V. P. M. in ſalubriorem hunc commodioremq; locum translata poſuit, dicauitq; M. DC. XIV.*
O. CARD. BANDINO ORDINIS PROTECTORE.

## S. FRANCISCI
## Ad Pontem Sixti
A Sixto V. ædificatum vnà cum Gerontocomio.
## Tranſtiberim

Amplum, & elegans. Hìc olim erat Xenodochium S.Blaſij ſpectans ad monachos Benedictinos, in quod perbenignè receptus eſt hoſpitio S.Franciſcus Aſſiſias ſub annum 1212. Poſtea verò, hortante Gregorio IX. ſuis literis datis Perusij, Pontificatus ſui anno III ſcilicet, anno Domini 1229. prædicti monachi dictum Xenodochium, cum Eccleſia, & adiacētibus, liberè fratribus Minoribus conceſſerunt. Cœnobium incolunt Fratres ſtrictioris Obſeruantiæ, dicti vulgò Reformati; plures habet ſepulcrales inſcriptiones, quarum hanc tantùm referre lubet.

*D. O. M.*
*ANTONIO MARTINELLO PICTORI*
Piſaur. oriun. & ferè cunctis artis ſuæ principijs adoleſcenti conſpiciundo, iuuentutis flore erepto, Nicolaus, ah deſiderium, ah lachrimas frater quas relinquis, pias ſacras faces, tumulumq; dicat Vi-

Vixit annos XXIV.

*OBIIT ANNO SAL. MDLXXIII. XV. CAL. IVLII.*

*Dum ſtupet æquari, ac vinci natura veretur,*
*Inuida in æqualem ſæuit, & intereo.*

S. FRANCISCI XAVERII

Vide infra S. Mariæ Pietatis.

S. GEORGII

In Velabro, & ad Velum aureum, nec non ad Sedem, Libonis ſcilicet ad Puteal: Paludes hic olim fuerũt, & in medio earum corriuatio aquarum, quæ velabrum dicebatur, quaſi Vuilebrum, ideſt fœda aqua, qualis eſſe ſolet tum in paludibus, tum maximè ijs locis, ad quæ vndique fœda illuuies defluebat. Benè igitur Tibullus pullam aquam dixit propter lutum, & ſordes omnis generis admixtas.

*At qua Velabri regio patet, ire ſolebat*
*Exiguus pulla per vada linter aqua.*

Non eſt igitur *Velabrum* à *Velatura*, vt Varro voluit dictum, cum remis potius in eo, quã velis locus eſſet eundum; & nihil mirandum, diphtongum *vi* in *e* longum eſſe mutatum, propterea quod ea, vt & alijs quibuſdam latini carerent. Sic Io. Goropius Becanus de originibus Antuerpianis in Vertumno. In domus Scipionis Africani, tùm Baſilicæ Semproniæ ſolo à Leone II. ædificatum in honorem BB. Sebaſtiani & Georgij: Prope erat templum Iani, eiùſque arcus, qui adhuc ſupereſt; nec non ductus Cloacæ maximæ per concameratum fornicem in Tiberim prope Pontem ruptum defluens: a latere huius templi etiam extat arcus in honorem L. Septimij, & M. Aurelij à negotiatoribus, & argentarijs extructus. A Zacharia I.

S. Geor-

S. Georgij capite ditatum; à Gregorio IV. porticibus. picturiſque ornatum. Cæterum præſens, quod cernitur, eſt opus cuiuſdam Stephani in coronide porticus nominati: à Raphaele Card. Riario inſtauratum. Porticus quinque regitur columnis; templi aula ſexdecim; diuiditur in tres naues. Capite, & Vexillo S. Georgij, qui Populi Romani patronus dicitur, decoratur, alijſque Sanctorum Reliquijs. Olim erat Collegiata Canonicorum; nunc regitur à fratribus ſancti Auguſtini Congregationis Genuenſis; eſtque Diaconia Cardinalis.

## S. GREGORII

In monte Cælio, in loco, qui dicitur *Cliuus Scauri*, qua parte ſpectat Palatinum. Domus materna ſancti Gregorij Magni, ab ipſo in Monaſterium conuerſa in quo habitabat; cuius exteriorem frontem Scipio Card. Burgheſius, & piorum eleemoſynæ ab Vrbano VIII. applicatę, ex tiburtino ſaxo, erexerunt. Hìc aliquando habitarunt monachi Belgæ, ſeu Flandri; nunc incolunt monachi Camaldulenſes ſub Abbate Commendatario hinc ab anno 1573. vocati à Hieronymo ex Comitibus, ad quem locus pertinebat. Hìc eſt Cella, ſeu locus vbi S. Gregorius ſacrificium offerre conſueuerat. Hìc eſt magnificentiſſima Capella ab Antonio Maria Card. Saluiato extructa, in qua colitur Imago Beatæ Virginis Mariæ D. Gregorium allocutæ. Hìc fons Gregorianus miraculo inſignis. Hìc ſub Ara maxima requieſcunt corpora S. Pantaleonis Nicomedienſis, Antonij, Meruli, & Ioannis monachorum. Eius omnia altaria ſunt priuilegiata pro defunctis, locùſque columnis, ſtatuis, picturis, ac pauimento teſſellato videndus, plurimiſque epitaphijs refertus, ex quibus hæc tantum apponam.

Ioan.

*D. O. M.*

*IO. FRANCISCVS DE MARINIS NOBILIS Genuenſis, quem in patria poſt 40. annorum labores viriliter exantlatos, reditum ad quietem cogitantem, irata mors detinuit, quippe quæ ſibi Romam ingenioſorum hominum ſepulcrum eſſe voluit.*

Item.

*I. C. R.*

*PLACIDO FVSCO E MONTE FLORVM Ariminen. Med q. Dom. Com. Palatino; qui tum in Flaminia, tum Melitę, atque Sicilię, pleriſque ciuitatibus ob admirabilem prædicendi facultatem Prognoſtes vocatus eſt, tùm Romę à Pio V. in familiam cooptatus, & ante & poſt eum in S. Spiritus Noſocomium, atque in S. Inquiſitionis carcerem miſſos, alioſque pietatis erga pauperes annos 16: curando. Obijt pridie id Martij 1574. Vix. an. 64 m. 5. d. 1. Thomas Fuſc. fil. I. V. D. vnicus hęres teſtamento rogatus cum lachrymis P.*

*Poſt obitum viuo melius, doleòque, medendi*
*Artibus extremum ſępe fugaſſe diem.*

Quiſquis es, cui libitina ſit cura, hunc lapidem ne moueto, Vantagijs Florentinis Ciuibus Romanis eſt ſacer. Vale 1513.

*ANDREAE DE CASTRO.*

*Adſis, & legito hęc notata vitæ*
*Ne fidas moneo, licet iuuenta*
*Sis forti; atq; animo potens: eundum eſt*
*Ne qua ſcire licet via. Venit mors*
*Clam per mille modos. En ipſe florens*

*Equi*

*Equi calce feri peremptus heu ſum.*
*Quare viuito iam bene, ac paratus.*

Andreæ de Caſtro iuueni Salamant. & quidem frugi fatorum inuidia à ſpe creſcente erepto Chriſtoforus de Caſtro auunculus paterna pietate P. Vix. an. 26. Obijt 26. mens. Ianuarij an. 1521.

## In Nicoſia

Ad ripam Tiberis: paruum fabrorum murariorum.

## Ad quatuor Capita

Ad pontem Fabricium: paruum, & parochiale.

### S. HADRIANI

In foro Boario; dicebatur, in Tribus Foris, & in Via Sacra; ab Honorio I. excitatum in Saturni templo, in quo olim Aerarium populi Romani fuit, & à Paſchali II. dedicatum; ab Hadriano I. renouatum; à Gregorio IV. primùm, tum à Ioanne Card. Bellaio Gallo reſtauratum. Appellatur ab Anaſtaſio Baſilica, & Diaconia. In eo ſunt portæ æneæ antiquæ, ac Sanctorum reliquiæ, quorum mentio eſt in ſubiectis inſcriptionibus ibi appoſitis.

*SIXTO V. PONT. MAX. AN. M.DLXXXIX.*
*AVGVSTINVS CVSANVS MEDIOLANEN.*
*HVIVS ECCL. S. HADRIANI DIAC. CARD.*
*Inuenit in aditu confeſſionis defoſſa, multòque limo obducta corpora ſanctorũ Martyrum Nerei, & Achillei, & Domitillæ, Marij, & Marthæ, Papiæ, & Mauri, tribus loculis diſtincta, cum vetuſtis inſcriptionibus, quæ vt ab omni loci iniuria conſeruarentur illeſa*

*ſa in altari maiori in ſedem à ſe priſtinam reſtituto, & magnificentiùs extructo, decentiùs collocauit, præter ſanctorum Papię, & Mauri corpora, quę, reliquijs retentis, ad S. Marię in Vallicella, pio in eam eccleſiam ſtudio, vnà cum eorum capitibus ex Pontificis auctoritate transferri curauit. In eodem altari duas etiam plumbeas arculas incluſit; quarum altera, quę in veteri ſeruabatur, continet oſſa S. Hadriani mart & reliquias ſanctorum trium puerorum, ſanctorum Nerei, & Achillei & Domitillę, ſanctorum Marij & Marthę, S. Hippolyti, S. Simetrij Presb. In altera, quæ in confeſſione erat, ſeruabãtur Reliquię S. Simeonis Presb. S. Iuſtini, S. Renati Epiſcopi, & aliorum ſanctorum, quorum nomina ignorantur. Corpora ſanctorum triũ puerorum antea intra confeſſionem poſita in altari ſacelli inferioris ad eiuſdem confeſſionis memoriam retinendam ædificati religioſiùs condidit. Capita ſanctorum Nerei, & Achillei, & Domitillę, vt populo veneranda proponi poſſent, thecis incluſit, & in ſacrario aſſeruari mandauit. Idem ad Dei, & ſanctorum cultum augendum eccleſiam ornauit, & fratres Ordinis S. Marię Mercedis introduxit. Altaria ritè conſecrata ſunt, maius in S. Hadriani, & cęterorum ſacella in ſanctorũ trium puerorum honorem, eodem Auguſtino Card. preſente, à Ioanne Epiſcopo Minoren. Papę Vicarij ſuffraganeo, Dominica ſeptuageſimę.*

*die* 18 *Februarij* 1590.

† ANNO AVTEM D. MD.LXVII DIE XI. MAII. *Corpora ſanctorum Martyrum Nerei, Achillei, & Domitillę ſimulq; ipſorũ capita thecis auratis ſeorsùm incluſa iuſſu Clem. Octaui Pont. Max. celebri pompa translata ſunt, & reſtituta in titulum eorumdem ſanctorum Nerei & Achillei, vbi antea recondita erant relicta hic eorum parte, id agente Cęſare Baronio So-*

*rano*

*rano eiuſdem Tit. Presb. Card. Bibliothecario, qui & hoc ipſum altare primarium conſecrandum curauit per Leonardum Abel Epiſcopũ Sidon. ſuffraganeum Vicarij Romani Pontificis eodem anno, die 20. Iunij.*

Olim erat Canonicorum Collegiata, & adhuc supereſt ante fores eccleſiæ Canonici epitaphium huiuſmodi.

*Hic iacet D. Paulus de Tataris Canonicus Eccl. S. Hadriani, qui obijt anno D. 1322. menſis Septembris die 3. cuius anima requieſcat in pace.*

Nunc hìc habitant fratres B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

S. HELENAE

In Regione S. Euſtachij apud DD. de Caualerijs, paruum templum Credentierorum, vt vocant.

S. HOMINIS BONI

Sutorum in cliuo S. Mariæ Conſolationis prope S. Mariæ in Porticu.

S. HIERONYMI

Charitatis

Incolatu D. Hieronymi, vt aliqui exiſtimant, celebre Olim eccleſia collegiata; tùm fratrum Minorum S. Franciſci de obſeruantia, ad Inſulam Lycaoniam (ſeu ad S. Petri in monte aureo vt Camillo Fanuccio placet) poſteà translatorum; Deinde Aulicorum vrbis; poſtremò, hodieq; Archiconfraternitatis laicorum Charitatis. Eſt in regione Arenulę prope Farneſiorum Palatium Hìc primò floruit S. Philippi Neri inſtitutum. Plura ibi extant epitaphia; at ſubiecta ex Io. Franc. Scardoua deſumpta afferre iudicaui.

*PATRI CAROLO DE BRVNIS, ET THOMAE PATRVO.*

*Ne qu m de Brunis hic mortis honore carentem*
*Calcares pedibus templa ſacrata petens.*

*Nunc*

*Nunc Carolo nati tumulum, Thomæque nepotes*
*Dant patri & patruo, det Deus ipſe Polum.*
Item.
*Dum ſacris lyricis componit corda Iacobus*
*Litigioſa hominum legibus hinc abijt.*
*Nunc ſanctas animas ſupera ad conuexa vocatus*
*Ante Deum hic mulcet, ſed grauiore lyra.*
Aliud.
*Hic Iulianus habet requiem Guerratius iſte*
*Florentinus erat pellio Pontificis.*
*Terdenos, ſeptèmque annos dum veſcitur aura,*
*Septembri in medio Parca ſeuera rapit.*
*Virginia vxor Dormelia hunc romana ſepulcro*
*Condidit, atque rogat numen amore viri,*

Hìc S. Philippi Nerij inſigne miraculis cubiculum, ab Equite Panthera illuſtratum intra presbyterorum ædes, vbi ſuprà portam legitur.

*D. O. M.*

*Cubiculum hoc S.P.N. vbi per 33. annorum curricula, vitæ ſanctitate, & animorum zelo incomparabiliter enituit, primàque Congregationis Oratorij omni laude dignus iecit fundamenta Eques Aſcanius Panthera de Ciuitate Collenſi in Hetruria proprijs ſumptibus inſtaurauit, ac decentius ornauit an.* D. 1637.

## Illyricorum

In loco, qui vulgò dicitur, *Ripetta*, excitatum à Sixto V. pro Illyrica natione propè Mauſoleum Auguſti, & Palatium Burgheſiorum. viſu digniſſimum.

## S. IACOBI
## Hiſpanorum

In circo Flaminio. Ante eſt generale Studium Romanum, quod Sapientia vocatur: Retrò Campus Ago-

gonius anno 1450. ab Alphonſo Paradina excitatū. ſanctoq; Alphonſo dedicatum; tum ab Alexandro VI. Summo Pontifice in præſentem formam ædificatum: pulchris ſacellis cōſpicuum, & ab Hiſpanica natione maxima religione cultum. Pauimentum ferè totum ſtratum ſepulcralibus inſcriptionibus.

In ſuperliminari maioris portæ.

*Aere ſuo Alphonſus* Paradinas *gentis Iberæ,*
*Hoc templum ſtruxit lux Iacobe tibi.*
*Vt tua te virtus Cæli ſuper arce locauit,*
*Hunc tua ſic virtus, & tua cura locet.*

In templo. & refertur etiam à Franc. Suuertio inter delicias orbis christiani.

D. O. M.

PETRO CIACONIO PRESB. TOLET.
In quo multiplicis doctrinæ copia, cum vitæ ac morum integritate certabat: qui à Gregorio XIII. P. M. Sanctorum Patrum libris, ſacriſq; canonibus, & ſacroſanctis Biblijs perpurgandis præpoſitus, in eo munere obeundo, eruditione, iudicio, fide ac diligentiā præſtitit. Eccleſia S. Iacobi Hiſpanorum, qui Vrbem colunt, hæres ab eo inſtituta, monumenti hoc Poſ.

VIX. ANNOS LVI.
OBIIT ANNO. M.D.LXXXI.
VII CAL. NOV.

## Incurabilium




Olim, vt Grimaldo placet, S. Mariæ de Auguſta in Valle Martia ab Antonio Maria Card. Saluiato, religione in Deum, pietatèque in pauperes immortalitèr commendãdo ſumptuoſiſſimè extructum, & largiſſimè dotatum. Vocatur Incurabilium à proximo Xenodochio, in quo grauibus, deſperatiſque laborãtes morbis aluntur & curantur. Eſt Archiconfraternitatis nobiliũ Romanorum. In templi fundamentis Hoc Numiſma ſeruatur.

Supra Odeum legitur ſequens inſcriptio.

ANTONIVS. MARIA. SALVIATVS
TEMPLVM. DEO.
DOMVM, AEGROTIS. AEDIFICAVIT.

Ad Altare Sancti Ioannis

CAESAR. RODIANVS. CREMONENSIS.

Ornauit, & dotauit pro ſe, & ſuis, anno Domini M. DC. X.

Ad Altare Reſurrectionis.

NICOLAO IACOBATIO PATRITIO ROMANO

Viro religione in Deum, pietate in pauperes ſingulari, quòd moriens vnà cum corpore rem ſuam omnem ad piam hanc domum, atquè ædem venire voluit. Cuſtodes huius Archihoſpitalis in Sacello, quod ex teſtamento abſolui, atquè ornare iuſſit, grati animi monumentum PP.

VIX. AN. LXIV. M. IX. D. X.
OBIIT IDIBVS IVLII M. DC.

Ad Altare Natiuitatis D. N. Ieſu Chriſti.

ALEXANDRO GRATIANO ROMANO *Franciſci legum Doctoris fil. Protonotario Apoſtolico, genere, ſcientia, & probitate illuſtri, eccleſiaſticæ libertatis, dum muneribus publicis præfuit, defenſori laudato.*

*Ortus oriente Sole die 17. Auguſti 1557.*
*Occidit occidente Sole die 39. Sept. 1609.*

*OCTAVIVS GRATIANVS FRATRI B. M. P.*

## De Morattis

Non longè ab Antonini Columna coclhide eundo à Sciarræ Columnæ platea ad fontem Triuij: Eſt Monialium ordinis S Claræ. Apud auctorem anni 1587. dicitur de Marottis.

## Scorza Caballi

In Campo Vaticano reſpiciens Vaticanam Baſilicam Olim vocabatur *S Saluator de Bordonia* à baculis peregrinorum, quos *bordones* vocant;& *S.Saluator Coxacaballi*, nec non *S.Iacobus in Porticu* à veteri Vaticana porticu.Hic eſt lapis,ſupra quem aiũt oblatum fuiſſe Ieſum Chriſtum in templo, quãdo Simeon ſuſcepit eum in vlnas ſuas. Eſtquè ibi erecta Confraternitas laicalis Sanctiſſimi Sacramenti.Eſt parochiale iurìſque Baſilicæ S.Petri; habètque à poſteriori parte Curiam, carcereſq; Burgi.

## In Septimiano,aliàs Subtus Ianum

Tranſtiberim in vico vulgariter dicto *Longara* à proxima Septimij porta dictum. Ad hoc Templum Petrus Vrſinus cum Rege Ladislao prælium commiſit, ſedente Gregorio XII. eſt Iuris S.Petri in Vaticano, ibiq;in pariete ſiniſtræ nauis inſcriptio,quæ hodie non extat, legebatur huiuſmodi tenoris.

*† An. D. 1277. Indict.6. Menſis Octobris die 13. memoria ſit Collegio huius eccleſiæ, quòd tenentur firmiter hoc agere, vt celebretur in ea ſemper ex nunc omni die Miſſa B. Mariæ Virg. pro ſalute & anima D.Stephani filij nobilis viri D.Petri Stephani & anniuerſarium etiam ex die mortis eius celebrare ſingulis annis, & toto anno ſuæ mortis omni die miſsa defunctorum pro anima eius, & deinde continuè ſingulis diebus miſsa Beatæ Virginis in commemorationem animę ſuæ perpetuò. Hæc autem cauta ſunt inſtrumento publico ſcripto per Nicolaum Carbonis Notarium.*

Ibidem.

*Iſto in loco requieſcit Petrus Saconi Canonicus eccleſiæ S.Bartholomæi de Iſola . . . . . mane nepos, Ma-*

*Maria, é Stephania, & Iacoba ſuæ carnales.*

Aliud ex Panuinio M.S. degente Mattheia deſumptum ſubnectere volui, quia mutilum, & mendoſum legitur in noua Ciaconij de vitis Pontificum, & Cardinalium editione pag. 566.

*Notum ſit cunctis inſtructis norma legendi*
*Quòd præſens opus ad laudem Virginis almæ*
*Atque Nicolai beatiſſimi nomine factum*
*Conſici mandauit Cynthius vocabulo dictus;*
*Quem Dominus Petrus Papa ratione dotauit*
*Moribus & vita nobili de ſanguine natus,*
*Originem ſumpſit de ſtirpe Pontificatus,*
*En fuit nepos Innocentij Papæ ſecundi.*

HOC OPVS FIERI FECIT CYNTHIVS DOMINI PETRI PAPAE DE FILIIS IOANNIS GVIDONIS PAPAE CLERICVS S. HADRIANI AD HONOREM DEI B. MARIAE ET S. NICOLAI.

*Tumulatus hic iacet clericali diademate dotatus*
*Cynthius nominatus nobili proſapia natus,*
*Et ſublimatus in antiana Domo locatus.*

M. CCC. V.

Cœterùm quis templum à primæua inſtitutione adminiſtrauerit ignoramus: Innocentius III. Baſilicæ S. Petri vniuit: tum Innocentius IV. Ordini Monachorum Siluestrinorum conceſſit, qui illud certo modo dimiſit; quod Iulius II. tradidit iterum Baſilicæ Vaticanę pro ſubuentione Muſicorum anno 1620. Capitulum dictæ Baſilicæ regendum conceſſit fratribus Tertij ordinis S. Franciſci, quibus ad S. Mariæ Miraculorum, proximis annis, translatis, conceſſum fuit Monialibus Pœnitentibus; quibus Templum, & Monaſterium ingenti ſumptu à fundamentis extru-

ctum fuit à Franciſco Card. Barberino illarum protectore, qui etiam monaſterij pijſſimo benefactori hoc monumentum extare voluit.

D. O. M.

Memoriæ Hippolyti Merendæ Cæſenatenſis Iuriſconſulti, prudentia, ac fide in cauſis agendis præſtantiſſimi.

*Franciſcus Barberinus S.R.E. Diaconus Card. & Vicecancellar. quòd huius ædis ſacram fœminarum familiam, quę in ipſius tutela eſt, is ex H. S. vicies circiter N. hęredem fecerit ponendum curauit.*

I E S V

Ingens templum apud Domum profeſſam, vt vocant, Societatis à S.Ignatio Loyola inſtitutæ, ædificatum ab Alexandro Cardinali Farneſio; ſacellis, picturis, marmoribus, ornamentis, cultùque ornatiſſimum. Ambitus templi, amplæquè domus duabus comprehendebatur domorum inſulis ſolo æquatis, in quibus duo antiqua extabant tépla, ſcilicet S ANDREAE, & S. MARIAE DE ASTALLIS, & corrupto vocabulo, DE STRADA ſub tit. S.Marci à Paulo III. Pontificatus an. 14. conceſſa Societati Ieſu. Hìc recondita ſunt corpora SS.Abundij, & Abundantij M M. Ignatij Loyolæ, & pars corporis B.Franciſci Borgiæ; nec non capita & brachia aliorum Sanctorum. Hìc ſepultus iacet Card. Bellarminus, alijq; viri illuſtres.

Infanti

Paruum, & pulchrum ad radices collis Hortulorum à Fr. Antonio Card. S.Onuphrij à fundamentis excitatum

tum in Collegio Congregationis Fidei Propagandæ. Id præſefert inſcriptio interius, ſupra portam locatam hiſce verbis.

D O. M.
FR. ANTONIVS BARBERINVS
VRBANI VIII. P. M. GERMANVS
TIT. S ONVPHRII PRESB CAR. M. POENIT.
ET S.R.E. BIBLIOTHECARIVS

Aedem hanc Chriſto infanti à Magis adorato dicatam, Collegij ad Propagandam Fidem inſtitutam vſui, à fundamentis erexit, conſtruxit, ornauit, anno ſalutis M. DC XXXIV.

S. IO. BAPTISTAE

In Laterano, vbi Lateranenſe Palatium; quod omnibus in toto orbe terrarum præferebatur atque præcellebat Palatijs. De huius templi dedicatione Io. Baptiſta Paulianus Iuris Canonici in almo Vrbis Gymnaſio primus interpres an. 1549. ſcripſit, l. 3 cap. de Sanctiſs. Reliq. &c. in princ. *Imperator Deo, & beato Præcurſori, Petroq; dicauit.* Baſilica Conſtantini Imperatoris appellatum, quinque nauibus, aliàque tranſuerſali diſtinctum, ordinibus columnarum, ſtatuis, marmoribus, picturis, auro, argentòque ſpectabile. Propè eſt Palatium Pontificum à Sixto V. ædificatum: in Porticu eſt in peculiari cubiculo ænea Henrici IV. Franciæ Regis ſtatua. In platea Pyramis antiqua, fons, & veteres aquæ Claudię ductus. In templo Abſis ex muſiuo egregiè effecta; æneũ Martini V. ſepulcrum; Columnæ æneæ auratæ quatuor, quas è nauium roſtris, Antonio ſuperato, conflauit Auguſtus, à quibus vniuerſa nobiliſſimàque Sanctiſſimi Sacramenti Altaris machina ænea aurata

regitur; in quo pretioſiſſimorum lapidum ingentis valoris tabernaculum, argenteaq; tabula cænantium Chriſti, & Apoſtolorum ſtatuæ argenteæ: primum Vrbis, orbiſq; Chriſtiani templum publicè cultum, antiquitate, venerationeq; auguſtiſſimum, de quo copioſiùs Onuphr. Panuin. in opere non edito. Verùm vetuſtate fatiſcens, Sanctiſs. D.N. Innocentius X. magnis ſumptibus, elegantique ſymmetria reſtitui fecit, Equite Franciſco Borromino architectante, & hoc ſuæ æternitatis monumento ſupra Portam interiùs appoſito.

✠

# INNOCENTIVS
## DECIMVS PONT. MAX.

LATERANENSEM. BASILICAM
CONSTANTINI. M IMP.
Religione ac Munificentia
extructam

SVMMORVMQVE. PONTIFICVM PIETATE
SAEPIVS. INSTAVRATAM. VETVSTATE. IAM
FATISCENTEM. NOVA. MOLITIONE
AD. VETEREM. EX. PARTE. ADHVC. STANTEM
CONFORMATA
ORNATV. SPLENDIDIORE. RESTITVIT
ANNO. IVBILEI. M. DC. L.
PONT. VI.

Fuit

Fuit ibi Sedes Imperatoris, ibiq; aurea corona ad Imperium euecti ſolebant inſigniri. A Silueſtro, & Gregorio Summis Pontificibus conſecratum, & ferè omnium ſubſequentium Pontificum munificentia inſtauratum, ornatum: reliquijs, indulgentijsq; ditatum, quas longum eſſet recenſere: Præ cæteris ſanctorum reliquijs hæ numerantur.

Arca fœderis: Menſa, ſuper quam cœnauit D.N. Ieſus Chriſtus cum diſcipulis ſuis: Virga Moyſis, & Aaronis: capita SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum ab Vrbano V. ornata auro gemmìſque, & hìc locata. Caput S. Pancratij, quod ſanguine manauit tribus diebus, & tribus noctibus, quando eccleſia Lateranenſis fuit cõbuſta. Sub Altare maiori, quod vacuum eſt, multæ Sanctorum reliquiæ commemorantur, quarum ſeries in appenſa Altari magna tabula notata eſt. Item adeſt caput S. Zachariæ patris S. Ioannis Baptiſtæ. Catena, qua ligatus fuit S. Ioannes Euangeliſta, dum duceretur ab Epheſo Romam. Prope eſt clauſtrum antiquum monachorum. Cæterùm notiſſimum eſt, clericos, monachos, & canonicos regulares munia ſacra exercuiſſe in hac ſacra Baſilica. At nunc viget canonicorum, beneficiatorum, & clericorum ſecularium nobilis ordo ſub Archipresbytero Cardinali. Et eſt vnum è ſeptem, quod maximo populi concurſu per annum viſitari ſolet: plurèsque habet inſcriptiones, & epitaphia, quorum aliqua recenſebimus. In ſacrario.

PAVLO V. PONTIFICI MAXIMO

Eccleſiaſticæ libertatis vindici, virtutis remuneratori ob redemptum à ſpoliorum onere Clerum Romanum grati animi monumentum Lateranenſis Sacroſanctæ Baſilicæ Canonici poſuerunt.

In

In templo.

*Illa ſtupenda dies mortis, quę perdere talem*
*Auſa fuit natura, ſciuit perficere qualem*
*Sedis Apoſtolicæ fuit iſte Notarius horis;*
*Omnibus intus habens ſpeculum cœleſtis amoris,*
*Nomine Riccardus, ſapiens, diſcretus, abundans,*
*Litera cui quęuis patuit, ſimul vtraque nota.*
*Iura fuere ſibi probitas, vbi nunc ſua tota*
*Hunc Annibal genuit magnus prole quoq; totam*
*Roma tenet mundo famoſo nomine totam.*

*ANNO DOMINI M. CC. LXXXIX. M. AVGVSTI XXVIII.*
*OBIIT D. RICCARDVS D. PAPAE NOTARIVS*
*SVB PONTIFICATV D. NICOLAI PAPAE IV. AN. II.*
*CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.*
*A M E N.*

HIERONYMO GARIMBERTO PARMEN.
EPISC. GALLESANO HVIVS BASILICAE
VICARIO.

Nato ad res gerendas, & benè de hominibus merendum: virorum Principum gratiam adeò promerito, vt inter diuerſarum partiũ ſtudia, æquam fidei, & probitatis laudem ſemper retinuerit. Vix. an. 70. obijt 4. Kal. Decembris 1575. Ioannes Frãciſcus Garimberto Patruo optimo Poſ.

In Porticu maori, ex qua paucos poſt menſes vidi ablatum fuiſſe lapidem.

† HIC REQVIESCIT CORPVS IOANNIS EPISCOPI PARMEN. QVI DE PLACENTIA FVIT NATVS.

Finem huius Sacroſancti templi narratiunculæ imponamus nouiſſimæ campanæ inſcriptione.

VRBA-

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
Campanam hanc vetuſtate perfunctam, addito ære, in ampliorem formam reſtituit.
Hieronymo Card. Columna Baſilicæ Lateranenſis Archipresb. An. D.M.DC.XXXIII.

Cœterùm latè de Baſilica Lateraneñ Panuin. in opere inedito.

## Decollatus

In Velabro, vbi aliquando fuit Aequimelium, & Argiletum. Eſt Archiconfraternitatis Laicorum Miſericordiæ nationis Florentinæ, ibìque eſt Cœmeterium, in quo ſepeliuntur, qui publica pœna capitis plectuntur.

## Florentinorum

Opus Michaelis Angeli Bonarotæ; auguſtum, in via Iulia, tholo, cellis ornatiſſimis, pauimentoq; conſpicuum. Eſt nationis Florentinæ, ibìque plura extant epitaphia, quorum hoc tantùm afferam.

D. O. M.
CAROLVS MADERNVS EQVES NOVOCOMENSIS, EQ. DOMINICI FONTANAE SIXTI V. ARCHITECTI NEPOS.
Eiuſdèmque in excitandis Obeliſcis adiutor cum Pauli V. iuſſu antiquam Vaticani templi partem cum porticu delineaſſet, columnàmq; ex delubro Pacis amolitus ante Liberij Baſilicam in Exquilijs, impoſito ſigno Deiparæ Virginis, erexiſſet, Vrbano VIII. Pont. Max. cuius architectus erat, ſepulcrũ ſibi, ſuiſque viuens Poſ.

## In Fonte

Apud Sacroſanctam Baſilicam Lateranenſem, vbi Conſtantinus Auguſtus baptizatus fuit: Rotundum, in cuius medio eſt labrum Lydij lapidis circumdato a columnis porphyreticis octo, totidèmque marmoreis minoribus ſuperimpoſitis, aurato lacunari ornato à Paulo V Hunc ferè totum inſtauratum picturis, tabulis lapideis, nouòque lacunari aureo nobilitatum ab Vrbano VIII. Pontifice Hic, vbi capella S. Io. Baptiſtæ, fertur fuiſſe cubiculum Conſtantini Aug. in quam ingredi mulieribus non licet. Hæc, & alia è regione conſtituta, poſtremò à Clemente Papa VIII. inſtauratæ.

## Genuenſium

In Regione Tranſtiberina apud Titulum S. Cœciliæ à Mariaduce Cigala Sixti IV. Theſaurario ædificatum cum annexo pro natione Genuenſi Hoſpitale.

## De Mercato

Vel Mercatello in Regione Campitelli à publicis nundinis, ob anguſtiam loci ad agonalem Circum translatis, ſic dictum. Eſt parochiale ſub cura monachorum S. Baſilij.

## De Pinea

In Regione Pineæ prope S. Mariæ ſuper Mineruam ſub cura Confraternitatis Pietatis Carceratorum.

## De Spinellis

Paruum extra Portam Angelicam à Canonico S. Petri in Vaticano, familiæ de Spinellis, ædificatum, vt quidam autumant Quibuſdam feſtis diebus vidi confrates Oratorij S. Mariæ de Vallicella hic pia exercitia peragentes.

S.IO-

In inſula Tiberina inter pontes Fabricium,& Ceſtium. Aliqui Conſtantinopoli, quæ noua Roma appellatur, credunt, S. Ioannem natum & ſepultum. At Romæ traditio viget, authoresq; plures ſcripſerunt, hic corpus S.Ioannis Calybitæ ciuis Romani, cum alijs reliquijs requieſcere Hic in tugurio propè domum paternam diem clauſit extremum, vbi Eutropius,& Theodora eius parentes Collegiatam eccleſiam ædificarunt, dotaruntq; Deinde clauſtrum monialiũ euaſit; poſtea Bononienſium Confraternitas illud obtinuit. Hic erat Capella cum Imagine B M. Virginis versus aquas Tiberinas, quæ apud Molendinas appellabatur: & hodie colitur apud dictas moniales translatas ad S. Annam. Ex fundo Baſilicæ Vaticanę, Bucceia nuncupato, qui prius dicebatur Nympha Catabaſſi, eratq; Via Cornelia 13. ab Vrbe milliario, hùc translata fuerunt corpora SS. Martyrum Marij, Marthę, & filiorum eius, vt ſcripſit Iacobus Grimaldus de Baſilicę præfatę canonicis &c.Supra Portam interiorem eccleſiæ hæc legitur inſcriptio.

SACRVM CORPVS DIVI IOANNIS
CALYBITAE ROMANI
Huius eccleſiæ,iam domus paternę, Titularis, & Patroni,vnà cum martyribus Mario, Martha, Audiface, Abachum,Hippolyto, Taurino, & Herculano ſub Ara maiori poſitum chriſtiane venerari memento. Fratres reſtaurauerunt. Anno Domini
M. DC. XL.

Eſt

Eſt ſub cura fratrum Ioannis Dei, vulgariter dicti Fate ben Fratelli.

## S. IOANNIS EVAGELISTAE

### In Aino

In Regione Arenulæ. Parochiale è conſpectu palatij DD. de Roccis.

### Bononienſium

Olim S. Thomas de Catena, apud Farneſiorum Palatium. Eſt Confraternitatis nationis Bononienſium.

### In Fonte

In Laterano ab Hilaro Papa voti cauſa constructum, & à Clem. VIII. inſtauratum, vt ibi indicat hæc inſcriptio.

CLEMENS VIII. PONT. MAX.
Oratorium à Sancto Hilaro Papa in honorem Sancti Ioannis Euangeliſtæ liberatoris ſui, & alterum è regione Sancti Ioannis Baptiſtæ nomine ante ann. mille, & centum extructa, vetuſtate deformata ad conſeruanda religioſæ antiquitatis monumenta, reſtituit, atque ornauit.
ANNO M. D. XCVI. PONT. VI.

Alia vide ſupra, Verbo, S Ioannes Baptiſta.

### De Malua.

Transtiberim prope portam Septimij à Sixto IV. reſtauratum. Dicitur de Malua corruptè vocabulo à Mica æurea, quod etiam corrupte vulgus accepit à Vico aureo. Propè fuit Portia Domus antiquitatibus

reſerta. An. 1641. ſuſtulit lapidem ſepulcralem Rector templi in quo erat inſigne cum boue paſcente, & Stella ſupra eius caput, cum hac inſcriptione.

*D. O. M.*
*Onuphrius Colalellus de Colalellis Ciuis romanus, qui vixit an. 50. obijt autem 3. Martij an. Chriſti 1516 Iacobus, & Damiani filij patri pientiſſimo poſuerunt*

In reſtauranda domo dictus Rector eo vſus fuit, præcipuè in portæ limine.

## In Oleo

Ante portam Latinam exiguum, & rotundum. Hìc in feruentis olei dolium miſſus S. Ioannes Apoſtolus, vt indicant hæc ibi antiqua carmina.

*Martyrij palmam tulit hic athleta Ioannes,*
*Principij Verbum cernere qui meruit.*
*Verberat hic fuſtè Proconſul, forcipe tondet,*
*Quem feruens oleum lædere non valuit.*
*Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli,*
*Quæ conſecrauit inclyta Roma tibi.*

## Ad Portam Latinam

Olìm Dianæ templum, in monte Cœliolo: ab Hadriano Papa I. in omnibus renouatum, & à Cæleſtino III dedicatum, vt hæc ibi indicat inſcriptio.

*† ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS*
*M. C. XC.*
*Eccleſiam S. Ioannis ante portam Latinam dedicata eſt ad honorem Dei, & B. Ioannis Euangeliſtæ per manus D. Cæleſtini III. Papæ, preſentibus ferè omnibus Cardd. tàm Epiſcopis, quàm & alijs Cardd menſe Maio die X. feſtiuitat. SS Gordiani, & Epimachi Eſt enim ibi remiſſio verè pœnitentium 40. dierum de iniuncta ſibi pœnitentia ſingulis annis.*

Olim

Olim fuit collegiata vſque ad annũ 1044. nunc ſemper ferè clauſa ſub cura canonicorum Lateranenſiũ, eſtque ibi Statio in Quadrageſima.

## S. IOANNIS DE FICOZZA

Vel de Ficoccia in Regione Triuij ſub Quirinali, prope S. Hippolytum nunc dirutum, in honorem Sancti huius familiæ, Ioannis nomine, Abbatis Sancti Laurentij extra moenia, excitatum à gentilibus ſuis. Hodie dicitur (ſanctus Ioannes Maronitarum) a Maronitis, quorum ſeminarium eſt illi annexum, ſub cura Patrum Ieſuitarum, a Gregorio XIII. inſtitutum procurante Antonio Card. Caraſa an. 1584. Erat parochiale; ſed tempore conceſſionis, factæ Maronitis, animarum cura translata fuit ad ſancti Andreæ de Frattis.

## SS. IOANNIS ET PAVLI

In cliuo Scauri in Cęlio, vbi olim altera curia Hoſtilia. Olim propria eorundem ſanctorum domus. A Bizantio primùm Senatore, mox à Pãmachio eius filio, S. Hieronymi ſcriptis notiſſimo, fabricatum; vnde & Bizantij, & Pammachij Titulus dictus fuit. A Symmacho, & Hadriano Pontificibus inſtauratum. Poſtea à Ioanne Sutrino Presb. conſtructum, vt præſeferunt carmina ſupra porticum extantia his verbis.

*Presbyter eccleſiæ Romanę rite Ioannes*
*Hæc animi voto dona vouenda dedit.*
*Martyribus Chriſti, Paulo, paritèrque Ioanni*
*Paſſio quos eadem contulit eſſe pares.*

Hinc clericus Agapitus ad Pontificatum euectus. Templum amplum, & ornatum, magniſque columnis in tres naues diſtinctum. Altaria, & Pauimen-

mentum ex vario marmorum genere: ante ianuam Leones duo, quorum alter vnguibus porcum, alter hominem tenet. Porticum habet columnis ſuffultam: Poſtremò cum eſſet incultum, & præ incuria ferè ignotum ſua munificentia Latinus Cardinalis Vrſinus illuſtrauit, celebrèque reddidit, & ad illud incolendum viros modeſtiſſimos chriſtiana ſimplicitate, & ſanctimonia præditos, quos Ieſuatos appellant, elegit, ſub quorum cura adhuc extat ſub S. R. E. Cardinali Titulare. Inſtaurationum, conſecrationum, & ſepulcrorum aliquot inſcriptiones ex eo, & ex Codicibus manuſcriptis deſumptas affero.

ANNO D. M.C. LVII. PONTIFICATVS D. HADRIANI IV. PAPAE ANNO IV. II. CALEN. IANVARII.

Per Ioannem presb. Card. qui totũ opus ſimul, & altare conſtruxit, conſecratum eſt hoc altare à Viliano Piſano Archiepiſcopo, viro religioſo, ad honorem Dei omnipotentis, & S. Confeſſoris Nicolai, & protom. Stephani, & S. Silueſtri, & omnium Apoſtolorum, & SS. Chryſanthi, & Darię MM. quorum reliquiæ ibi plurimæ reconditę ſunt feliciter.

ANNO D. M. CC. LVI. IND. XIV. PONTIFIC D. ALEXANDRI IV. PAPAE ANNO II.

Conſecratum eſt hoc Altare in die Palmarum ad honorem Dei omnipotentis, Petri, & Pauli, & aliorum Apoſtolorum per ipſum Papam, qui annis ſingulis ad hanc eccleſiam accedentibus in Aſſumptionis B. Mariæ die, & vſque ad 15. ſequentes, duodecim annos de vera indulgentia conceſſit.

In Abſide.

ANTONIVS CARAFA S. R. E.
PRESB. CARDINALIS

Cum huius Eccleſiæ titulum obtineret exornandum curauit an. D. M.D.LXXXVII.

ANTONIVS CARAFA HVIVS TIT. S.R.E. PRESB.
CARDINALIS

Sex huius eccleſiæ Altaria à Ludouico Archiepiſcopo montis Regalis die feſto S. Ioſeph 1588. conſecrari curauit, quo die quotannis viſitantibus vnum ex ijs Altaribus Sixtus Papa V. decem annos de vera indulgentia conceſſit.

HIC REQVIESCIT IN PACE ANASTASIVS PRESB. S. R. E. QVI VIXIT PLVRIMOS ANNOS

## S. IOSEPHI

### In Regione Campitelli

Ad radices Capitolij forum Romanum reſpicientes, & ſupra Carcerem S. Petri. Non inelegans ſub cura Societatis Fabrorum lignariorum.

### Ad Sepes

Siue de Frattis in colle Hortulorum, regionèque Columnę à Franciſco Soto Hiſpano, Capellę Pontificię muſico, & Congregationis Oratorij Sacerdote anno 1598. erectum vnà cum monialium ordinis Carmelitarum Diſcalceatarum S. Thereſiæ monaſterio, quod hæc inſcriptio ſupra veteris Eccleſiæ portam indicabat.

IESV MARIAE IOSEPHO

Templum hoc, & Monaſterium Monialium Diſcalceatarum primitiuæ regulæ, ordinis B. Mariæ Virginis

nis de Carmelo S. Ioſeph dicatum. Franciſcus Soto Hiſpanus Oxomeñ cõgregationis Oratorij Vrbis presbyter, & muſicorum Pontificiæ Capellæ Decanus ſuis ſumptibus, & induſtria à fundamentis erexit, ornauit, & dotauit An. D. 1598. Clement. VIII. Pontifice Maximo.

Templum hoc anguſtum, & confluentis populi incapax in proximam ædem tranſlatum ampliori, & elegantiori forma ſumptibus monialium, & Marcelli Lantis S. R. E. Card. qui in eius fundamentis primũ lapidem poſuit cum hac inſcriptione.

✠

IESVS . MARIA. IOSEPH
MARCEL. LANTES ROMANVS
PROTECTOR
† PRIMVM LAPI † DEM POSVIT †
DIE XXVII. MAII M. DC. XXVIII. VRB. VIII
PONT. MAX. ANNO V.

✠

## S. ISIDORI

Sub Gregorio XV. ædificatum à fratribus Strictoris obſeruantiæ ſancti Franciſci. Auctum conuent u, & horto induſtria Doctiſsimi viri Fr. Lucæ Vvaddingi Hiberni, ordinis Franciſcani Chroniſtæ, ac Collegij Hibernici inibi fundatoris.

## S. IVLIANI
## Ad Cæſarinos

Antiquum, & paruum à Belgis cum Hoſpitio erectum; Ex eo hæc accipe epitaphia.

VEN. VIRO D. ANTONIO ESPANAVLT De Lutoſa Proton. Apoſtolico & Canonico Cameracen. qui præter ſuorum ſpem præmatura morte migrauit ad ſuperos, pridie Aſcenſionis Domini an. D. M. D. LXIX.

Henricus de Buis Phyſicus Canonicus Cameracen. huius Eccleſiæ Prouiſor confratri dulciſsimo inſtante Domino Henrico de Rouer. Flandro coexecutore ponendum curauit XXVI. Septembr.

D. O. M.

*Biſduo cum fuerant lęto mihi luſtra peracta,*
*Infauſto patrium ſidere linquo ſolum.*
*Romam adeo, nonum vix luna repleuerat orbem,*
*Mors nimium properans me rapit, hic iaceo.*

Liuino Pels ex optimatibus Sirixe inſignis Zelandiæ oppidi prognato, qui eſſe deſijt 26. Iulij 1520. Sorores mœſt. PP.

## In Monte Exquilino

E conſpectu S. Euſebij, & in ea montis parte ab aliquibus Mariana, & Merulana appellata, quam potius Martianã diceremus, ſi ab aquę Martiæ proximo emiſſario deriuanda eſt denominatio. Anguſtum, ſub cura fratrum Carmelitanorum, qui centum abhinc annis die ſeptima Auguſti ſolebant benedicere aquam cum Reliquijs ſanctorum Iuliani, & Alberti, contra febrium, aliarumq; infirmitatum horrores efficaciſſimam.

## In Monte Iordano

In veteri Curſorum vico, olim Capella S. Angeli Mincinelli, ſeu in Macerello: anguſtum ſub cura Societatis laicorum.

### S. IVONIS

In Campo Martio in vico vulgariter dicto *la ſcrofa*, olim vocabatur *S. Andreas de marmorarijs*, vt Grimaldo placet: eſt parochiale, apud quod erectum Britannorum Hoſpitium, quibus anno 1511. conceſſum fuit templum: tum ſub Gregorio XIII. vnitum Societati S. Ludouici Gallorum. Hic Collegium Aduocatorum Conſiſtorialium ſolemnia peragit S. Iuoni, die illi ſacra. Plura habet epitaphia, & præ cæteris ea, quæ ſubnecto.

*OLYMPIAE CAPOCIAE VINC. F. Origine & virtutibus verè Romanæ, quæ obijt id. Decembris 1594. ætatis ſuę menſe decimo anni 40. Ioan. Franciſcus de Cruce Ciuis Rom. coniugi dilectiſſ. ſibiq; & ſuis Poſ. an. D. 1595.*

*Aula nitens animam, corpùſque ſepulcrum*
*Iſtud Ioannis Segobienſis habet.*
*Qui plures annos ſanctis hanc moribus vrbem*
*Syncerè coluit, Pontificumq; lares.*

Vix. an. 65. mens 9. dies 28. obijt in Domino die 28. Septembris anni 1548. Apoſtolicus, & Sanctiſsimi D.N.D. Pauli Papę III. domeſticus Scutifer Andreas de Palentia fratri optimo benemerenti cum lacrymis poſuit.

*Hic requieſcit famoſiſsimus V.I.D.R. Pater D. Iacobus de Penco qui obijt die 25. menſis Auguſti ann. Dom. 1426.*

MAVRO TVRINO FLORENTINO PRIORI, AC ABBATI ECCLESIAE TRIVM FONTIVM Nec non S. Iui Præfecto, iconomo R. Card. de Graſsis, & de Nantis Viro nobiliſsimo, ac integerrimo. Vix. an. 70. Catharina eius cognata non ſine lacrymis poſ.

S. LAVRENTII

Minus, & maius, vt colligitur ex Anaſtaſio in vita Hadriani pag. 158. & 168. extra portam vrbis Exquilinam, via Tiburtina, in Agro Verano, ſupra arenarium cryptæ, vbi Cœmeterium Ciriacæ Matronæ Romanæ, quod etiam Ciriacetis appellatur, extructum à Conſtantino Imperatore; à Pelagio II. Papa denuò à fundamentis conſtructum; à Gregorio II. reparatum, qui etiam aquam fiſtulis compaginatis poſt multum tempus in eãdem Eccleſiam reduxit, vbi tectum nouis trabibus, porticùmque à Porta Ciuitatis vſque in idem templum nouiter conſtruxit. Hadrianus I. minorem, maioremq; Baſilicam à nouo reſtaurauit. Pulchertimum, & patriarchale, vnumq; ex ſeptem, quæ maxima populi frequentia, & deuotione viſitari ſolent. Habet 22. columnas ionicas, duodecim doricas, quibus decem aliæ ſuperimpoſitæ: Ex doricis duæ ſunt cum capitellis, in quibus imagines trophæorum. Pauimentum teſſellatum marmoreum; laquearia aurata. Suggeſtus è viridi, & purpureo marmore cum notis ægyptijs in baſi; ſeptum chori amplum, vbi altare maius nobili ciborio porphyreticis columnis ſuffulto; in quo legitur.

*ANNO DOMINI M.C.XLVIII.*
*Ego Hugo humilis Abbas hoc opus fieri feci.*

Nec non Lapis crate ferrea coopertus ſanguine, & adipe S. Laurentij aſperſus. Hic ſub Ara

maxima reconduntur corpora ſanctorum Laurentij mart. ac Stephani protomart. quorum confeſſionem Sixtus III. ornauit columnis porphyreticis, & altare cancellis & ſtatua S. Laurentij argenteis. Hilarus eundem S. Laurentij locum quamplurimis aureis, argenteiſq; donis locupletauit: quem poſtea Anaſtaſius & Pelagius Secundi ex argento fecerunt. Hìc Simplicius Papa conſtituit hebdomadas, vt regionis tertiæ presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, & baptiſmum; ibiq; Clemens III. clauſtrum ordinauit. Hìc ſepultus fuit Zoſimus, nec non Sixtus III. & Hilarus Summi Pontifices, ac Leo Epiſcopus, de quo Anaſtaſius in Vita Hadriani I. Hìc Cœmeterium Hermetis, ac S. Hippolyti, vbi quamplures martyres ſepulti iacent. Hùc feria 4. ante Aſcenſionis Domini feſtiuitatem pergebat Clerus exiens ab Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem cum hymnis, & canticis Dominicas Litanias celebraturus ex Leonis III. inſtituto. Hic Symmachus Papa pauperibus habitaculum conſtruxit, & Leo IV. monaſterium monachorum reſtaurans, muneribus, ac diuitijs locum pleniſſimè ornauit. Honorius III. hìc Petrum Altiſiodoreñ Comitem in Imp. Conſtantinopolitanum coronauit, & Baſilicam renouauit. Plura continet ſepulcra, quorum vnicam inſcriptionem aſſerimus.

*Guichardi tumulus de Sancto Simbrobiano*
*Hic patet, & titulus deſcribit gramate plano!*
*In Lugdunenſi clero fuit intitulatus,*
*Præpoſitus de Foruerio, vir mitis, amatus*
*Dapſilis, & prudens, claraq; propagine natus,*
*Mortuus in feſto ſtellæ, ſed luce ſequenti*
*A Paſtore ſuo ſepelitur honore decenti*
*Anni tranſierunt tunc Chriſti mille trecenti,*

*Anni vir fidei petijt veniam Iubilei.*
*Filius ipſe Dei propitietur ei. Amen!*

Cœterum Baſilica præſefert amplam porticum columnis ſulcitam, ab Honorio III. Papa fabrefactam; & intus laqueatum tectum picturis & auro exornatum, ab Oliuerio Card. Carafa. Eſtq; ſub cura Card. commendatarij, & Canonicorum regularium S. Saluatoris Congregationis S. Frigdiani.

## In Damaſo

In Regione Parionis; eſt incluſum in Palatio, quod inhabitat Pontificis VCancellarius: A Damaſo Papa ædificatum propè theatrum Pompei; & ab eodem in Titulum erectum: ab Hadriano I. & Leone III. reſtauratum; à Raphaele Riario Card. S. Georgij à fundamentis renouatum; ab Alexandro Farneſio Card. VCancellario laqueari aureo, & inſignium artificum picturis illuſtratum. Antiquitùs in feſto eiuſdem ſancti Damaſi Chriſtifideles ſumebant potum in cyatho grandi vitreo ad honorem dicti Sancti, cuius virtute omnes confidebant ſe de febribus liberari, vt antiquarij anni 1550. teſtantur. Hìc duæ erectæ ſunt Archiconfraternitates laicorum, ſcilicet ſanctiſſimi Sacramenti, & Conceptionis B. Mariæ Virginis. Habet Canonicos, Beneficiatos, & Clericos; Item Collegium Confeſſariorum, Parochiam, fontem baptiſmalem, & eſt titulus Cardinalitius, quē poſſidet Franciſcus Card. Barberinus, qui apſidem vniuerſam dilatauit, parietes eius lucentibus, pretioſiſq; lapidibus cooperuit, altareq; nobiliſsimum in medio presbyterio locauit. Hęc inter plura habet epitaphia à nobis lecta in m.s. Franciſci Scardouæ in Bibliotheca S. Praxedis.

In

In Capella ſanctiſsimæ Conceptionis.

*Me tenuit fornix, populoq; expoſta manebam,*
*Hic poſuit pietas grata ſodalitij.*
*Illius ipſa fruor translatæ munere ſedis,*
*Et fruitur noſtra ſæpius illud ope.*

*Viueret æternum vt Felix qui conditus hic eſt,*
*Extremum vt moriens vixit ad vſque diem:*

*Hic pars vna mei eſt, viuit pars altera Cœlo,*
*Pulchrior erumpam tota iterum è tumulo.*

*Iulia dum vixti, pro te ſuſpiria, quæſtus*
*Fudi ego, ſæpe ægro pectore, ſæpe animo.*
*Nunc verè ad tumulum quoties pia iuſta repono,*
*Do lacrymas cineri, fundo preces ſuperis*
*Sic precibus lacrymas miſcens tua buſta reuiſo,*
*Dilecto quoniam non licet ore frui.*

## In Fonte

In vico Patritio, qui nunc Vrbanus dicitur, ſubiacens cliuo Virbio; ſupra fuit Palatium Seruij Tullij. Olim fuit domus S. Hippolyti mart. & carcer S. Laurentij: Paruum, pulchrum, & maximæ deuotionis, optimèq; cultum à Congregatione Vrbana Aulicorum vrbis, de quo plura in noſtro opuſculo edito.

## In Lucina

Olim Iunonis Lucinæ, quod Sixtus III. noua fabrica auctum, & illuſtratum S. Laurentio dicauit: vel, vt aliquibus placet, in alicuius religioſiſsimæ Lucinæ ſolo excitatum: à Benedicto II. Sergio & Hadriano Primis reſtauratum & à Cæleſtino III. conſecratum, vt in inſcriptione allata inter noſtras ad Ciaconium additiones pag 630. E.

Illud, & adiunctum palatium, pro Cardinalium titularium incolatu inſtaurauit, ſeù à fundamentis excitauit Ioannes de Rupeſciſſa Cardinalis, vt indicabat hæc ibi olim inſcriptio ex Codice Vaticano exſcerpta.

*Mille quadringentis Domini labentibus annis*
*Vigintiſeptem adiunctis, quo tempore Paſtor*
*Martinus Quintus. prius Oddo, à ſtirpe Columna,*
*Eccleſiam, ac populos tranquilla in pace regebat,*
*Iuſtitia ac pietate ſimul, qui frœna ſuperbis*
*Impoſuit virtute ſua, domuitq; rebelles,*
*Expulit inuiſos patria de ſede tyrannos,*
*Raptoreſq; truces, peregrinis omnibus vrbem*
*Fecit iter tutum, nec tempore tutius vllo*
*Caſtra, vrbes, iura eccleſiæ diſtracta per annos*
*Ad Dominum rediere ſuum, & ſubiecta fuere:*
*Vrbs etiam Romana ſui non parua recepit*
*Incrementa, nec vnquam in tanta pace quieuit.*
*Rothomagi Pater, & Præſul venerandus ad vrbem*
*Romuleam venit, Rupe de Sciſſa Ioannes*
*Cardine Apoſtolico domino decoratus ab ipſo,*
*Huius & Eccleſiæ titulo remanente priori*
*Rothomagi Eccleſię merito cognomine patri.*
*Iſte domum quaſi collapſam, & proſtrata ruinæ*
*Fundamenta videns, nam vt priſca recenſuit ætas*
*Vnus Cardineo Antiſtes præclarus honore*
*Anglicus hæc olim fundaſſe palatia fertur*
*Vltro opus aggreditur. templumq; domumq; cadentem*
*Cuncta nouans reparat, partimq; palatia Templi*
*Funditùs inſtaurat, ſublataq; iura redemit.*
*Cui decus, & meritę manent per ſecula laudes.*

Iterum templum, & palatium Philippus Sanctę Rom. Eccleſiæ Card. Calandrinus a fundamentis renouauit. Altare maius B. Mariæ Virg. dicatum eſt, cuius imago miraculis claruit in reſtauratione Eccleæ iaſta

ab

ab Inico d'Aualos Card. Aragoneñ. Erat ſub cura Canonicorum & Beneficiatorum, qui a Paulo V. vniti fuerunt Capellæ ſuæ in Baſilica S. Mariæ Maioris; nunc regitur a Clericis regularibus Minoribus.
Hìc Trullæ Bononienſis ſcurræ epitaphium a Scardona ſæpe cit. tranſcriptum ſic.

*D. O. M.*
*Dominico Bertocchio Bononieñ vulgò* Trulla; *omnibus maximè Principibus ob ſales faucibuſq; res geſtas ſemper iocundo, & caro, Liuia Cardina marito dulciſſimo ſibi, ſuiſque poſteris. Vix. an. . . . obijt 7. non. maij an. Iub.* 1600.

Hìc ſub maiori altare eſt reconditum corpus S. Simpronij mart. è via latina à Gelaſio II. Papa hùc translatum, & aliæ Sanctorum reliquiæ.

## In Miranda

In foro Boario apud Fauſtinæ porticum ædificatum. Olim Collegiata; nunc ex conceſsione Martini V. Aromatariorum eſt Collegij, cui adiunctum eſt Noſocomium. Porticus antiquiſsima adhuc viſitur habens decem ingentes columnas cum epiſtylijs, & hac inſcriptione.

D. ANTONINO ET D. FAVSTINAE
EX S. C.

## In Paniſperna

Sic, corrupto vocabulo, appellatur hoc templum, ſed dicendum, *in Perperna*; plura etenim monumenta & inſcriptiones à Grutero relatæ, aliás hìc extantes, ab aliquo huius familiæ viro excitatum fuiſſe templũ nobis ſuadent; vt pluribus demonſtrauimus in noſtro liberculo italicè de Roma bis edito. Hìc Thermas Olym-

Olympiadis fuiſſe perhibent Acta Martyrum, in quibus aſſatus fuit S. Laurentius, quas propè fuit Imperatoris Decij Palatium. Hoc templum antiquitùs fuiſſe appellatum, ad *Formoſam*, & in *Formoſo* multi opinantur. Cœterum Gulielmus Sirletus Card. ſua impenſa templum reſecit, in quo requieſcit corpus Sanctæ Marmeniæ. Hìc eſt Monaſterium monialium S. Claræ.

## In Piſcibus

In Burgo veteri, ſic à familia di Piſcibus dictum. Olim à Thoma Armellino Anglo Card. tum à DD. de Cęſis Cære Ducibus reſtauratum: erat parochiale, nunc eſt Societatis laicorum S. Spiritus in Saxia.

## Ad Sancta Sanctorum

Apud lateranenſem Baſilicam: olim intra Lateranenſes ædes à Nicolao III. à fundamentis conditum muſiuo, cruſtiſque marmoreis coopertum, priore iam vetuſtate collapſo: vbi idem Nicolaus ſanctorum Petri, & Pauli capita condidit, donec Baſilicę Conſtantinianę reſtitutio abſolueretur. Ante hoc S. Laurentij ſacellum Sixtus V. Scalam Sanctam, qua Chriſtus Dominus in Prętoriũ Pilati fertur aſcẽdiſſe, poſuit, & nouis ſcalis, clathratiſq; porticibus cinxit: ſacella duo addidit, ſacrarij præfectum, & alios miniſtros inſtituit. Hìc aſſeruatur Imago ſanctiſſimi Saluatoris ſeptem circiter palmorum altitudinis toto terrarum orbe venerabilis, auro, gemmiſq; pretioſis fulgentiſſima, ab Innoc. III. argento clauſa, cuius hiſtoriam ſcripſit Petrus Leo Caſella, quę m. s. aſſeruatur in Bibliotheca Barberina; haberurq; ſupra altare ſcriptum

NON EST IN TOTO SANCTIOR ORBE LOCVS

A lateribus dictę Scalæ ſanctæ propè venerabile ſacel-

lum

ſum tres antiquæ Portæ viſuntur, hùc deuotionis cauſa translatæ; feruntur enim fuiſſe in palatio Pilati, & per eaſdem Saluator noſter Ieſus Chriſtus fertur tranſiuiſſe. Inter hoc Scalarum ſanctarum ædificium & domum Pœnitentiariorum Lateranenſium ſupereſt antiqua Abſis è muſiuo Triclinij; Leonis Papæ III. à Card. Franciſco Barberino reſtaurata, ab Vrbano VIII. indulgentijs ditata, & eruditiſſimo libello Romæ edito illuſtrata à Nicolao Alemanno. Cœterum ſacer locus eſt ſub cura Patritiorum Romanorum.

Verùm dũ hæc ſcribebamus incidimus in antiquiſsimam narrationem Imaginis Beatiſsimę Mariæ Virginis, eiuſq; filij, noſtri Saluatoris, quam cum indubitanter credamns de hac Lateranenſi loqui, hìc recenſere curauimus ex duobus peruetuſtis Codd. Vatic MS. ſignatis num. 375. & 1147. gręcis, & latinè redditam à claro religioſòque viro Neophyto Rhodino Cyprio.

### *COMMENTARIVS IN APPELLATIONEM Immaculatæ, atque adorandæ Imaginis puriſſimę Dominę Noſtræ Deiparæ, ac ſemper Virginis Mariæ Romanę.*

MAGNVM vtiquè, & omnium, vt vno verbo dicam, quæ à Deo hominibus &c. (& infra) Sciens itàque generoſus ille (videlicet S. Germanus) & inſolentiæ temporis locum dare, atq; cedere; nec nõ & illud Apoſt. quòd, qui piè in Chriſto viuere volũt, perſequutionẽ patientur, & ob id omnia generosè ſuſtinẽs, nõ contẽdendo neq; clamãdo, nec vocem quidem emittendo, diſcedit ab eccleſia. Coniungit autem ſibi ipſi, & peregrinatio-

nationis viatica, duas venerandas Imagines; Vnā quidèm Deiparæ, quam ex originale eius, quæ erat Lyddæ Sanctum depinxiſſe iam diximus; & de qua & præſens nobis eſt ſermo. Aliam autem Chriſti, qui ex ea natus eſt; qui,vt ait Apoſtolus, Imago eſt inuiſibilis Dei,omnia habens ſubſtantialiter, & naturaliter quęcunque & Pater. Hanc verò à Patriarchali domo accepit, menſuram habentem ætatis, & figuram,& reliquas figurę proprietates, quales, vt aiunt, tradiderũt hi, qui Chriſtum nobiſcum conuerſari viderint, vt menſura quidem ad tres extendebatur vlnas; Figura autem parua, & incurua, & manſuetudo in facie exoriens. Partes autem faciei, ſupercilia compta, vnita verò, & in ſe ipſa reſpicientia, pulchris oculis, pulchris naribus; color mixtura ex excellentiſſimis coloribus,quemadmodũ natura optimè miſceret. Caput criſpis capillis, flaua cæſarie paulatim aurum referens. manus (quæ omnia operata ſunt) digitos in longius protrahebant; vt autem in vniuerſum dicam, totus character talis erat, qualis & eius, quæ immaculatè eum peperit. Cui enim aſſimilari poterat is, qui in terra ſine patre fuit, vt à principio ſine matre. Has Imagines habens B. Germanus in exilium mittebatur. Miſſus autem literas ad eum, qui tunc erat Romanus Pontifex mittit; ſacer is erat Gregorius,quem (ex illo animam delectante Dialogo, qui ad Petrum quidem proprium diſcipulum inſcribitur, veruntamen pijs

om,

omnibus communis proponitur vtilitas ) Dialogum nuncupant quamplurimi. Et literæ omnes notificabant quæcunque acciderant eccleſiæ, & vnà cum his & propriam à Sede expulſionem narrabant. Sed hìc mihi, & enarrationum iucundiſſima & miraculorum horridiſſima. Cum enim nauigare debuerit iſte Pontifex, acceſſit ad litus in Portu ipſo, qui olim quidèm Amantij, nunc verò Siderà appellatur, Tabulâmque, in qua Dominica pingebatur Imago cum perforaſſet propè dexteram manum, appendit obſignatam ad Papam epiſtolam. tempus ac horam in ipſa notificans. Deindè circumfuſus Imagini cũ lacrymis oſculans ( ſed neſcio hìc quod prius mirari debeo, viri huius fidem, aut Saluatoris virtutem magnificabo, Imaginisq; gratiam ) biſque illud ſcripturæ acclamans; Magiſter ſalua te, & nos, proiecit illam in mare: & hæc quidem incedebat non ab aquis huc & illuc agitata, ſed ſeipſam magis, & aquas mouendo, atque ferendo. Neq; prona neq; ſupina, ſed recta tabulæ extremitate mare tangendo. mirabilis quidem res. miratus eſt olim quidam prȩuidens deambulationem in mare, Saluatorem corporaliter ipſam facientem, quando nimirum & diſcipulum ad ſe natantem, & ob modicam fidem quaſi ſubmerſum ſaluabat; ob id, & dicebat, qui ambulat ſuper mare veluti ſuper ſolium. quis autem in huiuſmodi miraculum inferiorem ſermonem diceret, & Theandricæ faciei effigiem hoc modo tamdiù

in

in mare verſari. & rectè nauigare, fortè hoc illo maius ac mirabilius inquantum Imagines exemplariorum ſint ſecundæ. Sed vnus & idem fuit, qui tunc in propria carne, & nunc in ſua imagine quid ſimile faciebat. Coniunguntur miraculis miracula quædã veluti imaginis nauigationem antecedentia: quedam verò & ante ipſam imaginem portum ingredientia. At hæc quidem nauigabat & Romam verſus ibat. Papæ autem hac eadem nocte diuinum in ſomnis acceſſit ſomnium excitans eum ad obuiandum Regi per mare ad eum accedenti. At ille ſurgit mane, & iubet Clero, candelis acceptis atque Thuribulis ſequi. at ſolita ipſi rati parata, cum his illam aggrediens per Tiberim fluuium, qui per mediam Romanam vrbem tranſiens in mare confluit, nauigabat. Cùm autem ad locum, vbi fluuius mari coniungitur perueniſſet, videt à longè Saluatoris imaginem æquali ſtatione fluuialem fluxum decurrentem. Vbi verò in nauigatione properans propè venerit; obſtupuit de illa viſione Pontifex. in timorem, & gaudium compartitur; procidens adorat; clamat cum planctu, nunquid nobiſcum indignis, ò Domine hoſpitari dignatus es, & ad noſtram Vrbem tua nauigatio? quemadmodum ſuper aquas pedibus incedis, ſic etiam aſcende ad Nos. non enim audemus noſtro impetu te tangere, quoniam etſi in aquarum ſuperficiem ambulas, ſed profunda eſt iudiciorum tuorum mens. Hęc quidem ipſe cum lacrymis cla-

clamabat, indubitata fide motus. Illa verò ſtatim per aera volando in Pontificis vlnis quieuit. Quinàm ſermo dignè miraculum hoc hymnis extollere valebit; aut ſi non hoc, moderatè ſaltem gaudium, quod tunc contigit, narrabit; communem exultationem quantam habuit tum pontifex, tum populus omnis, qui circa eum erat? ſed non ſolum hi, verùmetiam magnæ Vrbis Romæ omnes habitatores felices ſe appellabant, meliores, ac maiores omnium hominum ſe exiſtimabant, connaturali faſtui & hoc addentes, & magis tunc (ſi & alio tempore) altè & ſuperbè incedentes. Currum itaque Pontifex aſcendens, vt ab eis, qui poſt ipſum currebant, videri poterit: Imaginem præ manibus geſtans, populo cleròque omne pręcedente, hymnis laudibùſque vſi celebrabant ei in Vrbem ingreſſum. Cum autẽ in Apoſtolorum Principis Petri templum perueniſſet, ibi eam collocarunt. Verùm etiam neq; ibi quidèm cum quieuiſſet, à miraculis faciendis ceſſauit; qui enim aſſiduè accedebant Imagini, eam adorando, ſalſuginem ſentiebant. Defluebat etiam humiditas quædam ex immaculatis Chriſti pedibus, quam abſtergentes, & malè affectis corporis partibus ægroti approximantes, ægritudinum, vel etiam dolorum illicò ſanitatem conſequebãtur; Sol enim veluti, aut bonus medicus ad occidentales cum acceſſiſſet & radios extendens beneficos, non defuit beneficia conferendo, & ſanitates attribuendo infirmis. Tunc verò, &

epiſtolam Pontifex cum ſoluiſſet, quæ immadefacta in tanto traiectu manſit, & quæ Imperator impius nouiter molitus ſit aduerſus fidem à Preſule edoctus; nec non & locorum interuallo animaduertens ( vix enim viginti quattuor horarum integrarum tempus erat, ex quo e Conſtantinopoli Imago hæc, ad feliciſſimam Romam fuit miſſa ) varius fiebat, mirabatur, immenſamq; Saluatoris potentiam glorificabat: ęgrè admodum ferebat quoque propter nouiter pullulatam hæreſim; dolebat ob prouidentiæ diuinæ ſuper calumniatores Imaginum patientiam. ideò & ſcripſit, & redarguit Imperatorem, vt oſtendunt bonæ Gregorij ad illum epiſtolæ zelo & libertate plenæ exiſtentes, immò & ſapientia abundantes ſpirituali, quamuis propter à latina in Græcam translatæ vocem, compoſitionis artem non præſeferant. Hæc cum ſic contigiſſent, Beatus in exilium miſſus audiuit, & quia certè ſciuit, quòd prima, & maxima Vrbium circa fidei rem benè ſentit, non à ſe meliorem ſpem abijciebat, nimirum quòd tandem aliquando inſtar Solis ex occidente rurſus orthodoxa fides relucebit, & ad orientem perueniet; & eos, qui iconomachiæ tenebris ſedent illuminans, noctem effugabit chriſtianæ religionis calumniatorum hęreſim. Augebat autem ſpem & fidem in Deum ſemper, & huic proportionalem etiam ſpiritualem fructum colligebat virtutibus abundans omnibus, ſcatens à Deo datis donis, ærumnas atque afflictiones patiens,

& bo-

& bonum hoc,vnà cum exilio,ferens opprobriũ quod pro fidei confeſſione damnatus eſt, & vt Apoſtolus ait, gaudens in proprijs paſſionibus. Et videas iterum quæſo fidei viri huius magnitudinem, non enim quia Deus ad auxiliandum ſuos adoratores tardabat (qualis mos eſt ſuorum inenarrabilium mirabilium) ob id & à fidei robore defecit, immo etiam magis ac magis fortificabatur, & hoc modo validior deinceps fiebat, audiebat enim Prouerbiorũ authorem ſic manifeſtè docentem atq; dicentem, Fili ne negligas caſtigationes Domini; ne ſepares te, dum ab ipſo redargueris. Hoc itaque modo exiſtens, ſi quidem & plenus eſſet dierum tum humanarum, tum etiam ſpiritualium, nouìtque ex hac vita ſuam in aliam migrationem accedentem, in qua imaginibus & ſpeculis, veritatis atq; prototyporum oſtenſione ſecedentibus & conuerſatione, quæ facie eſt ad faciem optato frui debebat: Videns quoque & malorum flammam vlteriùs accenſam & paſcentem in circuitu omnia quæcunquę ſubiecta erant prauo impietatis imperio; vbiq; enim frangebantur Imagines, igni tradebantur, conculcabantur ſancta; & horum adoratores quidam in exilium mittebantur, alij verò pœnis ſubijciebantur atque ſupplicijs & poſt multa verbera multaq; flagella, crudeliter quidèm ab impietatis miniſtris allata generoſiùs attamen à fidei propugnatoribus contempta, carceribus, & vinculis tradebantur. Cùm itaq; hæc Spiritu præuiderit,

derit, & quod in longum tempus malum hoc permanebit, confidit alto mari & aliam venerandam Dei matris Imaginem, quam, vt ſuperiùs diximus, ab ea, quę in vrbe Lyddę à Deo depicta imagine tranſcriptam ſecum ferebat in omnibus exilij diebus, & in omnibus à loco in locum peregrinationibus. Parua erat, & ideò benè ornatam circumferebat. Hac eadem rurſus fide armatus & literis patefaciens ſe ipſum & diem, & ad quem mittitur, cum perforaſſet tabulam circa capitis ſummitatem, in hoc tutè epiſtolium collocat. Poſtea verò oſculando, ac lacrymando, nec non & cum magno dolore ſuſpirando, talia ad illam flendo proferebat. Vade, ò Domina, vade & tu quò & filius tuus antea. proſpera vtere nauigatione & ſalua ſis. & quemadmodum olim in mirabili tuo partu ab infeſtiſſimo Herode, ſic & modo à Leone Iſaurico impio, ſicut tunc in Aegyptum, nunc ad magnam Vrbem Romam & cum infante tuo, qui ante ſecula eſt, tranſeas magnum hoc, & ſpatioſum mare, nauigationis tamen periculo ſine vllo: Geſtas enim in vlnis eum, qui verbo ſuæ virtutis fert cuncta; eũ, qui veſtigijs abyſſum deambulauit, & ſalua te in manus Gregorij tui famuli. Nos autem, qui pro te pericula patimur, ad Abrahæ tui primi parentis, noſtri verò patris ſinus, qui & eius fidei hæredes ſumus, colloca, & memento mei in cœleſtibus tabernaculis; deinde, ſuos cum oſculatus eſſet pedes, proiecit illam in mare. Et videre tunc

erat

erat ſpectaculum iucundum ſimul atq; mirabile. natabat in mare recta. ſuper tranquillas nauigabat vndas. Exaltabatur cum illis dum conſeruarentur: Deſcendentibus autem condeſcendebat non ad faciem aſpiciens, vt omnibus ſubiectis partibus diuidens aquas, ne ad velocitatem impediretur (quoniam neque nauis ipſa ſic ferri poteſt) inſtar autem lineę tanquam ad proram ſe ipſam dirigens citò, & in ictu oculi ſpectantiũ aſpectum ſuperuolauit. Sed rurſus nocturnæ viſionis Pontifici Gregorio ad mare deſcēdere iubebant. ſolemnem atq; illuſtrem comitatum Reginę celebrare, ducit enim ſecum & Regem. Vbi autem Pontifex ſomnum excuſſerit, Clerùmque totum ſtatim conuocauerit, hos quidem candelas, illos verò thuribulum accipere iubet, & alijs alia facere, quibus à ſacerdotibus Regis adornantur ingreſſus. excitabant enim illum iuſta non tanquam noctis phantaſmata, ſed tanquam diurna Regia pręcepta, oculis quidèm viſa, manibus autem pulſata. Hic enim Deus conuerſando atq; conueniendo ſanctas diſponis animas nō ſolum lactantes, vt ait Dauid, in cubiculis ſuis, ſed etiam poſtquam ſurrexerint. Statim autem hos quidem fluminis ripę habebant, Tiberis verò nauiculis implebatur. & claſſis primatum in rate ſolita Pontifex aſcendens habebat, clerus autem circa eam nauigabat, & ventus vna cum flumine impetuosè compellebat ad mare. Statim autem quam adfuerint vbi fluuius ori maris coniungi-

tur, & puriſſimæ Deiparę imago videtur recta mare diuidens, & mirabiliter ad hos feſtinans,& cum iam nauiculam pontificis tetigiſſet; extendens manum Papa eam ex aquis accepit, & ſua ſtola abſtergit madefactam partem verſus pedes imaginis: è contra verò madefecit ipſam & iſte lacrymarum impoſitione ori eam attingens, adducendo oculis cum magna compunctione, atq; exultatione. Sublata quoq; quę prope caput imaginis erat particula, inuenit literas & à literis cauſam, & horam, ob quam,& in qua,& à quo fuerit miſſa. Idem autem tempus imaginum videbatur ambarum nauigationis, vno videlicet die, vnàque nocte completum. Clerus itaq; coram imagine eamq; geſtante nauigantes, veluti quibusdam pulſibus cantis & hymnis aſcendenti gratias offerentes, aerem percutiebant; ſonus autem ad ciuium perueniens aures, reſonabat. Confluebãt omnes, & ad canentes concurrebant non minùs quã in prima admiratione, & in ſimili miraculo iterùm obſtupebant, quomodo exiſtimatis? immò & fidei in Chriſtum ſtabilitas apud illos confirmabatur. & in ſanctas imagines cultus ſtabiliebatur & augebatur. Deinde cum Papa ſolitum iumentum aſcendiſſet in vlnis imaginem geſtans Cumq; mediam tranſiſſet per Vrbem ad D. Petri Apoſtolorum coryphæi peruenit templum, et interiora templi ingrediens eam collocat. Ego exiſtimo & Apoſtolorum tunc Principem valdè lætatum eſſe propter matris Dei Imaginis in ſuum

tem

templum aduentum, & coapoſtolis conuocatis cum ipſis ſtetiſſet, & de puriſſimæ Virginis ingreſſu hymnum ceciniſſe, & magis lætè, quàm olim Dauid figuralis Arcæ ceſſationis, ſeu quietis ſolemnitatem, etiamſi iconoclaſtarũ inuidia perturbetur; & tamdiù increpare aggrediatur cultum, qui circa Chriſti & Deiparę matr s verſatur imagines, vt & olim Deiparenti Dauid Melchol Saulis filia, quamuis ipſe parùm de hac re curaret; Figura enim eſt in imaginum honorem, diuini illius Dauid; honor Arcę exhibitus et demonſtratio huius non ignobilis, in figura enim & ille animatę arcæ inanimatam Arcam auro purioris auro coopertam adorabat. Ob id adorans atq; honorans coram ipſam ſaltabat, & nos ſimiliter tanquam in exemplari adoramus effigiem. At fortè in omnia audaces illi Prophetam hunc, & Regem idolatram vocare audent, eo quod manufactę arcę cultum exhiberet, etſi non illum quomodo igitur eius imitatores nos? aut quomodo tali & nos apologia linguas non obturabimus? & vnà cum illo pœnas aufugemus. Sed tenorem ſequamur hiſtorię. Imago itaq; puriſſimæ collocata, vt diximus, in ſupradicto fano, miraculorũ abundantiſſima fluebat flumina, & eis, qui à morbis aut quouis alio affectu opprimebantur, ſeù in periculis poſiti erant, deinde accedebant, aut & ſimplex Virginis nomen appellabant, auxiliatrix illicò videbatur & malorum depulſatrix. Sed profectò qui miraculorum recordari,

eaq; narrare vult, et longiori indiget otio, valiori voce, et maxima dicendi arte, atq; virtute. Tempus deniq; elapſum eſt non adeò breue; poſt hæc nam centum et triginta anni et vltra tranſierunt, et miraculi huius memoria, ideſt in Romanam Vrbem Dei matris Imaginis maritima profectio, iterq; humidum in omnium ore iacebat. Cum huius autem recordatione, et mirabilis Germani fides, & virtus piorum in mentes intrabat, et ſingulis annis feſtum et ſolemnitatem fieri Romanis per generationes tradebatur. [Et infra.] Hinc narrant quidèm Romani his, qui è Bizantio literas tulerunt, magnum hoc Imaginis (videlicèt B.M. Virg.) portentū, et non ſolum id, quod in eius ad eoſdem Romanos accidit aduentu, verùm etiam quod in ab eiſdem diſceſſu. Scribit autē Patriarchæ et Imp. Papa, etc. (Et paullò infra) At iſti cum Byzantium perueniſſent, Imperatrici et Pontifici, quas ferebant, exhibent epiſtolas, in quibus legebantur et alia quidem, necnon et Imaginis ad Romanos primò aduentus, et deinde ab eiſdem ſecundò diſceſſus. Aſſentiebantur autem his et qui venerant Romani, ſed inter alios aſcultatores prudentisſima illa Imperatrix, etc. Hactenùs Commentarius ex Codd Vaticanis.

Cum autem non verear, ne meū hoc de Sacratiſsima Lateranenſi Imagine iudicium omnibus nō probem, aliqua ad eius celebritatem oſtendendam ſubijciam.

Monumentum baſilicæ lateranenſis aiunt, in palmæ tabulam Imaginem eſſe effictam, & hæc ſubdunt. *Cum enim per manus præfati Euangeliſtę tantùm deſigna-*

*ta foret, & nec dum eſſent colores appoſiti, repentè inuenta eſt eadem glorioſa Saluatoris imago admodũ decore præfulgens, vtpote non humano opere, ſed ineffabili diuina virtute peracta*. Ioannes Diaconus Lateranenſis relatus à Panuinio in opere ms. de eadem Baſil. inquit. *Super hoc altare eſt Imago S Saluatoris, mirabiliter in quadam tabula depicta, quàm Lucas Euangeliſta deſignauit, ſed virtus* Domini *Angelico perfecit opificio* S. Thomas Aquinas operis honorem tribuit Sancto delineatori 3 p. q. 25 art 3. ad 4 ibi, *Vnde B. Lucas dicitur depinxiſſe Chriſti imaginem, quæ Romæ habetur*. Eundem ſequitur Io. Baptiſta Paulianus in trac. de Iub. & Indulg. lib. 3. cap. de ſanctiſs. Reliq. Et Faluius Cardolus in notis ad paſſionem SS. Getulij &c. pag. 121.

Seruatur multis & maximis ornamentis aureis, & argenteis, gemmiſq; referta, & cortinis aureis decorata in Oratorio S. Laurentij, quod dicitur, Sancta Sanctorum, ab ipſomet Chriſto, ex miraculo, ſacrato, vt ſcribit dictus Paulianus; & à Nicolao III. in præſentem formam extructo; Hoc, & Saluatoris imaginem cuſtodiente nobiliſsimorum ciuium Romanorum ſodalitate. Idem nemini, niſi ſoli Summo Pontifici, olim licebat intrare; & ſuper altare ſoli ſũmo Põtifici diuina licebat miſſarum myſteria celebrare. Hùc in memoriam mortis, quam per Euam incurrimus, fœmina non ingreditur. Et, vt apertiùs clareat, quàm terribilis ſit locus iſte, & Aula Sancta, audiamus, quid ibi quodam tempore acciderit. *Vir quidam* (ex dictis monum. Lateran) *vitæ valde laudabilis cum infra octauas Aſſumptionis ante fores huius Baſilicę nocte quadam confiteretur Domino in pſalmis, & canticis ſpiritualibus, duo homines reuerendi habitus ei pariter adſtiterunt, quos migraſſe de ſeculo nullo modo dubi-*

*dubitabat. Interrogati ab eo quam ob cauſam veniſſent, Dominam, inquiunt, expectamus, quæ quaſi rependens filio, cum maieſtate ventura eſt, vt ei deferat; quia ipſe nuper ad eam veniens, grandem ei fecit honorem. Tu ergo ne timeas: oculi namque tui ſtatim videbunt mirabilia. Et ecce ſubitò cœtus animarum iam cum Chriſto regnantium, & Sanctorum Spirituũ agmina glorioſa ſuis choris diſtincta, modulatione dulciſona laudes Domini reſonantia: in quibus chorus ſanctarum præibat fœminarum, quas Confeſſores diuerſorum ordinum ſequebantur. Poſt hęc Martyres incedebant; extremi verò gradiebantur Apoſtoli. Poſtremò glorioſa Dei genitrix Virgo Maria, vallata choris angelorum, & miro odore redolens veniebat; ad cuius introitum ſplendor ingens, quaſi fulgur emicuit; ita vt tota huius Palatij machina videretur ſuccendi, & locorum facies penitùs immutari. Stupefactus autem vir ille in hac magnifica viſione penè deficere videbatur; quem illi, quos in initio viderat, confortantes dicebant: noli timere; hæc eſt Maieſtas Domini, quę iam egreditur. Tunc ille confortatus ad eorum ſermonem, tollit oculos, & videt thronum gloriæ magni Dei ab Angelis in altum portari: ſedentem autem ſuper illum, neminem vidit. Mox patefactæ ſunt ianuæ ſanctę huius Baſilicæ, & thronus illic cæleſtis inducitur: ſed & vir, qui hęc cernere merebatur, ſimul cum alijs intromittitur. Quæritur interim quis celebrabit diuina myſteria, & reſpondetur, Princeps Apoſtolorum atque ſubiungitur; miniſtrent ei Laurentius, & Vincentius. Quibus tandem ſolemniter celebratis, cum omnes pariter receſſiſſent, Calix, & Patena cum ipſis Dominicis Sacramentis ſuper altare relicta ſunt in teſtimonium huius ſtupendæ admodum viſionis, vt ſcilicet aſſertio viri, qui hanc viderat, vera*

*per*

*per omnia probaretur. Nec immeritò hìc talia eueniunt, cum pretioſiſsima pignora ibi contineantur tàm ipſius Domini Saluatoris, cuius laudabilis ibi nitet Imago, quàm etiam Beatorum Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum & Virginum, quæ ferè omnia in arca cypreſsina continentur.*

Stephanus III. Papa in maximo vrbis, immo Italiæ periculo, congregato vnanimiter populo, fusiſque lacrymis, omnipotentem Dominum deprecatus fuit, procedendo cum hac ſacroſancta Imagine, modo & forma recenſitis à Bibliothecario his verbis.

*In vna verò dierum cum multa humilitate ſollicite procedens in Litania cum ſacratiſſima Imagine Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ Acheropæta nuncupatur; ſimùlque & cum ea alia diuerſa ſacra myſteria recipiens, propriòq; humero ipſam ſanctam Imaginem cum reliquis ſacerdotibus, idem ſanctiſſimus Papa geſtans, nudiſque pedibus tàm ipſe, quàmque vniuerſa plebs incedentes in eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis, quæ ad Præſepe nuncupatur, poſito in omnium capitibus populorum cinere, cum maximo eiulatu pergentes, miſericordiſſimum Dominum noſtrum deprecati ſunt, alligans, connectenſq; adorandæ Cruci Dei noſtri pactum illud, quod nefandus Rex Longobardorum diſrupit.* Hactenus monumenta Lateranenſia.

*Ante quingentos annos hic mos in Eccleſia Romana* (inquit Panuinius de Baſil. Later. MS. & ſtrictiùs refert Bened. Canonicus S. Petri in ſuo Rituali.) *Solemnis erat. Pontifex in die Paſchæ mane poſt Primam indutus pluuiali albo cum Diaconis Cardinalibus, Dalmaticis veſtitis, & mitris redimitis; itemq. cum Subdiaconis cęteriſque minoribus ordinibus, & Capellanis ſuis, Dalmaticis, & tunicis amictis ire ſole-*

*ſolebat ad præfatum S Laurentij oratorium, Presbyteri verò induebant ſe planetis, & Epiſcopi Pluuialibus in loco eidem Oratorio proximo, qui dicitur Baſilica S.Gregorij,hoc eſt ante cratem ferream, qua aſpicitur Imago Saluatoris. Papa porrò poſt orationem induebatur vſque ad Dalmaticam, & exurgens ingrediebatur ad orandum Saluatorem; apertàque imaginis theca oſculabatur pedes eius dicens alta voce ter, Surrexit Dominus de ſepulcro, Alleluia. Et omnes ei reſpondebant, Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluia. Tunc Acolyti portabant Crucem Capellę ſuper altare, & Papa adorabat eam, poſt oſculationem Saluatoris cum omnibus alijs. Deinde redibat ad Sedem, & dabat pacem Priori diaconorum Cardinalium, redeunti ab oſculo pedum S.Saluatoris, dicens, Surrexit Dominus verè, & ille reſpondebat, Et apparuit Simoni: ſecundus quoque Diaconus Cardinalis oſculatis pedibus Saluatoris accedebat ad pacem Papæ, & Prioris Diaconorũ Cardinalium, & ponebat ſe in ordine. Cæteri vero Diaconi Cardinales itidem faciebant. Deinde Primicerius cum Schola Cantorum eodem modo ad pacem ibat, & ſe in ordine recto dirigebat. Prior quoque Baſilicæ Lateranenſis cum Diaconibus ſimiliter. Item Subdiaconi Regionarij cum Acolytis, & Capellanis, & alijs Palatinis officijs eodem modo pacem ſuſcipiebant. Iterum autem Schola Cantorum cantabat, Crucifixum in carne & Ego ſum A & Ω. Pacis oblatione finita Papa induebat planetam albam, pallium, & mitram ſolemnem; deſcendènsque de Palatio vſque ad exitum Porticelli, vbi albus Paraſrænus cum naco ſcarlati ſuprapoſito, & argenteo froeno erat præparatus à magiſtro mareſchalco, & ab dextratoribus, ſuſcepto Regno ab Archidiacono, ità coronatus eques, præcedentibus bandularijs,*

*Archie*

*Archiepiſcopis, Epiſcopis, Cardinalibus, Abbatibus, Subdiaconis, & Diaconis Cardinalibus, ſubſequentibus verò Præfecto Vrbis, aliiſque nobilibus Romanis proficiſcebatur ad ſacra eo die facienda ad Baſilicam Sanctæ Mariæ Maioris.*

Qualiter autem in Aſſumptionis B. Mariæ feſto ex Lateranenſi Oratorio hæc S. Imago procederet ad S. Mariam Maiorem in Exquiliarum Colle, antiquum Cæremoniale, ſiue Ordo Romanus paucis ſic expreſſit. (Ad hoc vide Serran. latinè de 7. Eccles. Vgon. italicè ſtat. 5.] *In ipſa veſpera Vigiliarum præparatur portatorium in S. Laurentio apud Lateranes, ſuperpoſita tabula Imagine Chriſti Domini noſtri inſignita; à medio noctis concurrente populo exeunt cum Litania ad S Mariam Minorem* [nunc dicitur ſancta Maria Noua) *mundatis per viam plateis, & ſuſpenſis per domos lucernis, ibiq; in gradibus S. Mariæ depoſita aliquandiù Icona, omnis chorus virorum, & mulierum genibus ante eam flexis, pugnis etiam cædentes, vna voce per numerum dicit centies, Kyrie eleiſon, centies Chriſte eleiſon, centies Kyrie eleiſon, fuſiſquè lacrymis & precibus per Sanctum Hadrianum recta via vadunt ad Sanctam Mariam Maiorẽ, auditaq. miſſarũ celebritate, ad Palatiũ reuertuntur.*

Et anonymus antiquarius italicè anno 1561. ſic impreſſit. [Nella cappella addimandata, SanctaSanctorũ, doue non entrano mai donne, & fù conſecrat a da Nicolao III. à S. Lorenzo M. oltre all'altre reliquie vi è l'Imagine del Saluatore ornata d'argento, e gemme: come ſi crede fù deſegnata da S. Luca, e finita dall'Angelo, la quale per ordine di Leone IV. li 14. d'Agoſto dopo il Veſpero quaſi ogn'anno è portata à guiſa di vn trionfo antico da i più honorati cittadini ſopra le ſpalle ſcambieuolmente à S, Maria Maggio-

giore : alla quale vi concorre tutta Roma, & le città conuicine; & il giorno ſeguente dopo la Meſſa cantata è riportata in Laterano con la medeſima pompa; Et in ſimil giorno liberano di prigione quattordici huomini, che ſi trouano eſſere per la vita. Et il lauar de'piedi al Saluatore in S.Maria Nuoua è oſſeruato in memoria del lauare, che faceuano li Sacerdoti ogn' anno il primo giorno di Aprile la Dea Cibele.

Quod vltimum, iam, anno ſcilicet 1545. ſcripſerat Andreas Fuluius lib.1. cap de Oſtia Tib. in fine illis verbis ( poſt deſcriptionem lotionis Cybelis, dæmonis non Deæ ) *Qui lauandi mos ſeruatur hodie Romę in lauandis pedibus Imaginis Saluatoris, dum geſtatur per vrbem menſe Auguſti*. Baſilico, herba notiſſima, huiuſmodi pedum lotionem fieri accepimus à dictis Lateranenſibus monumētis, recēſentibus gratiarum hoc experimentum, *Aqua illa, qua cum baſilico pedes eius* [ Saluatoris ) *lauantur, à languentibus hauſta, nonnullis extat cauſa recuperandę ſalutis*. In Rituali Benedicti Canonici S. Petri, Sergius Papa dicitur fuiſſe dictæ Solemnitatis auctor: eodèmque fuſiùs complectuntur eiuſdem actiones hac verborum ſerie.

*In Aſſumptione S.Marię D.Papa cum omni curia facit Veſperum, & vigilias nouem lectionum in eccleſia S. Mariæ Maioris: cum fuerint finitæ reuertitur Lateranum, Cardinal. & Diaconus accipiunt Imaginem Ieſu Chriſti & abſtrahunt de Baſilica S. Saluatoris cum omni populo, portantes eam per Campum Lateranum iuxta Baſilicam S.Gregorij. Crucem ſtationalem portat Regionarius poſt eum, poſtquam proceſſio Curiæ ordinatè procedens cantando pſalmos Primicerius cum ſchola R. de eadem feſtiuitate Præfectus cum duodecim viris accipit à Curia XII. faculas, Oſtiari*

*tiarij verò alias XII. portantes accenſas ante Imaginem. Dum Imago tranſit per campum, Cubicularij ſtant in culmine S. Gregorij tenentes duas faculas accenſas, qua Imagine tranſacta extinguunt faculas: Cùmque Imago venerit ad S Mariam Nouam, deponunt eam ante Eccleſiam, & lauant pedes eius de baſilico. Scholę faciunt Mat &c. in eccl. &c. Populi verò laudantes, & benedicentes Dominum tollunt eam inde, & portant ad S Hadrianum, & ibi lauant pedes Exeuntes autem de eccleſia redeunt per viam, qua venerunt, & portant eam per arcum Latonæ, quia antiquo tempore magna perſecutio erat ibi Diaboli. Deindè tranſeunt iuxtà domum Orphei propter baſiliſcum, qui tunc tempors ibi latitabat in cauernis; cuius fœtore, & ſibilo homines inde tranſeuntes infirmabantur, & moriebantur. Idcirco Sergius Papa conſtituit hanc Proceſſionem in hac tanta feſtiuitate, quatenus per laudes tantorum populorum & interceſſionem Sanctiſſimæ virg. Mariæ apud Deum Populus Romanus ab ijs perſecutionibus liberaretur. Aſcendentes ad S. Mariam D Pontifex pręparatus cantat Miſſam, benedicit populum fatigatum, omnes recedunt.*

Huiuſmodi pompæ omnes vrbis artifices intereſſe tenebantur, ea lege Senatus Populiq; Romani ſeruata, vt in lapide in Senatus Aula ſeruato comprehenditur, quam Paulus de Angelis in deſcriptione Baſ. S. Mariæ Maioris cap. 5. lib. 12. publicauit.

Eandem ſolemnitatis pompam Ambroſius Nouidius luculenter deſcripſit carmine, lib. 8. Sac. Faſt.

Silentio præteriri non debemus miraculum recenſitum ab Odorico Rinaldo Congregationis Oratorij Præpoſito in ſuis annal. ad an. 1239. num. 29. Pontificatu Gregorij IX. quod eſt ſequens.

*Adhuc autem ſpirans minarum & cędis ( nimirum Fridericus ) Turrim dicti Petri frangibilis Frangipanis, cuius potentia Petri credebat humiliare primatum , ſumptibus proprijs refici procurauit Verùm cum Summum Pontificem apud Anagniam , ęſtate media clementior aura ſuſciperet, Romanus populus in Aſſumptionis glorioſæ Virginis vigilia Saluatoris imaginem per Vrbis vicos ex antiqua conſuetudine deduxit ; quæ dum in atrio poneretur eccleſiæ, qua S Maria Noua vocatur , quaſi quietis beneficium receptura blaſphemijs quibuſdam conductis Friderici prædicti ſacrilega voce clamantibus , Ecce Saluator , veniat Imperator Turris in ignominiam Sponſæ Chriſti, de ſanguine pauperum , & lacrymis viduarum è vicinio erecta , mox euerſa funditùs blaſphemantium multitudinem, iudicio diuinæ vltionis, oppreſſit, vt quaſi non ſuſtinens Saluatoris iniuriam inſenſibilis creatura , creatori de hoſtiũ vindicta ſeruiret , & elementa muta cognoſcerent , quem rationale animal non cognouit, ac iniuriam in ſuo ſuſceptam Vicario Saluator ipſe tranſire non videretur inultam .*

*Caſtallus Metallinus, quem anno D. 896 floruiſſe ſcripſit Leo Allatius in Antiquitatum Hetruſcarum fragmenta &c. meminit huius ſolemnis Proceſſionis cap. 167. de familia Scarza his verbis* . Fù data [*Odoni Scarzo*) queſta grauatione, ch'onne anno nello iorno de Madonna de mieſo Agoſto doueſſe queſto Odo far nettar tutte le vie da S. Ianni Laterano per fi à S. Atriano , & vagnalle d'acqua, e doueſſe coprire lo fronteſpicio di S. Atriano de panno verde, cioè ſopra lo loco dello Senato , & doueſſe far ardere durante la feſta vno doppiere di cera nanti lo Saluatore dell' arco di S. Atriano, & doueſſe tenere lo banco pento in verde , & parato de vno parato verde , & non mai ſcolpito.

*Accuratiùs deſcribitur ab And. Fuluio libr.2.cap.5. his verbis*. Imago Saluatoris argento, ac gemmis ſatis ornata, ex inſtituto Leonis IV. ſingulis fermè annis de menſe Auguſti, veluti in antiquo triumpho, & triumphalibus ferculorum ſimulacris, concentùque tubarum, tibiarumq; & pomparum omnis generis maximo numero defertur è Laterano in Forum Romanũ, ſiſtitùrque ante ædem S. Hadriani in tribus Foris, aſſiſtente Clero Populoq; Romano. Inde ſuccollantibus honoratis quibusq; iteratur, prætervectuſq; per arcum Latonę propter Cacodœmones, qui tunc locum infeſtabant; poſtea per ſuburam, & ante S. Luciam iu Silice propter Baſiliſcum, qui ſubterranea caverna, ibi, vt fertur, latitabat; Quæ loca hoc modo liberata dicuntur; nouiſſimè verò in Baſilica ſanctæ Mariæ Maioris, occurrente illi Imagine Diuæ Genitricis, ea nocte ſiſtitur, vbi lectiſternia, & frequens totius Vrbis conuentus, poſtera autem luce in Lateranum per aliam viam cum eiſdem ferè pridianis pompis reportatur.

Eadem proceſſio ſolebat fieri in Pontificatu Leonis Decimi; nam Chriſtoforus Marcellus Archiepiſcopus Corcyreñ in ſuo Cæremoniali ſcripſit lib.2. cap.20. *In vigilia Aſſumptionis B. Mariæ Virginis ſolebant eſſe Veſperę Papales, & in die Miſſa ſolemnis: ſed Romæ hodie non ſit propter feſtum ſolemne Romanorum, quod ipſi celebrant in Sancta Maria Maiori.*

Perdurauit hæc triumphalis pompa S. Saluatoris ad Pium V. teſte Sebaſtiano Fabrino monacho Silueſtrino, in ſuo Libello de Anni Sancti 1600. Iubileo c.18. cuius verba referre lubet. *Nella Cappella del Saluatore ſi conſerua vn'Imagine SS. del noſtro Saluatore, famoſiſſima per molti mirac. fatti, particolarmente in*

*tempi di grandiſſima neceſſità, e tribolatione di Santa Chieſa, come al tempo della perſecutione de i Longobardi, che infeſtauano grandemente Roma, e tutta la Italia nel 752 Queſta Santiſſima Imagine anticamente, & inſino al tempo di Pio V ſi ſoleua portare in proceſſione da tutto il Clero di Roma con molta diuotione, e quantità di lumi concorrendoui tutto il popolo inſino alla chieſa di S. Maria Maggiore, la notte dell' Aſſuntione della B. Vergine Maria, & iui ſi laſciaua ſtare per tutta l'ottaua in mezzo della Chieſa cō grādiſſimo, e continuo concorſo della Città, la qual proceſſione per alcuni inconuenienti non ſi fà più.* Aliaq; ſubdit in honorem & venerationem huius Sacroſanctæ Imaginis.

Gregorius XIII. inſtante anno Iubilei 1575. conceſſit Sodalitati dictæ Imaginis duorum reorum capitali pœna damnatorum liberationem, qui in honorem Saluatoris per Vrbem circumlati fuerunt, vt recenſet Raphael Riera Societatis Ieſu in ſua hiſtoria dicti anni 1575. cap. 15.

## S. LAVRENTIOLI

In aſcenſu loci, qui antiquitùs Cliuus argentarius, nunc vulgò dicitur la ſalita di Marforio, propè moniales Spiritus Sancti Parochiale; cui vnitum eſt aliud S. Nicolai iuſſu Sixti V demolitum. Vocatur ſanctus Laurentius ſub Capitolio: erâtque iuris Eccleſiæ SS Sergij, & Bacchi, vt in Epiſt 96. Innoc. 3. lib. 2. tomo 1. ſecundùm romanam impreſſionem anni 1543. Dicebatur etiam S. Laurentius de Aſceſa.

## S. LAZARI

In via & radicibus montis Marij extra Portam Angelicam, cui eſt annexum leproſorum Hoſpitale

pitale , Eſt Baſilicæ Sancti Petri in Vaticano .

Sub Auentino

Eſt parua capella à curatoribus antedicti Hoſpitalis fabricata pro colligeñ eleemoſynis à frequentantibus ſeptem eccleſias .

## S. LEONARDI

In Via, quæ vulgò dicitur Longara; paruum licèt antiquitùs excitatum ; nunc eſt Eremitarum Camaldulenſium .

## S. LVCIAE

## Ad Apothecas obſcuras

In aditu Circi Flaminij, in loco, qui hodie vulgò dicitur , Le botteghe ſcure Huius meminiſſe Fr. Albertinum credimus hæc ſcribentem c. de Vijs & plat. pagin. 93. *Via S. Luciæ in Ponticis obſcuris cum alia ibidem propinqua hoc anno ampliata fuit* , Olim Herculis magni, ſeu Cuſtodis . Nunc eſt in Palatio Card. Gymnaſij , qui illud à fundamentis renouauit , in adiunctoq; palatio Monialium Monaſterium fundauit , cuius ſupra portam hæc eſt in marmore inſcriptio .

DOMINICO S. R. E. CARD. GYMNASIO
EPISCOPO OSTIEN. S. COLLEGII DECANO
Qui Aulę mutato nomine in Clauſtrum
S. Matris Thereſiæ piè ſuas ædes ceſſit Deo,
ad hanc forma reduxit, et dotauit An. 1637.
Moniales Corporis Domini grati animi
teſtimonium poſuerunt.

## In Piſciuolis

Confalonis;non inelegans Archiconfraternitatis Confalonis in Regione Arenulæ. Ibi propè maius altare in pauimento.

Si mulam, & mulæ meę partum, more antiquorum, perdidiſſem, non hic forſitan tam citò prodigiorum exemplum iacuiſſem.

*Ioanni Morello Mutinen F.F. Protonotario Apoſtolico ab audien. litibus Iulij Card. Medices Vice Cancellarij, Iure conſultiſſimo*
*Dominicus Boſellus cariſſimo conſanguineo poſuit.*
*An.1518. die 5. Maij.*

*D. O. M. S.*

*Io. Petro Cribello Mediolanenſi Ciu. Rom. Eq. Paullliano, viro integro, innocenti, ac religioſo, qui de Brephotophijs, Ptochodochijs, & Noſocomijs omnibus benemereri nunquam deſijt, Cellam hanc quoq; D. Mar. Magdalenæ dicatam perpetuò ſacro faciundo exornauit, & auxit.*
*Vix. an.89. Obijt VIII. id. Iunij M.D.LII.*
*Io. Angelus Cribellus patruo optimo poni curauit.*

## In Silice

Alij in Orphea, & corrupto vocabulo, Orthea, vbi in proxima cauerna Leo IV. Baſiliſcum fugauit. Ab Honorio I. ædificatum, & à Leone III. reſtauratum Olim Diaconia Card. & Monaſterium Carthuſianorum, nunc monialium ſub regula S. Auguſtini. Cæterùm dicitur in Orphea, & in capite ſuburæ ab Orphei ſimulacro, & à via Suburana, de quibus Mart. lib.10. ep.19.

*Illic Orphea protinùs videbis*
*Altum vincere tramitem ſuburę.*

## De Tenta

Sic dictum corrupto vocabulo à Terento, quod ibi curuatus Tiberis ſiniſteriorem ripam attereret; ſiue quòd ara Ditis patris ſub terra ibi occultaretur, ad quam fiebant ſacrificia anno, ludiſque ſecularibus. Ouid. 1. faſtorum, Martial. lib. 4. ep. 2. Nec à Tinctoribus ibi exiſteñ placet denominatio, eò præcipue, quòd conſtat, etiam tempore S. Gregorij, vt ipſe lib. 4. cap 54. Dialog. ait, habitaſſe iuxta portam Sancti Laurentij.

In Nicolai III. vel IV. Papæ priuilegio in marmore ibi exarato vocatur ad quattuor portas; alij putant eſſe illud, quod appellatur de Renati. priuilegium, ſubnectimus eius antiquitate ſuadente.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei, dilectis filijs priori, & Capitulo Eccleſiæ Sanctæ Luciæ quatuor portarum de Vrbe ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

*Lucia Virgo inter Sanctitatis merita, quibus prę lucet, in alimonijs miniſtrandis pauperibus per patrimonÿ proprij diſpenſationem aſſiduam, adhuc ſub caducæ carnis velamine latitans fieri ſtuduit lucis exemplum: hęc quoque Virgo ſapiens vna de numero prudentum, cum quibus ad clamorem mediæ noctis factum ſilentio expergefacta, ſurgens à ſomno, & in vaſe ſuo ſumpto ſecum oleo, & aptata lampade obuiam ſponſo exiens venienti cum ipſo, denique ad nuptias perpetuas meruit introire. Quare ad eiuſdem Virginis honorandam me-*

*moriam, & gloriam venerandam, plenariam Domini per ſpiritualia munera cupimus excitare, non dubij, quin in ſanctorum honorificentijs maieſtas honoretur eterna, & per conſequens pro caduco retribuatur æternum; Vt igitur eccleſia veſtra, ipſius virginis nomine inſignita, quam nimia vetuſtate conſumptam dilectus filius magiſter Ioannes Romanutij ipſius eccleſiæ Canonicus, literarum noſtrarũ corrector, vt aſſeritur, in fabricam nouam obtentu perennis retributionis erexit, frequentia honoretur fidelium, & circa eam quærentium Dominum, tantò feruentiùs deuotio ferueat, quanto abundantiùs ſpirituales theſauros ibidem reperient in cęleſti Hieruſalem ſibi perenniter profuturos, omnibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui ad eandem eccleſiam in feſtiuitate eiuſdem virginis Lucię, ac in anniuerſario die dedicationis eiuſdem eccleſiæ, & per octo dies eaſdem feſtiuitatem, & diem dedicationis immediatè ſequentes; nec non à Dominica dominicæ paſsionis, vſque ad diem reſurrectionis Domini, ſingulis diebus deuotè acceſſerint annuatim omnipotentis Dei, Mariæ, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi vnum annum, & quadraginta dies de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxamus, Poſtea verò D. Papa iteratò conceſsit in dedicatione ipſius eccleſiæ vnum annum, & quadraginta dies vſq. ad Paſcha quotidie: Archiepiſcopus autem, & Epiſcopi conſecrantes ipſam eccleſiam quilibet eorũ vnum annum, & quadraginta dies vſq; ad octauã Paſchæ cõceſſerũt.*

Datum *Romę apud S. Mariam Maiorem 2. Idus Ianuarij Pontificatus noſtri anno II*

A Ioanne Romanutio templi Canonico reædificatum. Eſt parochiale cum Collegiata erecta noſtris diebus ab Equite Riccio in Regione Campi Martij.

Ibi in medio templo:

*D. O. M.*

*OTTO DE GROEBEN EQVES BORVSSVS Hæreditarius in Redden. iuuenis nobilitatis ſplendore probitate, morùmque integritate clarus: peregrinã in incrementum futuri peragrando loca Romæ: communi orbatorum luctu mortalitatis damna in lucrum mutauit æternitatis, præmatura morte matura ſalus benignè rapuit, in Deo piè obijt an. 1630. tertio peregrinationis ſuæ, Octobris ſecundo, ætatis 21.*

*SVO POSVIT MONVMENTVM CONSOCIO IOANNES ANSHELMVS TRVCHESIDES DE VVETZHAVSEN ET GOTTOFREDVS DE HERBST*

## S. LVDOVICI

Nationis Gallicanæ apud Neronis, & Alexandri thermas in Regione S.Euſtachij ſitum. Olim S Mariæ dẽ Cellis: à Sede Apoſtolica Gallis conceſſum cum proximis templis S Benedicti & S.Dionyſij, ſolo æquatis & S.Saluatoris ſub Gregorio XIII. A Catarina Medicea Henrici II. coniuge, & Matthæo Card. Contarello, ac piorum eleemoſynis in præſentem formam ędificatum, in quo plures Cellæ picturis Baſſani, Carauaggij, Ioſephi Arpinatis, Guidi Reni, Dominici Zãperij, ac Iulij Romani illuſtrium pictorum ornatiſſimę. Ibi Parochia, fons baptiſmalis, & Collegium Presbyterorum, pietate, & obſeruantia ferè regulari inſigne. Hæ ibi præ cæteris extant inſcriptiones.

CATHARINA REGINA FRANCIAE HENR. II. VXOR FRANCISCI II. CAROLI IX. HENR III REGVM CHRISTIANISS. MATER. Huic templo, eiùſque Hoſpitali vicinas omnes à dextra domos, areas, & officinas, quæ ſuo Palatio adia-

centes inſulam efficiunt, donauit, trium Miſſarum in perpetuum celebrandarum onere rectoribus impoſito, hoc ordine, anniuerſaria vna ſolemniter fiat 6. id. Quintil. quo die eius Henricus obierat; deinde vt quotidianæ priuatim duę, vna pro ſua, & Henrici filij, quandiù viuerent; ac deinceps ſucceſſorum incolumitate; altera pro animę ſuę ſalute poſt exceſſum è corpore: eàque donatio extat in publicis monumentis.

*IOANNI GRISARDO PRESB. GALLO LAVDVNENSI.*

*Pontificis quondam Griſardus cantor in æde,*
*Hic iacet exiguo mortuus in tumulo.*
*Fallor; non obijt, ſed terris raptus, vt inter*
*Angelicos meliùs concinat ille choros.*
*Obijt 4. non. ſeptembris 1620. æt. ſuę 40. RR. DD. Natalis Cheuerier S. Iuonis R. & Nicolaus Pergni teſt. execut. P.C.*

## S. MACVTI

Aliàs S. Bartholomæi Bergomenſium, vt diximus ſupra. Antè hoc templum ſtat paruus obeliſcus.

## S. MARCELLINI

Vide, Verbo, SS. Petri & Marcellini.

## S. MARCELLI

In Regione Columnæ in via Curſus prope Cæſiorum Palatium. Olim in regione Viæ latæ, & in domo Lucinæ Matronæ Romanæ, vbi in ſeruitio animalium nudus amictus cilicio, defunctus eſt S. Marcellus Papa. Hìc fuiſſe templum Iſidis Marlianus, & alij autumant. Ab Hadriano I. nouiter reſtauratum, à Clem. VII. circumadiacentibus domibus ditatum, à familia Vitel-

Vitellia præſenti ſplendori reſtitutum . Olim erat Collegiata Archipresbyteri , & Canonicorum, pluresque filiales eccleſias habebat: nunc eſt ſub cura fratrum Seruorum B. Mariæ Virg. Hic recondita ſunt corpora S. Marcelli Papæ , S. Phocæ mart. ac SS. Dignæ, & Emeritæ, aliorumq; reliquiæ. Plurium nobilium virorum Capellis, & ſepulturis eſt illuſtre , quarum illuſtrior eſt Capella Sanctiſſimi Crucifixi , cuius imago præclariſſima miraculo, maxima deuotione, & impenſa cuſtoditur ab Archicōfraternitate laicali nobilium Romanorum . Hic ſepultus doctiſſimus vir Petrus Gyllius cum hoc epitaphio .

*PETRO GYLLIO VIRO PROBO*

*Vtriuſque linguæ doctiſſimo , ex agro Albienſi apud Gallos nato , ob ſingulares animi dotes , & indefatigabilem in inueſtigandis antiquorum monumentis , componendis, interpretandiſque omnium diſciplinarum libris, totius orbis luſtrandis , indagandiſque locis , ob naturam , ſolertiam , & diligentiam publicè , priuatimque laudatiſs. poſt longas annorum 40. peregrinationes terra , marique peragratas Galliam, Italiam , Græciam, & Aſiam vtramque, atque Africę partem , ac miraculoſam è manibus atque carceribus pyratarū Gerbeorum liberationem , Romam quaſi poſtliminio reuerſo , & in recolligendis ornandiſq rerum celebrium narrationibus dies, nocteſq. occupato, febre violentiſſima per dies xi. vexato diem ſuum à Chriſto Ieſu obeunti Georgius Card Ariminiacus patronus pientiſs. clienti gratiſs. in ſpem reſurrectionis mortuorum*

*Benemerenti mœſtiſs. non. Ian. 1555. Poſ*

*Vixit ann. LXV. m. V. d. V. hor. IV.*

Ibidem .

## TARQVINIO IACOBATIO DE FACESCHIS ROMANO.

*Perilluſtri titulis tùm militaribus terra, mariq. tum ciuilibus: qui incolumis & victor à pugnis memorabilibus, Gallica ad montem Centourium aduerſus hęreticos, nauali ad ſinum Corinthiacum contra Turcas, alijsq. plurimis, domi ſuæ dum feneſtram aperiendo recedit, delabitur in ſcalas auerſus, & vitam claudit prid. non. Octobris An. ætat. ſuę 50. & ſalutis M. D. XCVI.*

*Martius frater mœrens & ſibi poſuit.*

Aliud ex Io: Franciſco Scardoua.
*Heu ſors, diſce hòſpes, medius dum tela duobus*
*Fata leuo, excepi tertius ipſe necem.*

## S. MARCI PAPAE

In quo Hadrianus I. educatus, & edoctus fuit. A S. Marco Papa ædificatum in loco, qui tunc dicebatur *ad Palatinas*, & *in Pallacinis*, ſeu *in Pallatura*: Ab Hadriano I Gregorio IV. multiplici ædificio reſtauratum; â pluribus Cardinalibus Titularibus ornatum; antiquum, nobile, ſpectabile, cui eſt adiunctum Palatium à quodam Ioanne Presb. Rom Eccleſiæ [ex Cod. Vatic. 3758. pag. 223. in princ. vitæ Eug IV] origine Anagnino, depreſſis quibuſdam fornicibus fabricatum, quod poſtea Petrus Barbus Venetus Eugenij 4 ex Sorore nepos eius Tituli presb. Card effectus à fundamentis magno, & ſumptuoſo opere conſtruxit, qui etiam in Pontificatu ſuccedens auunculo, & Paulus II. appellatus Palatij fabricam compleuit, & auxit: & coherentem S. Marci baſilicam penè vetuſtate collapſam

ingenti

ingenti opere reſtaurauit: Hìc eſt corpus S.Marci PP. de cœmet. s. Balbinæ ad Caſtrum S.Siluestri in Campania, & inde ad aliud Iuliani Caſtrum, Romam translatum tempore Eugenij III. vt ex infraſcripta relatione cognoſces.

## TRANSLATIO CORPORIS B.Marci Papæ, & Confeſſoris.

Sacratiſſimi corporis Beati, & venerabilis Marci Papæ translationem ſcripturus, pauca priùs de his, quæ in Pontificatu geſſit, perſtringere decreui, vt & narrationis ordo competentior fiat, & audientium corda tanti patris exemplo ad miſericordię opera faciliùs prouocentur. Beatiſſimus itaq; Marcus (omittimus huius res geſtas, quia ſunt alibi editæ) ſepultuſq; eſt via Ardeatina in Cœmeterio Balbinæ, vbi cum per longa tempora permanſiſſet, videlicet vſque ad tempora Gregorij VII. PP. contigit, vt foſſores quidam cœmeterium, in quo S.Marci corpus erat, intrarent, & dum diligenter inquirerent ſicubi vel Sanctorum reliquias, vel aliquid aliud, vnde lucrarentur, inuenire potuiſſent, venerabile corpus ex inſperato inuenerunt. Quod cum verò B.Marci corpus ex titulo, quem in ſepulcro repererunt, fore cognouiſſent, valdè gauiſi ſunt, qui talem theſaurum inuenerant, ex quo & temporales diuitias, & æternas ſe poſſe conſequi non dubitarent. Vnus igitur ex eis nomine Benedictus, feſtinus, & plurimùm gaudens ad Titulum

S.Mar

S.Marci, quem ipſe B.Marcus temporibus Conſtantini Imperatoris in Vrbe conſtruxerat, concurrit, & ipſius tituli Archipresbyterum, & omnes canonicos cautè conueniens, vbi B.Marci corpus eſſe crederent, ſtudiosè quæſiuit, quo audito Archipresbyter, & Clerici, illud ſe in eadem eccleſia indubitanter habere dixerunt. Quibus ille, procul dubio, inquit, decepti eſtis, nec ſic eſt, vt ſperatis; Nos enim illud nuper inuenimus, & ſi de veſtro æquo nobis moderamine dare vultis integrum vobis corpus cum proprio titulo dabimus. Illi autem prænominati Benedicti verba paruipendentes, eius aſſertionibus fidem accommodare noluerunt. Erat autem eo tempore Campanię in Caſtro S.Silueſtri vxor cuiuſdam Thebaldi illuſtriſſimi militis, nobiliſſima fœmina, Theutonica genere, quę religionis intuitu, nimio flagrabat deſiderio, vt ſanctorum reliquias in terra ſua poſſet habere. Et dum ſedulò cogitaret, qualiter ſecum impleret deſiderium, tandem ſapienti vſa conſilio, Romam de ſuis fidelibus miſit, qui ad hoc maximè operam darent, vt alicuius ſancti reliquias, dato pretio ad eam deferrent. Venientes itaq; Romam, & Dominę ſuæ mandata diligenter, & cautè exequētes præfatos foſſores obuios habuerūt; Cumq; ab eis requiſiti cauſam itineris manifeſtaſſent, foſſores dixerunt, Si ſic eſt, vt dicitis, ecce, quod quęrebatis, inueniſtis. & addunt; Nos habemus corpus S.Marci Papę, quod ſi iuſtum pretium

nobis

nobis recompenſare velitis, ſine dubio vobis tra-demus. Sed quid multis immorari debeamus; data pecunia, pretioſiſſimum corpus ad Dominā ſuam in Campaniam detulerũt. Quòd illa plurimum gaudens cum maxima deuotione ſuſcepit referens gratias Deo, qui non derelinquit ſperantes in ſe, & ſuorum fidelium petitiones dignanter exaudit; atque illicò pręcepit, non longè à Caſtro S. Silueſtri ad honorem S. Marci eccleſiam fabricari, qua expleta, accitòq; Epiſcopo, in cuius parochia erat, in eadem eccleſia cum maxima gloria ſacratiſſimum corpus pulcherrimo recondidit tumulo. Quòd cum ad aures Archipresbyteri, & clericorum tituli S. Marci peruenisſet, ineffabili mœrore dolentes, & ſe ipſos de negligentia grauiter accuſantes, communicato conſilio, in Campaniam ad d. fœminam, quæ ſanctum corpus emerat, properare curauerũt, & ab ea tanquam ſubreptum ſibi theſaurum B. Marci, corpus, nunc pijs commonitionibus, nunc grauiſſimis minis Papæ auctoritatẽ, & Romanorum potentiam opponentes, requirere cœperunt.

Quorum verbis religioſa fœmina ex inſperato perculſa reſpondit. miror prudentes, & ſapientes clericos à me, tanquam furti rea, B. Marci corpus requirere, quod nec furata ſum, nec furari mandaui. fateor, inquit, inueni theſaurum quem de meis opibus libentiſſimè acquiſiui, & acquiſitum debita veneratione tuto recondidi loco. Hunc nec blanditiæ ſubtrahent, nec minæ

tollent, nec cuiuslibet potentis violentia rapiet. Verùm ſi vel Papæ maieſtas, vel Romanorum magnitudo ad reddendum, quod vita carius habeo, me aliquando cogere vellet, ego mihi exilium in partes occiduas magis eligerem, quàm vno die vellem hoc quoquomodo carere. Accepta autem tàm incommoda reſponſione, triſtiores effecti, qui perrexerant, clerici, ad vrbem regreſſi, cum his, qui remanſerant, & cum omnibus parochianis ad recuparandum amiſſum theſaurum ſollicitiores eſſe cœpere. Temporibus itaq; ſanctę rec. Papæ Paſchalis, filij illius mulieris, cuius ſupra memoriam fecimus, quæ ſacrum corpus comparauerat, matre eorum iam dudum mortua, aduerſus D. Papam arma ſumpſerunt. Vndè ſępe commoniti, cum à ſtultitia ſua nullatenus ceſſare voluiſſent, indignatus D. Papa ad comprimendam & ędomandã eorũ ſuperbiã, & de vrbe & de tota Cãpania contra eos exercitum conduxit,& Caſtrũ S. Silueſtri, Deo iuuante, cępit atque deſtruxit. Fuerunt autem in illo exercitu quidam ex parochianis S. Marci, licèt pauci, qui ſanctum corpus eius exinde tollere, & ad propriam ęccleſiam reducere conati ſunt. Sed à multitudine prohibiti, quod propoſuerant, minime adimplere potuerunt. Quo comperto clerici,& laici, qui Iulianum caſtrum inhabitabant, multum metuentes, ne ſimili occaſione Romani, ad eaſdem partes iterum euntes ſanctum corpus tollerent, ſecumq; deferrent ad iam dictam eccleſiam,

ſiam, quę tum morte ſuæ ędificatricis, tùm deſtructione Caſtri, quaſi derelicta erat, conuenerunt, & inde ad Iulianum caſtrum mirificum corpus cum maximo honore tranſtulerunt. Facta eſt autem inter Caſtrenſes contentio, vbi nam corpus recondi debuiſſet; alij namq; intra clauſtrum; alij in matrici eccleſia S. Viti, quæ ad Pinum dicitur, recondendum fore cenſebant: poſt multorum tandem verborum contentiones, & iurgia, armorum quoque grauiſſimos ſtrepitus, maiorum, & potentiorum conſilio in præfata S. Viti eccleſia per manus Velitrenſis Epiſcopi in optima conca reconditum eſt venerabile corpus. In ipſa verò Altaris conſecratione, clericis ſimul ac laicis conſulentibus, ad honorem Beatiſſimi Marci, cuius ſacratiſſimum corpus manu tractauit, & deuotiſſimè conſecrauit magnæ ſanctitatis Epiſcopus, ipſam B. Viti eccleſiam ſecundam à Velitrenſi Sedem perpetuò ſtabiliuit, & confirmauit, pro eo videlicet, quia Summi, & vniuerſalis Pontificis corpus ibidem recondiderat. Anno verò ab Incarnat. Domini 1145. facta eſt in Vrbe valida turbatio, itaut clerus in populum, & populus in clerum vniuerſaliter agerent. Increſcēte autem perſecutione Eugenius, qui, poſt Papæ Lucij mortem, in Romanum Pontificem eſt electus, communicato Epiſcoporum, et Cardinalium conſilio, vrbem dimiſit, et ad Farſenſe monaſterium exijt, ibique Spiritu ſancto cooperante, per manus Sabinenſis, et aliorum Epiſcoporum

rum ſolemniter eſt conſecratus. Et quia contra Romanorum impetum ibi non erat illi tutum manere, cum Epiſcopis, & Cardinalibus Narniã conceſſit. Comites autem, qui circa vrbem erant, iram, indignationem, et fortitudinem Romanorum multùm timentes, et Tiburtinæ ciuitatis ruinam ante oculos ſemper habentes, ne ſimiliter ſub Romanorum potentiam caderent, Narniam ad D. Papam commune fecerunt confugium, et ibi ſolito more illi fidelitatem iurauerunt. Poſt hæc verò, ipſo D. Papa mandante, contra Senatum et populum Romanum, quibus modis poterant, Comites pugnare cœperunt. vndè Senatus populuſq; Romanus magis ira commotus et grauiùs indignatus, copioſa equitum, et peditum multitudine collecta, ad illos expugnandos in fortitudine exijt, Iulianum Caſtrum inuaſit, cepit, et igne cremauit. Tunc parochiani Sancti Marci, qui ibi erant, ad memoriam reducentes, quomodo de vrbe ad Caſtrum ſancti Silueſtri, et inde ad Iulianum B. Marci corpus delatum et reconditum fuerat, quo illud tollerẽt, et Romam ad ſuum titulum deferrent, nimio deſiderio cœperunt eſſe ſolliciti: ſed ignorantes, vbi reconditum erat, cœperunt ab hominibus, qui de vicinis Caſtellis aduenerant, quaſi oraturi, et munera pro deuotione oblaturi ſollicitè inquirere, vbi glorioſum corpus reconditum fuiſſet. Diuina itaque prouidentia factum eſt, vt Clerici, qui facturam translationem conſcij fuerant,

rant. & locum, & altare, ſub quo in marmorea conca corpus erat reconditum, latenter indicarēt Quo cognito, ſecretò intrantes Eccleſiam, ianuis clauſis, prout illis viſum fuit, ſtudiò altari diruto, corpus de conca tulerunt, & in ſindone ligatum ad commune detulerunt hoſpitium. Eo verò tempore, quo reliquiæ de eccleſia tollebantur, cum magna eſſet cæli ſerenitas, ſubito aere in nubibus concreto, coruſcationes, & tonitrua tàm grauia facta ſunt, vt totus exercitus tanquam de imminenti morte timeret, & ſi quid commiſſum eſſet, emendari ſine dilatione terribiliter cōclamarent. Hi verò, qui ſecretò corpus abſtulerant, timentes, ne fortè exercitus de corporis ablatione cognoſceret, duos ex ſuis elegerunt, quibus pretioſiſſimum theſaurum Romam deferendum commiſerunt, qui latenter exercitũ admittentes ad vrbem redire cum maximo gaudio properabant. Legatos autem antequam Iulianum perueniſſent, ad Ioannem Ven. Archipresbyterum S. Marci præmiſerant, & duos clericos, quos vellet, illuc abſque dilatione dirigeret. Quo audito Archipresbyter, & clerici primò quidem quid nàm hoc eſſet, quòd cum tanta feſtinatione vocabantur, attoniti cogitabant, neque enim cauſam itineris legatis indicauerant. Deinde verò deliberato conſilio, duos clericos, vnum videlicet presbyterum, & alterum diaconum, ſimulq; quendam ſatis honeſtum, & fidelem laicum feſtinanter miſerunt. Qui autem miſſi ſunt iuxta

Villitrum redeuntibus, & ſacrum corpus deſe-rentibus obuiauerunt; cùmque ſe inuicem ſa-lutaſſent, & cur pergerent inquiſiti, manifeſtaſ-ſent, delatores S. Corporis dixerunt. Nolite vltra in eundo labora e, quia ecce nos deferimus pro quo vocati veniſtis, & oſtenderunt illis pre-tioſiſſimum corpus. Quo viſo inenarrabili re-pleti gaudio, tendentes ad ſidera palmas, pluri-maſque lacrymas ex ingenti lætitia fundentes, Regi Regum Chriſto pro collato ſibi munere gra tes innumeras retulerunt, & cum tremore, & maxima reuerentia oblatum theſaurum recepe-runt,atq; in ipſis ſigillis eum munientes, vſq; Al-bam eo die redierunt;ibique peruigilem noctem ducentes cum magna diligentia, quod acceperãt, cuſtodierunt. In eadem verò nocte plurimum inter ſe contulerunt, vtrum in manifeſto an in occulto deportari debuiſſet. Mane autem facto ſurgentes, & reliquias ſanctas occultè ferentes venerunt ad Portam Ciuitatis, quæ propter La-teranenſem eccleſiam, iuxta quam ſita eſt, S. Io-annis dicitur, ibiq; deliberato conſilio, rogaue-runt laicum, qui ſecum perrexerat, ad eccleſiam S.Marci properare, & Archipresbyteri, ac cæ-terorum fratrum in ea degentium voluntates in-quirere, qualiter ſanctum corpus deferendum cenſerent. & dixerunt. Nos te lento gradu ſe-quemur vſq; ad Eccleſiam S.Quirici, ibiq; te ex-pectabimus. Laicus igitur feſtinus præceſsit, & ſicut ei indictum fuera, acceptis in partem Ar-

chi-

chipresbytero & Clericis, cum euentum rei aperire cœpiſſet, mulieres, quę ad audiendam miſſam conuenerant, quaſi diuino oraculo commonitę, nemine ſibi indicante; ſed, credo, Spiritu ſancto reuelante, cœperunt ad inuicem dicere. Ecce corpus ſancti Marci venit. Et accedentes ad campanas, ſicut nouerant, eas pulſabant. Tũc clerici videntes, quæ fiebant, & quodammodo voluntatem Sancti ex his intelligentes, ſtatuerũt Ven. corpus cum debito honore ad ſuam Eccleſiam deferre. Qui autem reliquias deferebant venerunt ad S. Quiricum, ibiq; paululum ſubſiſtentes, audierunt campanas ſonantes, & ſubitò videre etiam pueros ſibi obuiantes, & de aduentu ſancti Corporis Dominum collaudantes. Videntes itaq; quia quod ipſi occultauerant, Deus manifeſtum fecerat, venerũt ad eccleſiam ſanctæ Mariæ in Campo Carleonis. Et quia præ multitudine occurrentium virorum ac mulierum vltra progredi non valebant, dictam ſanctæ Marię eccleſiam intrauerunt, & ſuper altare mirificum corpus depoſuerunt. Nam vbi per Vrbem diuulgatum eſt, quòd ad eccleſiam ſancti Marci ipſius corpus deferretur, factus eſt illuc clericorum, & laicorum, mulierum quoq; maximus, & glorioſus concurſus. A dicta verò eccleſia ſanctę Marię cum magna clericorum proceſsione, & debita exultatione ad ſuam domum, & propriam eccleſiam cũ maximo labore Idibus Madij, quod eſt quintodecimo die eiuſdem menſis, delatum

eſt corpus. Tanta enim erat vtriuſq; ſexus, & ætatis concurrentium multitudo, vt ſancti corporis baiuli ſępè inter comprimentium pedes caderent, & vix à comitantibus adiuti valerent aſſurgere. Gaudens igitur ciuitas, & exultans ſuũ recepit Pontificem, Domus factorem, Eccleſia proprium ædificatorem, propria familia Patronum, & Dominum recognouit.

Hactenùs tranſlatio S. Marci. Eſt etiam ibi Collegiata Canonicorum ſub cura Preſbyteri Card. Parochia, & fons baptiſmi.

## S. MARGARITAE

Tranſtiberim; olim S. Eliſabethæ Hungariæ Reginæ dicatum, à Iulia Columna an 1564. fabricatum vnà cum monialium annexo Monaſterio tertij ordinis S. Franciſci.

## S. MARIAE AEGYPTIACAE

In Regione Ripæ, olim templum Fortunæ virilis, ſeu Solis, vel Iouis, ob antiquitatem ſtructuræ conſpicuum. Eſt nationis Armenorum ex Pij V. conceſſione, vbi ſacra ſolemnia celebrantur ritu Armeno ex eiuſdem Pontificis indulto. Hoc templum viſitantibus, conceditur perpetuò Indulgentia Plenaria die 2. Aprilis, & 25. Decembris à Gregorio XIII.

## S. MARIAE VIRG.

## Angelorum in Thermis

A Pio IV. Pont. conſtructum, & ædificatum, ex Michaelis Angeli Bonarotæ pręſcripto, in Thermis Diocletiani Imp. miræ amplitudinis, & ſtructurę, ac maximæ deuotionis, tum centum quadraginta chriſtia-

ſtianorum millia ad id opus pluribus annis in modum ſeruitij fuerint addicti, qui poſtea martyrij palmam meruerunt. Eſt hìc Clauſtrum Monachorum Carthuſianorum ex conceſſione dicti Pij IV. vt in Bulla 45. tomi I. Bullarij primò editi à Laertio Cherubino fol. 714. In pauimento ante maius Altare hoc habetur epitaphium.

*ANTONII DE DVCA SICVLI PRAESBYT. CEPHALVDENSIS*

*Qui has Diocletiani Thermas ante annos ferè triginta Virg. Angelorum, vt extat, templum fore diuinitùs præuidit, hic oſſa quieſcunt. Vix. an. 73 m. 4. d. 15. obijt 30. Octobris 1574. Iacobus de Duca pronepos ex teſtamento hæres poſuit.*

## Angelorum Textorum

In Via Alexandrina à Card. Alexandrino, locum pluribus domibus adornante, ſic dicta, & in Campo antiquitùs appellato Caroli Leonis, hodièque in vico vulgariter nuncupato (li Pantani) Olim S. Marco dicatum, fortè quia ibi per aliquod temporis ſpatium ſupra maius Altare depoſitum fuit corpus S. Marci Papæ, quando ex Caſtro Iuliani Romam delatum fuit Eugenij III. tempore; licèt nunc aliud extet S. Mariæ in Campo Caroli leonis nuncupatum. Eſt Confraternitatis Textorum. Dicitur à ſacræ antiquitatis pijs viris in macello martyrum, quod aliqui credunt dicendum à celebri loco, vbi carnis cæteraque obſonia vendebantur propè ſacram Viam. Ferè è conſpectu huius tēpli reliquias antiquæ porticus cernimus, quam eruditi Arcum Neruæ, & imperiti Arcam Noe corrupto vocabulo appellant.

In Regione Pontis; nationis Germanicæ anno 1400. excitatum; Hadriani VI. Papæ, aliorumq; nobilium, illuſtriumq; virorum monumentis, ſtatuis, & picturis conſpicuum.

Munia Sacra à Presbyterorum collegio religioſiſſimè peraguntur, ibiq; eſt Hoſpitium pauperum Germanorum ſub cura congregationis piorum virorum prouinciæ Germanicæ. Ex pluribus epitaphijs, hæc affero.

CLEMENTI II. NATIONE GERMANO DE GENTE SAXONVM, QVI OLIM BAMBERGENSIS EPISCOPVS DIFFICILLIMIS CHRISTIANAE REIPVBLICAE TEMPORIBVS INVITVS AD SVMMVM ECCLESIAE PRINCIPATVM EVECTVS EST ANN. SALVTIS M. X X X X V I.

Ioannes Godefridus Matthię Imperatoris ad Paulum Pontificem Maximum legatus Bambergensis, & ipſe Epiſcopus Epiſcopo inter maiores ſuos præcipuo memoriam dedicauit an. Dom. M. DC. XIII.

*IOANNES BVRCKARDVS ARGENTINEN. Sedis Apoſtolicę Protonotarius S. Florentij Haſelacen. & Columbarien. ac Grandis Vallis Argentinen. & Baſileen. Diœc. Præpoſitus, ac Decanus S. Thomæ Argentinen. Eccleſiarum, Capellæ S.D.N. Papæ Magiſter Cæremoniarum.*

*Nuſſia me genuit, rapuit Mavortia Roma,*
*Bis tria cum fuerant luſtra peracta mihi.*

Con-

*Et genere, atq; bonis animi non vltimus; aſt hæc*
*Contra lanigeras nil potuere Deas.*
*Guilhelmo Kreytſyſchs; qui eſſe deſijt 4. nonas Aug.*
*1517. executores poſuere.*

*Te tulit Offemburg Michael doctiſſime Muler,*
*Tu patriæ ſplendor, gentis honorque tuæ.*
*Cauſſarum qui fidus eras curator in Vrbe,*
*Pauperis, ac inopis tutor, vt alter Iuo.*
*Canonicus Briximenſis meritiſſimus Aedis,*
*Te Deus æthereis ſedibus ergo locet.*
*Ex teſt. fideles hoc ſtatuere amici 1479. 7. Nouembris.*

## Annuntiatæ extra Vrbem

Olim ad peregrinos excipiendos excitatum à pietate romana: vnum ex nouem, quæ frequentiùs deuotionis cauſa viſitari ſolent, extàtque vltra SS. Vinc. & Anaſtaſij ad Aquas Saluias, ſub cura Archiconfraternitatis Confalonis, quæ anno 1640. templum ferè totum renouauit, hac ſupra portam impoſita inſcriptione.

VRBANO VIII. PONT. MAX. AN. D. M.DC.XL.
Franciſci Card. Barberini Vicecancellarij Protectoris excitante pietate.

Antiquiſſima B. Mariæ Confalonis Archiconfraternitas Aedem hanc ſuam Virgini Annuntiatæ dicatam, ex nouem vrbis inſignioribus vnam, vetuſtate penè depoſitam, vt ſanctimoniæ loci, & inuiſentium religioni conſuleret in hanc formam reſtituit.

In eodem ſupra ſepulcrum.

Archiconfr. B. Mariæ Confalonis non defunctorum minus, quam viuorum memor, vt Aedem hanc ſuam pietati inuiſentium reſtaurauit, ſic quieti in Domino dormientium ſepulcrum hic conſtituit An. D. 1641.

Priuatum in clauſtro religioſarum mulierum S.Franciſcæ ſub Capitolio.

## Aræ Cœli

In Capitolino colle; inter prima cenſendum propter plurima ornamenta, columnas, ſtatuas, ſepulcra, inſcriptiones, & picturas; per marmoreos gradus 139. ad id aſcenditur, ex ornamentis ædis Quirini fabrefactos, anno 1338. Senatus populiq; Romani munificentia multiplici opere ornatum. Imaginem B. Mariæ Virg. à B. Luca depicta, vt creditur, habet in nobili ciborio à Franciſco de Felicibus, & Catharina eius vxore erecto. Eſt ibi annexum ingens monaſterium fratrum de obſeruantia S.Franciſci, nobile Sacrarium, & celebris Bibliotheca. Ex pluribus epitaphijs hæc refero.

*ANTONIO MARIAE CARD. GALLO S. Collegij Decano Patricio, & Epiſcopo Auximano Almæ Domus Lauretanæ Protectori Petrus Stephanus Gallus ex teſt. hæres patruo benem. poſuit.*

*D. O. M.*

*Felici de Predis, qui ob proprias virtutes & repertum Laocoontis diuinum, quod in Vaticano cernis, terrę reſpirans ſimulacrum, immortalitatem meruit, Federicoq; paternas, & auitas animi dotes referenti immatura nimis morte præuentis Hieronyma Branca vxor, & Mater, Iuliaq; de Predis de Militibus fil. & ſoror mœſtiſſimè poſuit an. D. 1509.*

*D. O. M.*

*Octauio Buccapadulio Patritio Rom. iuueni græcè, latinèq; erudito; morum elegantia, & rerum urbana-*

*rum*

*rum cognitione ornatiſsimo, A. Farneſio Card. Vic. Cancellario ab epiſtolis, quem dum in itinere officioſiùs comitaretur, & torrentem in Agro Reatino ſubitis imbribus auctum intrepidus tranaret, rapida aquæ vi deiectus equo, ſubmerſuſq; immaturè interijt anno æt. 35. ſal. 1578. Proſper Buccapadulius filio præter cæteros cariſsimo lacrymans poſ.*

D. O. M.

*Antonio Dordonio Nicolai fil. è Ciuitate Buxeti viro probo, ac in incidendis, & ſculpendis imaginibus in omni gemmarum, lapidumq; precioſiorum genere eximio, atque primario, qui cum annum ageret ætatis ſuæ 56. ad Superos redijt 18. Cal. Maij 1584. Siluia Poppia vſufructuaria viro ſuo benemerenti.*

D. O. M

*Diſce hoſpes. Sunt hic Nicolai Straballati oſſua Scribæ nulli ſecundi: quæres cætera. Romanus fuit ciuis, integerrimus, populo ac omnibus gratiſsimus, quem nunc Curia Romana lacrumatur. Vale, ſed audi Officium dederant, dant nunc Capitolia: plus ſtare loco haud poteram nec meliore: iterum vale. Filij piiſsimi patri ſanctiſsimo benem. mœſti ac flentes poſ. ſibi poſteriſque ſuis. Vix. an. 70. obijt verò Maij 1558.*

*Io. Baptiſtæ veræ Crucis Ciui Romano artium, & medicinæ Doctori, ac ſacris literis imbuto, qui inter præclara eius geſta aureum opus de confutatione Iudaicæ ſectæ edidit. Obijt anno à natali Chriſtiano 1510. 11 Cal. Octobris, cuius anima requieſcat in pace.*

*Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & viuam & non confundas me ab expectatione mea. Hic requieſcit Nicolaus Martinellus Cler. Rom. ob. 19. Martij 1556. Vix an. 63. m. 7. d. 19.*

Flocca

*Flocca domus, nomen mihi Sanctes, patria Firmum,*
*Scriptor eram, & Medicus, Paule Secunde, tuus.*
*Vix. an. 62. obijt 4. non. Octobris fratri concordiati*
*Nicolaus Floccus benemer. poſ.*

## Auentinæ

In ea Auentini parte, quæ reſpicit Tiberim, ſupra locum vulgariter dictum, *Marmorata*; olim Bonæ Deæ. Poſtea S. Ioannis in Auentino, tùm Virginis Mariæ, & vnum ex 20. antiquiſſimis Vrbis Abbatijs. Eſt Prioratus Militum Hieroſolymitanorum cum amplis redditibus. In eo requieſcit corpus S Sabini Epiſcopi, & in vrna vacua exiſteñ in ingreſſu templi à dextris fit mentio eius capitis, quod ibi aſſeruari ſolebat, his verbis.

† HIC RECONDITVM EST CAPVT S. SAVINI
SPOLETINI EPISC. ET MART. ET COSTA
S. CAESAREI MART. ET SANGVIS
S. SEBASTIANI MART. ET RELIQVIAE
S. ABVNDII MART. † ET RELIQVIAE
SS. QVADRAGINTA.

A ſiniſtris eiuſdem Eccleſiæ.

D. O. M.

*Marmore ſub gelido verè Seripande iacebas,*
*Dum pluuijs cineres immaduere tui.*
*Non tulit id pietas Aldobrandina, hocque*
*Compoſuit cineres nobiliore tuos.*
*ANNO A PARTV VIRG. M.DC.XVII.*

In Cenotaphio.

*Hoc Seripande iaces gelido ſub marmore Sergi,*
*Quem tremuit Maurus, & tremuere Phryges.*
*Armiratus eras nulli probitate ſecundus,*
*Rhodius & primę Religionis honos.*
*OBIIT ROMAE DIE XIV. IAN. MCDLXV.*

## In Auentini radicibus

Paruum:olim Paraſrœnariorum Summi Pontificis, & S.R.E. Cardinalium.

## Bagnanapoli

In aſcenſu Quirinalis, prope turrim Comitum. Eſt monialium ſub regione Fratrum S.Dominici, ibique eſt celebris Imago B. V. de qua peculiarem libellum edidimus.

## In Cacabario

A loco, quem vulgus Cacabarium appellat, fortè ab Herculis Muſarum templo, quod hic erat, ſeu veriùs à caſa Marij. Olim parochiale, nunc eſt confraternitatis Regatteriorum, qui illud habent ſub nomine S.Blaſij.

## In Campitelli

Ab eius Regione ſic dictum: modernum ſuffectum in alterius antiquiſſimi, & huic proximi locum. Eſt ſub cura Clericorum regularium Matris Dei nationis Lucenſis.

## In Campo Carleo

A Carolo Leone ſic dictum, in Vico, qui vulgò dicitur, *ſpoglia Chriſto*: antiquiſſimum & parochiale, cui vnita fuerunt iura proximi templi SS. Cyri, & Ioannis corrupto vocabulo appellati, *S. Paceræ*, vt in Bulla Sixti V. quam legi ex gratia D.Benedicti Geracis Rectoris huius templi.

## In Campo Martio

Antiquiſsimum cũ Clauſtro monialium ordinis S.Benedicti,de quo plura fr.Hyacinthus de Nobilibns Romanus ordinis Prædicatorum in Chronico italicè impreſſo, vt ſequitur.

Cro-

# CRONICA DEL VENERABIL MONASTERIO Di ſanta Maria in Campo Martio di Roma dell' Ordine di S. Benedetto della Congregatione Caſſinenſe, ſcritta dal P. Fr. Iacinto de Nobili Romano dell' Ordine de' Predicatori.

*TRA gli altri Santi, che la Grecia produſſe, degni d'eterna memoria, e d'eterni honori, vno fu Baſilio Veſcouo di Ceſarea di Capodocia detto il Magno, qual con ſua ſcienza quaſi diuina, & ſantità di vita, non ſolo apportò al tempo dell'empio Giuliano apoſtata, & di Valente Imperatore Arriano, tanto vtile alla Chieſa cattolica, quanto altro Santo veſcouo de' ſuoi tempi; ma perche co'l ſuo religioſo, e ſanto modo di viuere riformò i Monaci, che in quei tempi diſperſi ſi trouauano per la Grecia, & anche inſtituì nouo ordine, & formò noua regola, ſeguita non ſolo da infinito numero d'huomini, ma da numeroſa ſchiera di deuote, & religioſe femine; fra le quali degnamente ſi debbano aſcriuere le monache del monaſterio di S. Anaſtaſia di Conſtantinopoli, di cui intendo parlare. Queſte furon fondate poco doppo il tempo del Magno Baſilio nella Città di Nazianzo nel monaſterio detto delle Vergini nobili di S. Tecla, di cui fu molto diuoto S. Gregorio Nazianzeno, & viuendo lo proteſſe, & conſeruò, & morendo in Nazianzo fu poi in detta Chieſa di S. Tecla di Nazianzo ſepolto. D'onde per le molte turbolenze, & calamità partendo queſte ſacre Vergini, ſi trasferirno col corpo di detto Santo in Conſtantinopoli nella Chieſa dedicata à S. Anaſtaſia, oue il fiore della nobiltà Conſtantinopolitana veſtita d'habito monaſtico, ſotto la*

*la regola di S. Baſilio quietamente, e ſantamente militò, & ſerui con gran feruor di ſpirito al viuente Iddio fino all'anno di noſtra ſalute 718 Quando Zulemone Ammiraglio de' Saraceni con infinito numero di eſſi aſſediando la Città di Conſtantinopoli; conuenne à queſte religioſe con ſollecita fuga ritirarſi in luogo più ſicuro con le reliquie de' Santi, per non eſſer computate nel numero delle trecento mila perſone, che ne' trauagli, & aſſedio di quella Città, di peſte e fame morirono.*

*Ma ceſſato l'aſſedio, & in Conſtantinopoli ritornate, ritrouarono via più maggior trauaglio, e più crudel perſecutione dell'empio Leone III detto Iconomaco, il qual tentato dal Demonio perſeguitò oltre modo le imagini, & figure de' Santi, facendole abbrugiare, & cancellare douunque ſi trouaſſero, si dalle Chieſe, e lochi publici, come dalle caſe, & habitationi priuate: facendo anco quei, che ciò biaſmauano, ò morire, ò malamente viuere.*

*Tal perſecutione durò tutto il tempo di ſua vita, che fu ſino all'anno 741. in cui morì ſcommunicato, & maledetto, come heretico.*

*Il medeſimo anno ſucceſſe nell'Imperio Conſtantino Quinto, quale non ſolo s'aſſomigliò al padre, ma fu molto peggior di lui; poi che oltre la perſecutione delle ſante imagini, atteſe à maleſitij, & incanteſmi, perſeguitò preti, monaci, & boni Chriſtiani, de' quali ancor innocentemente fece morire.*

*In queſte dunque turbolenze anguſtiate le deuote e ſante Religioſe del monaſterio detto di S. Anaſtaſia, vedendo che le coſe andauano di male in peggio, & che l'hereſie creſceuano in quella Città, & per tutto l'Imperio ſenz'alcun rimedio; non potendo ciò più ſopportare, conſultorno per ſaluezza loro, e della lor pudici-*

tia

*tia laſciar la patria ſtanza, e ritirarſi in Roma, ſotto la protettione del Vicario di Chriſto, per poter con tal mezzo quietamente ſeruire al lor ſpoſo Chriſto Gieſù, viſitar le reliquie de' Santi Apoſtoli, & fuggir i pericoli, che ſtando in Conſtantinopoli li ſopraſtauano, il che vnitamente fecero; ſi come anco fecero delle altre.*

*Al lor partire, à guiſa di Mosè, che dall' Egitto ne vſci con le oſſa del S. Gioſef, portorno ſeco quelli teſori ſpirituali, di cui Iddio haueua arricchito la lor Chieſa. & monaſterio, cioè molte ſacre imagini, & tra le altre vna di Maria ſempre Vergine (ſaluata prima dalle mani de' Saraceni, e poi dalle perſecutioni delli doi empi Imperatori Leone III & Conſtantino V.) dipinta in vna tauola, come ſi ha per antica traditione, da S. Luca, che rende anco hoggi à riguardanti e deuotione, e maeſtà.*

*Portorno altreſi il corpo di S Gregorio Nazianzeno con la teſta di S. Quirino Veſcouo, & Martire, & altre reliquie.*

*Con queſti dunque ſacri pegni giunſero in Roma l'anno di N.S. 750. & entrate in eſſa paſſando per il Campo Martio, gli animali, che portauano il corpo di S. Gregorio Nazianzeno, & le ſante imagini, con altre reliquie, immobili reſtorno vicino alla Chieſa nominata S. Maria in Campo Martio, ne ſi poterono d'indi, ancorche percoſſi, & violentemente tirati, rimouere, il che fù à quelle venerande Religioſe miracoloſo preſagio di douer eſſer in quel luogo la lor perpetua habitatione; onde furono neceſſitate à quiui deporre li ſacri pegni.*

*Andando poi à preſentarſi al Sommo Pontefice Romano Zaccaria I. di queſto nome, di natione Greco, furon da quello con eſtrema allegrezza riceuute, ſi per*

eſſer venute da'ſuoi paeſi, sì anco per hauer ſentito il grido della lor bontà, & ſantità, quale le prouidde delle coſe neceſſarie per il vitto, conſegnandole anco la picciola Chieſa di S. Maria in Minerua, con la fabrica contigua per loro habitatione.

Ma hauendo inteſo il Pontefice, che li ſacri pegni erano rimaſti con marauiglioſo prodigio nella picciola Chieſa di S. Maria in Campo Martio, all'hora da altri occupata (doppo l'eſſer ſtate breue ſpatio di tempo in quella di Minerua) queſta anco li donò, e conſegnò, in cui venendo, doppo hauerla del tutto reſtaurata, & quaſi riedificata, vi ereſſero l'imagine di Maria ſempre Vergine: & vicino ad eſſa Chieſa hauendone edificata le monache vn'altra alquanto maggiore in honore di S. Gregorio Nazianzeno, in quella riposero le ſue ſante reliquie.

Furon queſte chiamate longo tempo (ancorche habitaſſero in campo Martio) le monache di S. Maria in Minerua, e di S. Maria in campo Martio, co' quali due titoli le trouo nominate in più ſcritture, ma tra le altre in vna publica ſentenza data da Vguccione Giudice in fauore di eſſe monache l'anno 1268 li 28. di Maggio, che ſi conſerua nell'Archiuio di queſto monaſterio, oue è vn buon numero di ſcritture publiche in pergamena appartenenti al monaſterio, come anc'à gran quantità di perſone ſecolari, che per ſaluezza nelli antichi tempi in quello le poſero in conſeruo.

Furon anco chiamate monache di S. Maria in campo Martio, e di S. Gregorio Nazianzeno, ſino all'anno 1580: come in gran quantità d'iſtromenti publici, e bolle nell'iſteſſo Archiuio ſi legge.

Erano queſte Religioſe ſpeſſe fiate viſitate da zitelle nobili, & da Signore titolate Romane, quali veggendo la loro eſemplare, & ſanta vita; deſideroſe di ſeguir-

*guirle, laſciate le pompe, & grandezze mondane, ſi dauano in lor compagnia al ſeruitio di quell'Iddio, che haueua lor tocco, & infiammato il core. Onde crebbero in tanto numero, & in breue ſi riempì il monaſterio si fattamente, che eſſendo morte quelle prime madri Greche venute da Coſtantinopoli, e mancando loro chi le inſtruiſſe, e guidaſſe nel ſanto religioſo viuere, fu neceſſario, che ſi eleggeſſero noua regola, ſi come d'accordo ſi eleſſero quella di S. Benedetto con l'habito ſuo, ſotto di cui ancor hoggi militano, con decoro, e grandezza dell'habito monacale.*

*Proſperorno tanto, & tanto crebbe il grido della lor ſantità, che li Sommi Pontefici, Rè, & Prencipi, oltre altra ſorte di perſone, per eſſer partecipi delle loro orationi, à cui con molta fiducia ricorreuano, li fecero gran donatiui, & elemoſine, il che ſi caua da molti inſtrumenti publici del 1009. à tempo di Sergio Quarto, del 1024. al tempo di Giouanni XIX. & ſimili tempi; ne' quali ho letto alcune parole degne d'eſſer qui notate in noſtro vulgare, & ſono queſte.*

*Dono à voi, & al voſtro monaſterio la tal caſa, ò la tal vigna, &c. per amore dell' onnipotente Iddio, & per eſſer partecipe delle voſtre ſante, e deuote orationi quali non ceſsate fare giorno, & notte per li peccati noſtri, & di tutti li fedeli Chriſtiani.*

*Ouero vi dono queſta caſa, acciò per le voſtre ſante & feruenti orationi, in cui giorno e notte vi occupate, Iddio dia à me la remiſſione de' peccati, & à tutti della caſa mia.*

*Ouero dono à voi, & à voſtri ſucceſſori in perpetuo la metà della tal poſſeſſione per amore dell'onnipotente Dio, per mercede della redentione dell'anima mia, & per il perdono de' miei peccati, & miei parenti, & per le voſtre ſante orationi, quali giorno, & notte per rime-*

*rimedio de l'anima mia, & per rimedio di molti non ceſſate di fare. Et ſimili parole, dal che ſi caua il gran credito, in cui erano queſte religioſe, che tra donatiui, elemoſine, doti, che in quei tempi erano poche, ò nulla, ſi trouarono poſſedere ſino all'anno 1200. molti beni in Roma, in Albano, in Arimini, in Firenze, & altre Città, & anco alcuni Caſtelli. Tra quali vi fù il Caſtello di Maſſa, di Boſſigliano, ouero Hoſſiliano, & il Caſtello di Maiano.*

*La Chieſa di S. Maria in Minerua.*

*La Chieſa di S. Andrea de Mortarijs, ouero de Mortararijs.*

*La Pieue di San Giouanni chiamata Vico.*

*La Pieue di San Caſciano nel Territorio Feretrano.*

*La Chieſa de SS. Coſmo, e Damiano nella Contea de Bobbi, con molti beni.*

*La Chieſa di San Nicolò de' Prefetti in Campo Martio.*

*Caſe in Roma in num. 154. ſenza l'altre, che haueuano altroue.*

*Molte vigne, Territorij, Signorie, Villaggi, & grã Terreni.*

*Quali il Sommo Pontefice Celeſtino III. riceuè col monaſterio ſotto la protettione di San Pietro, & ſua: come appariſce per bolla piombata, data appreſſo San Pietro per mano di Egidio del Titolo di S. Nicola in Carcere Tulliano Diacono Cardinale li 7 di Maggio, la Indittione 12. del 1194. l'anno quarto del ſuo Pontefìcato: oue in particolare enumera molti beni del monaſterio, facendo memoria d'Innocenzo II ſuo predeceſſore, che fù circa gli anni 1130. quale confirmò al detto monaſterio la Chieſa di S. Andrea.*

*Queſta Bolla di Celeſtino, tradotta in volgare, por-*

*remo nel fine di queſta Cronica.*

*L'iſteſſo fece Innocenzo Quarto con vna ſua bolla piombata data in Aſciſi per mano di Giouanni. Camecanen Auditore de le contradette, Vicegerente del Vicecancelliere della Romana Chieſa li 2. di Luglio Indittione 12 del 1253. l'anno 11. del ſuo Ponteficato, oue fa memoria della Bolla di Celeſtino Terzo.*

*Et doppo l'iſteſſo Ponteſice Innocenzo Quarto con vn'altra Bolla piombata data in Aſciſi per mano di Gulliemo delle Scole Parmigiano Vicecancelliere della ſanta Romana Chieſa li 4. di Ottobre Indittione 12. del 1253. l'anno 11. del ſuo ponteficato, non ſolo confermò l'iſteſſa protettione del monaſterio, & beni, ma gli accrebbe priuilegij di ſepolture, & eſſentioni di decime, &c.*

*Nicolò Papa Terzo riceuè in particolare ſotto la protettione di San Pietro, & ſua li Caſtelli di Maiano, & Hoſſigliano, & altre Ville: come per Bolla data appreſſo San Pietro li 19. di Marzo, l'anno terzo del ſuo ponteficato, cioè del 1280.*

*Ma quanto più andò creſcendo, & augumentando in beni detto monaſterio, tanto più crebbe l'auaritia, & il deſiderio della lor robba ne' petti de gli huomini inuidioſi, onde in parte ne fu ſpogliato dalla forza, parte furon venduti, & alienati per beneſitio del monaſterio, & in diuerſe reuolutioni di Roma perdendoſi delle ſcritture, ne reſtò priuo: maſſime l'ann. 1527 & ſeguenti al ſacco di Roma, quando anco l'altre Chieſe, & Conuenti furon in queſto non poco danneggiati, del che per hora taceremo.*

*Non è mancata però la diligenza dal canto del monaſterio per ricuperarli con ogni mezzo poſſibile, ricorrendo per aiuto alli Sommi Pontefici, trà quali Vrbano Secondo in vna bolla data appreſſo San Pietro*

*li 28.*

*li 28 di Nouembre l'anno ſeſto del ſuo Ponteficato, che fù del 1094. li deputò tre Abbati due in Roma, & vno in Arimini, per Giudici, & Conſeruatori de' lor Caſtelli, Villaggi, e poſſeſſioni.*

*Siſto Quarto con vna Bolla piombata data appreſſo San Pietro il primo d'Aprile 1482. l'vndecimo anno del ſuo Ponteficato ſcommunicò tutti quelli, che riteneuano qualſiuoglia bene di detto luoco.*

*Leone Decimo con vn'altra Bolla piombata data da lui appreſſo San Pietro l'anno 1519. li 25. di Gennaro l'anno 7. del ſuo ponteficato fece vna ſomigliante ſcommunica.*

*Ma per ritornare d'onde laſciammo, Clemente Papa Quarto, non mai à baſtanza laudabile [ di cui nella Cronica da me compoſta della Chieſa, & Conuento di Santa Maria in Gradi di Viterbo, oue il ſuo ſanto corpo giace ſepolto, hò longamente ſcritto) conſiderando, che la picciola Chieſa di Santa Maria in Minerua per l'aſſenza delle monache andaua in rouina, & dall'altra parte veggendo l'vtile, che apportaua al mondo la Religione di San Domenico, che in quei tempi con gran ſantità, dottrina, & miracoli riſplendeua, leuando detta Chieſa alle monache, à Padri di dett' Ordine la donò; onde il luogo gia eretto alla falſa Minerua Dea della Scienza de' Gentili, & doppo dedicato à Maria Vergine, prima da ſacre religioſe Vergini, doppo da' Religioſi dell'ordine de' Predicatori, profeſſori della vera ſcienza Chriſtiana Catholica, deuotiſſimi della madre di Dio, vera diſtruttrice delle hereſie, fù habitato.*

*Nel qual luogo doppo con bel diſegno fù di elemoſine di diuerſi edificato l'ampio, e ſontuoſo Tempio, che ſi n'hora vediamo.*

*Seguiron poſcia le monache ſecondo il lor conſueto à*

viuere in ſtretta regolare oſſeruanza, non tralaſciando punto li ſanti eſſercitij ſpirituali d'orationi, & contemplationi, à cui attendeuano notte, e giorno: onde eſſendo venute à gran perfettione, diuenne queſto monaſterio ſcuola, & ſeminario d'altri monaſterij; poſciache vſcendo da quello ſacre Vergini, fondarono più luoghi, di cui habbiamo molte traditioni, ma per hora ſolo baſti notare li più moderni.

L'anno 1527 la Reuerenda Donna Maura Magalotti Romana, con alcune altre monache di detto monaſterio al tempo di Clemente Settimo con licenza, & d'ordine di detto Ponteſice, fondò il monaſterio di Santa Cecilia in Traſteuere, ſotto la regola di San Benedetto della Congregatione Caſſinenſe, come appariſce per Bolla della erettione, che ſi conſerua nel monaſterio detto di Santa Cecilia, Data in Roma nel Caſtello Sant'Angelo li 25 di Giugno l'anno quarto del ſuo ponteſicato.

Dal qual monaſterio poi di Santa Cecilia vſcì vn'altra Donna Maura Macabei Romana, allieua di detta de Magalotti per ordine di Papa Siſto V. l'an. 1585. per fondare il monaſterio di S. Suſanna di Roma, ſotto la regola di S Benedetto

Nel Ponteſicato di Clemente Settimo la Reuerenda Donna Scolaſtica Bartolacci, monaca di Campo Martio religioſa di gran bontà fu d'ordine d'eſſo Ponteſice eletta Abbadeſſa nel monaſterio di Sant'Anna di Roma.

Nel ponteſicato di Papa Paolo Terzo del 1534. la Reuerenda Donna Vittoria della Molara Romana, con licenza, & d'ordine di detto Ponteſice, vſcendo del monaſterio di Campo Martio fondò il monaſterio di Santa Lucia in Silice nel Rione de' Monti, vicino à San Martino, ſotto la regola di San Bene-

nedetto, al qual monaſterio Pio Quinto circa l'anno 1568. vni, e congionſe tre altri monaſterij che erano in diuerſi luoghi di Roma dell'ordine di Sant' Agoſtino, & perche le monache aggionte erano in maggior numero, volſe queſto Pontefice, che tutte ſotto la regola, & habito di S. Agoſtino militaſſero, ſi come di preſente ſi trouano.

Superfluo ſarebbe il laudare i monaſterij, parti, & allieui di queſto di Campo Martio, poiche da ſe ſi rendono chiari, & illuſtri al mondo, per nobiltà, & oſſeruanza regolare; al paro de gli altri di Roma.

Non deuo tralaſciare, anzi è da notarſi, che le Abbadeſſe in queſto monaſterio di Campo Martio durauano già in vita, ma perche tal'hora per vecchiezza, & decrepità ſi rendeuano inhabili al gouerno, onde non poco detrimento ne faceua la ſanta oſſeruanza regolare, non potendoſi dalla principale oſſeruare la ſua carica con quel rigore, & eſsempio, che conueniua; però Adriano VI à cui fù molto à core queſto monaſterio, con ſua Bolla piombata data in Roma appreſſo ſan Pietro li 11. di maggio 1523. il primo anno del ſuo ponteficato ordinò che per l'auuenire duraſſero ſolo tre anni, doppo i quali ſe ſi conoſceuano atte al gouerno, & d'vtile al monaſterio, concedeua ſi poteſſero rieleggere ſolo per li tre anni ſeguenti: qual'ordine fù accettato dalle monache con giuramento, & poſto in conſuetudine, ſe ben'al preſente non durano più di doi anni.

Parue col tempo, che le due Chieſe, di cui ſopra habbiamo fatta mentione, l'vna dedicata à ſanta Maria, oue ſtaua la ſua imagine, & l'altra à ſan Gregorio Nazianzeno, oue ripoſaua il ſuo corpo, foſſero aſſai picciole per il numeroſo concorſo di gente, che à

*quelle conueniuano: onde penſorno le monache di fabricare vn nouo tempietto, & Chieſa; che foſſe per vſo de' ſecolari, & racchiudere le due nella clauſura del monaſterio per vſo loro, & deuotione; il quale fù cominciato l'anno 1563. & compito l'anno 1564. dalla M. R. Donna Chiarina Colonna ſorella de' Signori Aleſſandro, & Stephano Colonna Prencipi di Peleſtrina à ſpeſe del monaſterio.*

*Et l'iſteſſo anno 1564 li 7. di Decembre fu da Monſignor Maffei Vicegerente del Cardinale Sauelli Vicario di Pio Quarto dedicata, & conſecrata ad honore della concettione della B Vergine, in cui fu traſlata la ſua imagine, di cui ſopra habbiamo fatta mentione. Della quale tra gli altri miracoli operati, non deuo tacer queſto vno veramente mirabile, occorſo circa l'anno del Signore 1525.*

*A caſo vna notte eſſendoſi acceſo il fuoco nella Chieſa vecchia della B Vergine, & peruenuto con gran furia all'Altare, & Tabernacolo di legno, in cui ſtaua riſerbata, & racchiuſa queſta ſacra Imagine, anco eſſo acceſe, e lo riduſſe in cenere; mirabil coſa, l'imagine che dalle mani de' Saraceni, & dal fuoco delli empi Imperatori era ſtata ſaluata, illeſa vſcì dal fuoco, e fu ritrouata miracoloſamente fuori della Chieſa ſopra d'vn pozzo qui vicino, quaſi voleſſe accennare Iddio, che à lui non mancaua il modo d'eſtinguere il fuoco per conſeruare l'Imagine della madre ſua.*

*Ma qui non finiſce la marauiglia, perche nell'iſteſſa notte dell'incendio apparue la B. Vergine ad vn ſcarpellino ſuo diuoto, detto per nome Michel'Angelo, & sì le diſſe; Andarai domani alla mia Chieſa di Campo Martio, & farai vn Tabernacolo di pietra da riporre la mia Imagine, perche quello, che vi era di legno il fuoco in queſta notte l'ha diuorato. La mattina le-*

*uato*

*uato per tempo, & peruenuto al monaſterio vidde la ſacra imagine priua dal fuoco d'ogni ſuo ornamento, & ſi certificò della viſione, da lui raccontata à chiunque intender la volle: onde con ogni deuotione, e ſollecitudine intagliò in marmo vn gratioſo ornamento, quale ancor hoggi ſi vede intorno.*

*Dell'acqua poi di quel pozzo, ſopra di cui ſi posò la Imagine, ſeguì il popolo à prenderne longo tempo per darne alli infermi, quali di eſſa beuendo per li meriti di Maria Verg. ritornauano in ſanità.*

*Non parue à Papa Gregorio Decimoterzo, che il corpo di San Gregorio Nazianzeno ſuo deuoto ſteſſe dentro al monaſterio di Campo Marzo riſerrato, & in luogo così humile, per il che pensò honorar in terra quelle ſante, e venerande reliquie già informate dal ſpirito, che hora con tanta gloria gode in Cielo, & porle à guiſa d'acceſa lucerna ſopra il candeliere della Chieſa, acciò da tutti foſſero viſte, & ammirate; onde con tanta pompa, & grandezza furon da eſſo Gregorio Decimoterzo trasferite in Vaticano, e poſte nella cappella da lui al nome del Santo dedicata, detta Gregoriana li 11. di Giugno 1580. che con ragione ſi giudicò degna d'eſſer dipinta, come coſa heroica, & memorabile, nella ſuprema Galleria di N. Signore in San Pietro, ſi come anche hoggi ſi vede in dieci tauole.*

*Laſciò però il Pontefice vn braccio del ſanto al monaſterio in memoria di queſta traſlatione, e per non priuar totalmente delle ſue reliquie quelle religioſe, che con tanta diuotione haueuano transferito di Grecia il ſanto corpo, & tanto tempo conſeruato in Roma.*

*Oltre queſta reliquia di San Gregorio, & gran numero d'altre, che in diuerſi vaſi ſon'accommodate,*

*ſi ritroua il monaſterio anco queſte più ſegnalate, cioè*

*La teſta di S. Quirino Veſcouo & mart.*
*Parte della teſta di S. Vincenzo martire.*
*Vn deto di S Brigida.*
*Vn dente di S Apollonia.*

*Dentro il monaſterio hanno queſte reuerende vna deuota ſcala, per cui aſcendendo in genocchioni, guadagnano l'indulgenze della Scala Santa di Roma poſta appreſſo il Laterano, conceſſa da N.S. Papa Paolo V. l'anno 1617.*

*Hanno altresì dentro ſette Altari, à cui l'iſteſſo Pontefice l'anno 1615. li 25. di Febraro ha conceduto l'Indulgenze delle ſette Chieſe di Roma in perpetuo per le monache, che li viſitaranno.*

*In oltre hanno le monache Indulgenza plenaria perpetua le feſte dell' Annuntiatione, Aſſontione, & Natiuità della B Vergine, & della Natiuità di Chriſto, con molte altre conceſſe da Papa Eugenio IV. & da Papa Gregorio Terzodecimo.*

*Nella Chieſa eſteriore de' ſecolari vi è Indulgenza plenaria perpetua li 8. di Decembre, giorno della Concettione della Madonna, titolo della Chieſa.*

*L'iſteſſa Indulgenza plenaria vi è alli 9 di Maggio per la feſta di San Gregorio Nazianzeno; & li 11. & 12. di Giugno giorno della Tranſlatione del ſuo ſantiſſimo corpo, come per Breue di Gregorio Decimoterzo dato in Roma appreſſo San Pietro ſotto l'anello del Peſcatore li 25 d'Agoſto 1580 l'anno nono del ſuo ponteficato.*

*Vi è anco Indulgenza plenaria il giorno di S. Benedetto & altre indulgenze.*

*In oltre qualſiuoglia Sacerdote, che dirà la meſſa de' morti ogni lunedì dell'anno, & il giorno della Com-*

*me-*

*memoratione de' morti, & per tutta l'ottaua nell'Altare di Santa Maria Madalena poſto in detta Chieſa, liberarà per ogni volta vn'anima delle monache defonte di detto monaſterio, come appariſce per Breue di Noſtro Signore Papa Paolo Quinto ſpedito ſotto li 25. di Settembre 1617. l'anno 13. del ſuo pontificato.*

## Copia volgarizzata della Bolla di Papa Celeſtino III. con cui riceue il monaſterio di Santa Maria in Campo Martio, & beni di eſſo ſotto la protettione di San Pietro, & ſua, data l'anno 1194.

*CELESTINO VESCOVO SERVO DE' SERVI di Dio. Alle dilette figliuole in Chriſto la Badeſſa del monaſterio di S Maria nel Campo di Marte, & ſue ſorelle, tanto preſenti, quanto future di regolar vita profeſſe in perpetuo.*

SE ben per l'ingiunto à noi offitio della amministratione, dobbiamo con più benigno occhio riguardare tutte le Chieſe, & attendere con ſtudio di pietà alla tranquillità, & pace di eſſe; nondimeno circa la prouiſione delle Chieſe, che ſono nella Città di Roma tanto maggior diligenza ci conuiene hauere, quanto più ſpecialmẽte ſtanno ſotto la giurisdittione del Beato Pietro, & alli lor commodi, & profitto, perche ſon più vicine, poſſiamo, & dobbiamo più facilmente prouedere, per la qual coſa, dilette figliuole in Chriſto, alle voſtre giuſte domande clementemente con-

condeſcendiamo, & il preſato monaſterio di Sãta Maria del Campo di Marte, nel quale alla ſeruitù diuina ſete obligate, ſotto il B. Pietro, & noſtra protettione riceuiamo, & co'l priuilegio del preſente ſcritto corroboriamo. In prima adunque ordinando, che l'ordine monaſtico, il quale ſecondo Iddio, & la regola del B. Benedetto, nell'iſteſſo monaſterio ſi troua eſſer inſtituito, in perpetuo inuiolabilmẽte s'oſſerui. Oltre di ciò qualſiuoglia poſſeſſioni, e qualſiuoglia beni l'iſteſſo monaſtero al preſente giuſtamente, & canonicamente poſſiede, ò per l'auuenire per conceſſione de' Pontefici, per dono de' Regi, ouer Prencipi, oblatione de' fedeli, ò con altri giuſti modi (concedendo il Signore) potrà acquiſtare, ferme, & incorrotte à voi, & à quelle, che vi ſuccederanno perſeuerino: ne'quali queſti habbiamo volſuto eſprimere con li proprij vocaboli. Il luogo iſteſſo, nel quale il preſato monaſterio è ſituato, con tutte le ſue pertinenze. Nel circuito del voſtro monaſterio 74. caſe. Nel popolo di S. Cecilia 18. caſe. Nel popolo di S. Andrea 17. caſe. Nel popolo di S. Triſone 19. caſe. Nel popolo di S. Stefano delli Arconi 9. caſe. Nella contrada di S. Silueſtro del Capo 17. caſe. La Torre col ſuo tenimento, che è poſta al Peſcarello. Tre pezze di terra in Falconiano. Tre pezze di terra in Campo Malo. Vna pezza di terra nella valle della Abbadeſſa. La Chieſa di S. Maria in Minerua, con tutte le ſue pertinenze. Due pezze di terra alla

grotta

grotta, le quali le tiene Pietro di Silueſtro. Vna pezza di terra à Luzano, la quale tengono li figliuoli di Griſotto Cacaſotto. Vna pezza di terra alla Caccauella. Vna pezza di terra alla Cauella, la qual tiene Berardo del Giudice. Vn prato appreſſo S. Pietro, qual tiene Romano di ſan Pantaleone ſotto penſione di due ducati Paueſi. Vn tenimento di terre in Corigliano, qual tengono li figliuoli di Giouanni di Caranzone, con le ſue pertinenze. Tre pezze di terra poſte nella Valle Pertica. Ne gli Horti del Prefetto le terre, & vigne, quali tiene Gregorio Scriniario Colliei. Le terre, & vigne quali tiene Pietro Papazurri nel medeſimo luogo. Terre, & vigne quali tiene Henrico de Areoli nel medeſimo luogo. Terre, & vigne, le quali tiene Giouanni Vaſcio nel medeſimo luogo. Terre, & vigne, le quali tengono gli heredi di Vaſcio nel medeſimo luogo. Terre, & vigne le quali tiene Nicolò di Giouanni Saſſoni nel medeſimo loco. Terre, & vigne, quali tiene Angelo di Nicolò d'Angelo, poſte à Malabarba. Terre, le quali tiene Pandolfo nel luogo, che ſi dice Monte Arſiccio. Terre in Flaiano, le quali tengono gli Heredi di Malpilio Giudice. La metà d'vn molino in Flaiano, qual tengono gli heredi di Rodulfo. Le terre in Flaiano, in Collino, in Ciuitella, le quali tiene Amátidio. Le terre in Pietra Pertuſa, & in Baccariccia, le quali tiene Pietro Senebaldi. L'acqua del molino in Marmorata, qual tengono gli heredi di Nicolò. La terra in

Mon-

Montorio, la qual tiene la Chieſa di S. Maria in Traſteuere; & la terra, che tiene Bartolomeo di Traſteuere in detto luogo. Dodeci denari Paueſi, li quali vi pagano ogni anno gli heredi di Pietro Sarraceni, & ſuo fratello per la terra che tengono del monaſterio voſtro. All'arco di Paſſarano ſei pezze di vigne. Nel Copertoro dodici pezze di vigne. In Pinci quattro pezze di vigne; vna ne ha Magalotto, vna Nicolò Boccainfuſa, due ne tengono gli heredi di Stefano Ottauiani. Al Popolo ſei pezze di vigne. Nel territorio di Albano ſei pezze di vigne, & vna Canapina. Vn molino, & vna macera nel luogo, che ſi dice Botte. La Maſſa di Maiano, & il Caſtello che ſi chiama Maſſa di Hoffiliano. Nel territorio Feretrano la Pieue di S. Giouanni, che ſi chiama Vico, & Seclano tra queſti confini; dal primo lato la Villa di Faniano, dal ſecondo la Villa, che ſi chiama Tetolo, & Carnaiolo di S. Lorenzo, dal terzo, & l'acqua corrente, che diuide tra Liceto, & Maſſa di Maiano; e dal quarto lato è la via, che diuide tra il Caſtello, & il Caſtello di Maſſa, & và ſin nell'Acqua, che ſi chiama *Vſi*. La Maſſa nel fondo, che ſi chiama Riuo Gammarario. La Tauernella minore, & la Tauernella maggiore. La Pieue di S. Caſciano nel territorio Feretrano ſotto il monte Curiurioli, & Monte Corbi, & il Razzo che corre in parte preſſo al Pozzo Marſoli, & la Maſſa Tarſ. & Ceruiano. La Maſſa, cioè la Fontana Billicata, & monte Maggiore, & monte Gaudio,

dio, & la detta di Duiano piana. Et la Maſſa, che tiene il Conte Lamberto poſta nel territorio di Bobbi, & ſi conclude fra queſti fini, dal primo lato Iſcli, dal ſecondo il Riuo Taibo, dal terzo la via piana, & corre al Rouere Clauello, dal quarto il Monte di Giuſto, e vá ſino al fiume. A queſto, ſeguendo le veſtigia della felice recordatione di Papa Innocenzo noſtro predeceſſore; la Chieſa di S. Andrea de Mortarijs con tutte le ſue pertinenze, à voi, & al voſtro monaſterio in perpetuo concediamo, & confirmiamo, talche il Sacerdote, che per il tempo ſarà in eſſa Chieſa, morendo, l'Abbadeſſa con il popolo di detta Chieſa inſtituiſca il Cappellano, & lo preſenti al Cardinale, ò Arciprete della Chieſa di S. Lorenzo in Lucina, acciò da eſſi pigli la cura delle anime; ſi che a loro del ſpirituale, & à voi del temporale, & delle poſſeſſioni della Chieſa ſi debba riſponde re. Il Sacerdote anche di detta Chieſa paghi ogni anno à voi, & al voſtro monaſterio per recognitione nel giorno dell'Aſſuntione della B. Vergine Mar a vna acquareccia d'olio, due facole di cera di libre dua, dodeci para di oblate nella Natiuità del Signore. & dodeci nella Paſqua, & doi denari paueſi per vna certa caſa. Ordiniamo adunque, che à niuno in alcun modo ſia lecito di temeraria mente perturbare il preſato monaſterio, ò di leuargli le ſue poſſeſſioni, ò leuate ritenerle, ò diminuirle, ne faticarle con qualſiuoglia moleſtia; ma tutte intieramente à loro in ogni modo ſi cō-

ſeruino, per gouerno, vſo, & giouamento delle quali ſono ſtate cõceſſe, ſalua però l'autorità della Sedia Apoſtolica. E ſe per l'auuenire qualche perſona Eccleſiaſtica, ò ſecolare, ſapendo che vi é queſta carta della noſtra conſtitutione, preſumerà di venir temerariamente contro di eſſa, ammonita due, ò tre volte ſe il ſuo difetto con degna ſodisfattione non correggerà, ſia priuata della poteſtà, & honore della ſua dignità, & ſi conoſca per diuino giuditio eſſer rea della commeſſa iniquità & ſia aliena dal ſacratiſſimo corpo, & ſangue di Dio, & Signor redentor noſtro Gieſù Chriſto, & nell'eſtremo eſamine ſia ſoggetto alla diuina vendetta. Mà a tutti quelli, che conſeruaranno le ragioni in detto luogo, ſia con loro la pace del noſtro Signor Gieſù Chriſto, in modo, che anche in queſta vita riceuino il frutto della buona opera, & appreſſo il rigoroſo Giudice ritrouino li premij dell'eterna pace.

Amen.

Io CELESTINO della Chieſa Cattolica Veſcouo.

Io Albino Veſcouo Albanenſe.

Io Ottauiano Veſcouo Oſtienſe, & di Velletri.

Io Giouanni Veſcouo di Preneſtino.

Io Pietro Portuenſe, & di S. Ruffina Veſcouo.

Io Pandolfo della Baſilica di XII. Apoſtoli prete Cardinale.

Io Pietro del Titolo di S. Cecilia prete Cardinale.

Io Giouanni del Titolo di S. Clemente Cardinale, di Viterbo, e Toſcanella Veſcouo.

Io Romano del Titolo di S. Anaſtaſia prete Cardinale.

Io Guidone prete Cardinale di S. Maria in Trasteuere del Tit. di S.Caliſto

Io Vgone di S. Martino del Titolo di Equitio prete Cardinale.

Io Giouanni del Tit. di S.Stefano nel Monte Celio prete Cardinale.

Io Cintio del Titolo di S.Lorendo in Lucina prete Cardinale.

Io Goffredo del Titolo di S.Praſsede prete Cardinale.

Io Berardo di S. Pietro in Vincola prete Cardinale del Titolo di Eudoxia.

Io Gratiano di S.Coſmo, & Damiano Diacono Cardinale.

Io Gregorio di S. Maria in Portico Diacono Cardinale.

Io Gregorio di S. Maria in Aquiro Diacono Cardinale.

Io Gregorio di S.Giorgio velo d'oro Diacono Cardinale.

Io Lotario di S.Sergio, e Bacco Diacono Cardinale.

Io Nicolò di S. Maria in Coſmedin Diacono Cardinale.

Io Pietro di S.Maria in Via Lata Diacono Cardinale.

Data

Data in Roma appreſſo S. Pietro per mano di Egidio del Titolo di S. Nicolò in Carcere Tulliano Diacono Card. li 7. di Maggio Indittione 12. dell'Incarnatione del Signore l'anno 1194 del pontẽficato del Sig. Celeſtino Papa III. l'anno 4.

† † †

In luogo de' ſegni, & contra ſegni del Papa, & de' Cardinali ſi pongono queſte Croci.

## In Campo Sancto

Quia forſan in area ſancta plurimorum ſanctorum martyrum ſanguine purpurata, à Carolo Magno fabricatum, & dotatum, inter S.Petri Baſilicam,& Sanctæ Inquiſitionis carceres Archiconfraternitas nationis Theutonicæ ex ſuperiori & inferiori Germania, illud gubernat, & eſt ibi Cœmeterium antiquum peregrinorum. Ibi.

*D. O. M.*

*Cornelia filia Cornelij de Briel Theutonica uxor Ioannis de Lumen in Romana Curia Veronicarum pictoris hic ſita eſt. vix. an.26. Obijt 28.Ianuarij 1526 R.D Petrus Franciſcus de Cinughis Senen. Abbas,& funeralium executor hic pijſs.& benemerito poſuit.*

*D. O. M.*

*Quos Deus aſſociat thalamo, mors ſegregat; at nos*
*Vno mors iterum congregat in tumulo.*
*Si thorus idem habuit carnes, tenet oſſa ſepulcrum,*
*Spiritus æternum viuit & aſtra ſubit.*

*Matthæo Hyzlero,& Catharinæ Kugelmenin Sueuis parentibus ſuis cariſſimis, & deſideratiſſimis, qui Romæ vnà in matrimonio vixerunt annos 16. ſine vllo*

*iurgio. Anna filiarum mœſtiſſima poſtremum prę-ſtans officium lacrymas, preces, & tumulum vnum poſuit.*

*Obijt pater 24. Martij anno 1607.*

*Mater 18. Iunij. an. 1615.*

*Sparge ſacrum cineri Latium, & pia vota viator*
*Vt tibi quod dederas, reddat amica manus.*

D. O. M.

*Martino Mileriz Bauaro ex oppido de Gendorf oriundo, piſtori in æterna Vrbe gnauo, viro frugi, probóque, quem vt omnes in vita amarunt, ità dolenter in morte fleuerunt. Maria HyKlerin ex Germanis Romæ nata coniugi amantiſs. & Catharina, ac Dorothea parenti optimo in virilitatis flore menſe Iunio, anno à Chriſto nato 1622. maligna febri extincto hæredes ex teſtamento cum lacrymis poſuerunt.*

*Horarum fallax mors incertiſſima rerum,*
*Attamen horarum cur tibi cura datur.*

*Hìc iacet corpus Petri Lopes Hiſpani dum viueret capitani Burgi S Petri defuncti 29. menſ Octobris anno Iubilei M.D. Sedente Alexandro Papa VI.*

*Sepulcrum D. Cornelij Vitri de Gadauo huius Capellæ Capellani.*

*Vitreus ante diem fatis perculſus iniquis*
*Sternitur, heu miſero vitrea vita fuit.*
*Vix. ann. 38. obijt die xi. Nouembris an. M.D.XIX*

*Hic iacet nobilis vir D. Alphonſus de Ecya Hiſpanus & Ciuis Giennenſis. Obijt die 2. Mart. 1522. Oro, cum ſis in via, dic pro defunctis Pater noſter cum Aue Maria.*

O Ra-

*Raphaeli Roberto Brixien Or. montis oliueti, qui opere vermiculato ex ligneis ſegmentis proximè ad nobiliſſ. pictoris accedebat, Bar. de Colla, & Mecolus Mecolpus amico cariſſimo mœrentes poſuere an. Chriſtianæ ſalutis 1539. E vita exceſſit ætatis ſuæ 60.*

*D. O. M.*

*Guillelmo Eiſengrein Arichtenfels. nobili Germano Iureconſulto, & duorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. hiſtorico, amico benemerito ex teſtam. Ioan. Amorionſs. Theologiæ licentiatus, Bernardus Merlemi & Mecardus Madrucij Secretarius, & Petrus Mer. compater.*

*Obijt anno Saluatoris 1583 ętatis vero ſuæ an. 41.*

*Viator ſiſte gradum, precare pro anima defuncti.*

## In Capella

Trans Tiberim, immò ad eius ripam; ſic ex vocabuli corruptione ab infraſcripta inſcriptione deſumpta (verba enim illa, QVAE APPELLATVR, vidétur in inſcriptione legi ſic coniuncta QVEAPPELLA) ſic dictum. Antiquũ & ad Pineam vocatum; vt ibi ſequẽs habet inſcriptio.

*† ANNO DOMINI M.XC. IND. XIII. menſe Martij die 25. Dedicata eſt hęc ecclesia S. Mariæ quæ appellatur ad Pineam per Epiſcopos Vbaldum Sabinen. & Ioannem Tuſculanensẽ tempore D. Vrbani II. Papæ, in qua ſunt reliquię ex veſtimentis Sanctæ Mariæ Virg. Reliquiæ Petri Apoſtoli, Cornelij Papę, Calliſti Papæ, Felicis Papæ, Hippolyti mart. Anaſt. mart. Melix. Marmeniæ mart.*

*Da Damaſo vitam poſt mortem Chriſte redemptor.*

Obſeruamus ex hac inſcriptione, præter Damaſum Pa-

Papam, alium huius nominis fuiſſe ſacræ poeſis profeſſorem. Hìc, ſi diuinare licet, ſacra Gentilium, à Pontificibus à Sublicio Ponte ſic appellatis, fiebant. obſeruetur cap.10. Pomp.Leti de magiſtr. Rom.

## In Caprino monte

In Regione Campitelli propè plateam Montanariam Annunciationi B. Mariæ Virg. dicatum. Dicebatur in Vincis; ibiq; eſt Confraternitas laicorum vulgariter, Saponari, nuncupatorum.

## De Carmelo

In Regione Montiū propè Palatium Columnenſium in cliuo familiæ Archionæ: modernum anno 1605. à confratribus Societatis B. Mariæ de monte Carmelo erectæ in eccleſia SS. Silueſtri, & Martini tit. Equitij á fundamentis excitatum.

## Conſolationis

In Regione Campitelli, in radicibus Tarpeiæ, vt dicunt, rupis, piorum eleemoſynis in honorem Imaginis B. Mariæ Virginis, miraculis inſignis, excitatum; à Raphaele Card. Riario nobili capella eaq; maiori inſignitum. De hoc templo Stephanus Infeſſura hoc ait.

*Anno 1470. a di 26. di Giugno l'Imagine della Nostra Donna Verg. Maria, la qual sta penta in vna coſta di muro appreſſo ſanta Maria delle Gratie ſotto al monte di Campidoglio, cominciò à far miracoli &c. li fù fatta la Chieſa, come ſi vede, e fù chiamata Madonna della Conſolatione. & eſſa fù penta da maſtro Antonazzo Pentore & la detta Chieſa fu conſecrata eod. anno adi 3. Nouembre.*

Ei adiunctum eſt maximum virorum, & mulierum Noſocomium. Ad altare maius legitur.

*Alexander Riarius S. R. E. preſb Card. Altare hoc pro mortuis inſigne, ſub quo corpora SS.mm. Felicis Agapt. & Vincenij requieſcunt, extruxit, vt Dei Genitricis Imago ex minus decenti loco, vbi olim ab Auguſtino Maffeio piè fuerat exornata in illuſtriorem transferretur, Miſſasq; ſingulis ſabathis, in honorem eiuſdem Deiparæ Virg. cæteris verò non feſtis diebus pro requie animæ ſuæ ſingulas. Dièque anniuerſarij obitus ſui 18. Iulij quadragenas quotannis celebrari eiuſq. rei cauſa annuum cenſum ſcutorum quinquaginta in perpetuum ſolui mandauit, teſtamento confecto à Franciſco Baccoletto Notario die 9. Iulij 1585.*

In ingreſſu poſterulæ.

*IN NOMINE DOMINI.*

*Anno 1251. tempore D. Gregorij Papæ IX. anno eius 15. Indictione 14. D. Aldoinus venerabilis Cephalun. Epiſcopus de mandato ſummi Pontificis D. Gregorij Papæ IX. hanc Eccleſiam S. Laurentij de Nicolanaſo, & Altare ipſius Eccleſiæ dedicauit, in quo reliquias ſubſcriptorum ſanctorum recondidit 4. feria poſt Dominicam Palmarum omnibus, qui ad hoc templum quolibet anno in 4. feria poſt Palmas vſque ad octauam Paſchæ viſitaturi acceſſerint vnum annum, & 40. dies Indulgent. de mandato, & auctoritate Summi Pontificis in remiſſionem omnium peccatorum. Hæ ſunt reliquiæ S. Laur. m. S. Silueſtri Papa, S. Stephani Papæ. S. Marcelli Papa, De ligno Crucis Domini de Cunabulis Chriſti, de Sepulcro Domini, de lapide S Stephani, ſanctorum trium puerorum, S. Sixti Papę, S. Papię, & Mauri mm. ſanctorum Nerei, & Achillei mm. ſanctorum Quattuor Coronatorum ſancti Dionyſijmart. ſancti Maximi mart. ſancti Pantaleonis mart. ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ſanctę Sophiæ, Piſtis, & Elpis, Agapes VV. & mart ſanctæ*

*Ru-*

*Ruſinæ; & Secundæ V. & mart. ſanctæ Petronillę V. ſanctæ Bibianæ V & mart. ſanctæ Eugenię V. & m. ſanctæ Victorię V. & mart. ſanctæ Martinæ V. & m. ſanctæ Praxedis V. & aliorum plurimorum ſanctorũ Dedicationem iſtius Eccleſię presb. Peregrinus fecit fieri cum adiutorio D. Matthæi & vxoris eius Comitiſſę.*

Sequitur inferiùs

*Lapis cum deſcriptis in eo ſacris Reliquijs ex vicina olim Eccleſia ſancti Laurentij in hanc ędem tranſlatus.*

Cœterum templum ſtructura, capellis, & ornamentis eſt conſpicuum, maximæq; deuotionis, eſtq; ſub cura Congregationis nobilium laicorum; & prope illud fuit Domus P. Ouidij Naſonis.

## Conſtantinopolis

In Regione Triuij anno 1595. à Siculis & Melitenſibus excitatum.

## In Coſmedin

In Regione Ripæ propè locum antiquitùs dictum, Velabrum à Dionyſio Papa, vt creditur, fundatum, ab Hadriano I. à fundamentis refectum, & ampliatum, apud quod Nicolaus I. fecit hoſpitium largum, & ſpatioſum, ſatisq; præcipuum ad opem, atq; vtilitatem Pontificum: item Secretarium, atq; Triclinium. Olim vocabatur ad Sanctos Martyres, ob plurima martyrum corpora in illud illata à Paulo I. Schola item græca à græcis literis, quibus Romana iuuentus hìc imbuebatur; vel, vt Io: Baptiſtę Pauliano placet, à Vico græco incolarum græcorum: Schola item S. Auguſtini appellabatur: à Gelaſio Secundo inſtauratum, & largiſſimè dotatum. Ditatur imagine B. Virg.

Mariæ miraculis inſigni. Eſtq; Diaconia Cardinalis, & habet Canonicos.

## Cryptæ pintæ

Propè Palatium Vrſinorum, vbi Olim Pompeij theatrum, in regione Parionis: ſic dictum à deuotiſſima, & antiquiſſima imagine B. Mariç Virg. in crypta picturis ornata, & miraculis clara exiſten. illìque conceptæ dicatum ante Chriſti annum 1343. olim Sancti Saluatoris nuncupatum. Verùm anno 1468. Imago tranſlata fuit ad Baſilicam Sancti Laurentij in Damaſo. Eſt de Iurepatr. Vrſinorum cum Parochia.

## In Dominica

In monte Cœlio, vbi olim fuerunt Manſiones Albanæ apud Hortos nobilium de Matthæis, & Ductum Aquæ Claudiæ Regionis montium. Dicitur in Dominica, id eſt, in Kyriaca, quia à Ciriaca matrona romana in propria domo fabricatum. Alij ex Vualafrido Strabone de reb. Eccleſiaſticis cap. 7. aſſerunt dici à Kyriaca, ideſt Dominica, à Domino, quia Domino dominantium, & Regi Regum in illa ſeruitur: At ſi hoc eſſet verum, omnes eccleſiç, ſiue templa huiuſmodi denominatione appellarentur: A Paſchali I. à fundamentis ampliatum, & renouatum, cuius adhuc extat vermiculata Abſis à duabus pulcherrimis porphyreticis columnis recta: à Leone X. penè reſectum, & nobili laqueari ornatum, cuius ſubtùs abſidem in corona marmorea hæc legitur inſcriptio. IOANNES MEDICES S. R. E. DIACONVS Card. hanc çdem D. Mariæ Virg. in Dominica nuncupatæ dicatam, quç ſui Cardinalatus denominatio extitit vetuſtate collabentem inſtaurauit.

Ad Summum Pontificatum aſſumptus ad eam equitauit in die Stationis: A Card. Ferdinando Medi-

di-

diceo nouis ædificijs ornatum: Antiquiſſimo Archidiaconatus Cardinalis titulo inſignitum: Ante Templum Nauicula eſt marmorea, cauſa voti, locata, ex qua hodie nomen à Nauicula templum habet. Olim ſub cura monachorum Oliuetanorum; nunc vnius CL. V. Leonis Allatij Clerici Beneficiati cum onere vnius miſſæ ſingulis diebus de præcepto feſtis, vt in inſcriptione, quæ ſupra Sacrarij portam ſic legitur.

*AD PERPETVAM REI MEMORIAM*
*PAVLVS V. P. O. M.*
*PRECIBVS CAROLI MEDICIS*
*HVIVS ECCLESIAE CARDIN. DIACONI*
*Expoſitis per Petrum Guicciardinum Magni Ducis Oratorem, eiuſdem Eccleſiæ Beneficiato, omnibus diebus feſtis, quę de præcepto haberi ſolent, hoc in eodem templo miſſam Deo offerendi onus impoſuit, pro vt in literis apoſtolicis expeditis ſub Dat. Rom. apud S. Mariam Maiorem 14. Kal. Octobris an. Dom. 1617.*
*Pontificatus ſui. XIII.*

## In Equiro

Alij in Aquiro ab aquis dictum credunt; argumento patet (vtimur verbis And. Fuluij l. 4. cap. de Circo Agonali) nam cum templum ab Anaſtaſio Papa conderetur, in fundamentis eius repertæ ſunt quædam æreæ Anates, aquaticæ aues, quę nuper in eo templo viſebantur. alij in Cyro appellant. Olim Iſidis in Circo Flaminio, Campoq; Martio. Nunc in Regione Columnę, & Platea Capranicenſi Ab Anaſtaſio I. ædificatum, Diaconiæ Cardinalium titulo decoratū; à Gregorio III. à fundamentis ampliori forma extructum, & depictum; Ab Antonio Maria Card. Saluiato item à fundamentis renouatum, cui adiunctum

eſt Collegium Saluiatum à ſe fundatum, & Domus Archiconfraternitatis Orphanorum, quę illud religiosè colit, & regit. Eſt ibi nobile Sacellum Horatij Ferrarij a Capuccino, & Carolo Veneto depictum.

In Codice ms. Vaticano hę due leguntur inſcriptiones conſecrationum Altarium in d. templo olim existentium.

*IN NOMINE DOMINI.*

*Anno Incarnationis Dominicæ 1189. Indictione 11. conſecratio iſtius Altaris minoris in honorem B. Marię facta eſt in Dominica 3. poſt octauam Paſchę per manus D. Alexandri PP. III. in quo recondita ſunt merita præclara ſanctorum Martyrum Sebaſtiani, Pãcratij, Matthęi Euang. Sancti Sixti PP & Martyris, Chryſanthi, & Dariæ. De carbonibus B. Lauren. S. Baſilij, Dionyſij, & Maximi martyrum. corpus Arthemiæ Virg. filiæ Dioclet. De veſtimento B. Mariæ Virg. ſanctæ Quirillæ Virg. ſanctę Quiriacæ Martyr. & ſanctorum quatuor martyrum, & aliorum ſanctorum martyrum. In qua prædictus Pont. & pro hic conſecratis, & Statione cum 4. Epiſcopis ab eodem conſecratis, & tota curia aſſiſtente, Rolan Archipresbyteri imploratu, duorum annorum remiſſionem conceſſit.*

*IN NOMINE DOMINI.*

*Anno Dom. 1295. Pontificatu Domini Bonifacij VIII. PP. Indictione 9. menſe Decemb. die 6 in feſto ſancti Nicolai, conſecratio iſtius altaris S. Nicolai facta fuit per Epiſcopum Nigroponten. de mandato Domini Iacobi de Columna Diaconi Cardinalis ſanctæ Mariæ in Via lata, cui iſta Eccleſia erat in temporalibus, & ſpiritualibus commendata. In quo Altari recondita ſunt merita Sanctorum In primis Bonifacij mart. Petronillæ Virg. Felicitatis mart. Eugeniæ Virg. Gregorij*

rij

*rij PP. Pelegrini marty. Dionyſij mart. Pudentianæ Virg. ſanctorum Martini PP. Marcelli PP. & Pelagij PP. de capillis B. Mariæ Virg. SS. Vincentij, & Anaſtaſij, Euſtachij, mart. Nerei, & Achillei, Iuſtinæ mart. Silueſtri PP. ſanctorum Prothi, & Hyacinthi, & multorum aliorum Sanctorum, quorum nomina ſunt in cœlis per induſtriam Clericorum ſancti Franciſci.*

Inter epitaphia hæc exiſtunt.

MAVRITIO DE CAPRANICA huius Eccleſiæ primum Rectori, deinde ſacroſanctæ Sacerdotum Societatis huius almę Vrbis propagatori, ipſius Societatis filij tamquam patri deuotiſſimè poſuerunt, qui vitæ integritate, & animi conſtantia ad annum vſque ſeptuageſimum vitam deduxit an. . . die . . . . menſes . . . .

1538.

Cœterùm Feſtiuitates Viſitationis B. M. Virginis à Domo Orphanorum, & Aſſumptionis eiuſdem à Collegio Saluiato ſolenni ritu celebrantur.

## De febri in Monte Mario

In Villa Ioannis Victorij de Rubeis Romani (qui & Ianus Nicius Erythræus nuncupari voluit in editis ſuæ virtutis monumentis) excitatum anno 1628. piorùmque eleemoſynis. Anno 1629. die 29. Septembris coli cæptum ſacra benedictione & cũ Imagine B. Mariæ Virginis miraculis inſigni, à fundatore donata. Eidem Vrbanus VIII. Papa anno 1645. priuilegia, & indulgentias confraternitatis ſanctiſſimi Roſarij conceſsit, ex quo templum dicitur ſanctiſsimi Roſarij, & de Febri. Anno 1647. obijt Ioannes Victorius fundator, & ad augendum diuinum cultum locum, fratreſq;

treſq; Eremitas B. Petri de Piſis loci curatores hæredes omnibus ſuis bonis inſtituit.

## De Febribus in Vaticano

Olim Martis, ad dexteram Baſilicæ S Petri, rotundum, & antiquum. Hìc eſt ſacrum Veſtiarium dictæ Baſilicæ pluribus antiquis monumentis conſpicuum, vt aliquis modernus edidit. Iacobus Grimaldus hæc notauit. (Erat ædicula S. Mariæ de Febribus coniuncta cum porticu anteriori, quæ erat ante fores antiquæ Baſilicæ à S. Gregorio Papa ædificatæ, vt habet Pontificale antiquum dictæ Baſilicæ, vnico fornice, octo albis & altis columnis, zophoro, ſex ſacellis, & abſida ornata cum porta ad Orientem à Sixto IV. reſtituta.

## Fullienſis

In Via Raſella monachorum Ciſtercienſium, nuncupatorum Fullienſium Gallorum.

## Gratiarum

Proximum Noſocomio S. Mariæ Conſolationis; olim Veſtæ, licèt alij hoc conſtituant, vbi templum S. Mariæ Liberatricis Reſtauratum ab Abbate Petro Ioanne Franciſco Florentio Peruſino an. 1610. vt hæc ibi indicat inſcriptio.

*PETRO IOANNI FLORENTIO PERVSINO Abbatis dignitate, alijsque beneficijs à Pio V. Pontifice Max. decorato, ob proximum Noſocomium ſuis ſũptibus auctum, ædiculam S. Marię cognomento Gratiarum, quam S. Lucas tabula cupresſina expreſſerat ex humili loco in editiorem excitatam, aureo lacunari, picturis, ara marmorea, cęteriſque ornamentis inſtructam Archiconfr. Conſolationis Cuſtodi benemerenti*

*grati*

*grati animi monumenaum poſuit. Anno Domini*
*M. DC. X.*

Io: Franciſco Salomonio Iuriſconsulto
Fabritio Naro Collegis curatoribus
Io: Baptiſta Arberino Camerario.

Decoratur Imagine B. Mariæ Virginis à D. Luca, vt creditur depicta, quem eleganti libello italicè Romæ edito illuſtrauit Odoardus Ceccarellus.

## De Horto

In Regione trans Tiberim in Pratis Mutijs, à Mutio Scæuola, qui hic ſuam manum igni poſitam in conſpectu Regis Porſenæ ſibi ipſi aduſsit, appellatis. Pulcherrimum an. 1488. ex Michaelis Angeli Bonarotæ modulo excitatum, & Imagini deuotiſsimæ Mariæ Virginis dicatum à Confraternitate Salſamentariorũ, Pomariorum, Molitorum, Olitorum &c. quorum eſt ibi annexum infirmorum Hoſpitale. Ex eo hæc tantùm epitaphia excripſi.

*D. O. M.*
*IOANNI BAPTISTA CLARO*
*Vt Patria, ita virtute Romano, prudentia raro, probitate claro, è viuis erepto die 8. Septembris anno Dom. 1597. & Septimio Claro Muſicæ doctrinæ celebri, in quo mirè certabat vocis dulcedo, & morum ſuauitas, ad immortalitatem elato anno ſuæ ætatis 40. die 2. Iulij 1622. Octauius Clarus fratribus de ſe benemeritis ſibi, poſteriſque ſuis viuens poſ.*

In Sacello Sancti Sebaſtiani pictura Eq. Ballioni, & Antoniæ Scottinæ pietate excitato in pariete.

D. O. M.

Sacellum S.Sebaſtiano vetuſtiore ſub forma, Eccleſiæ ære ante dicatum, Lucianus Brancaleo à Camerino Hortolanus Antoniæ Scottinę eius coniugis pię voluntati adhærens proprio ſumptu ad hanc meliorem formam reduxit; ſcutis mille dotauit, onus vnius Miſſæ pro ſe,ſuiſq; diebus ſingulis poſt eius mortem celebrandæ, ac anniuerſarij diei ipſius obitus, & dictę eius coniugis quotãnis perpetuum impoſuit, vt per acta D. Caroli Conſtantini Notarij Capitolini ſub die 8. Aprilis 1624.

In pauimento.

D. O. M.

LVCIANO BRANCALEONI DE CAMERINO, ET ANTONIAE EIVS VXORI GRATA SOCIETAS POS. AN. SAL. M. DC. XXXIV,

## Humilitatis

In Regione Triuij ad radices montis Quirinalis à Fráciſca Balleona Vrſina fundatum cum monialium monaſterio an. 1603.

## Immaculatæ Virginis Conceptæ

Amplum vnà cum ampliſſima domo ad celebres hortos Ludouiſianos, olim Salluſtianos pro Fratribus Capuccinis à fundamentis erectum à Card. Antonio Barberino fratre Vrbani VIII. Pont. nuncupato Card. S.Onuphrij: ſic legitur in ſequenti inſcriptione ſupra maiorem Eccleſiæ portam.

Fr.

FR. ANTONIVS BARBERINVS S. R. E.
PRESB. CARD. S. ONVPHRII
VRBANI VIII. GERMANVS FRATER
Templum immaculatæ Virginis conceptæ, Capuccinis fratribus cænobium à fundamentis erexit, religioſi in Deiparam obſequij, beneficæ in ſuum Ordinem charitatis monumentum.
ANNO SALVTIS M. DC. XXIV.
CAPVCCINI FRATRES GRATI ANIMI ERGO POS.

Dicti fratres primò templum D. Mariæ miraculorũ ad ripam Tiberis in Regione Populea; tum in Vico Patritio S. Euphemiæ; poſtremò S. Bonauenturæ in radicibus Collis Quirinalis occidentalibus coluere.

Cœterùm hìc ſeruatur eleganti cultu corpus Beati Felicis à Contalicio Ordinis Capuccinorum cum alijs ſanctorum Reliquijs: Et Altaria illuſtrantur tabulis ſanctorum Imaginibus pictis manu celebrium artificum.

## Imperatricis

In Regione Montium Imagini B. Mariæ Virg. quæ allocuta fuiſſe dicitur Sanctum Gregorium Magnum, dicatum. Eſt Societatis Sanctiſſimi Saluatoris ad Sancta ſanctorum.

*D. O. M.*

*Giorgio di Antonio Rancetti Fiorentino argentiero, Scultore, & intagliatore, maeſtro del Conio della Zecca della Camera Apoſtolica huomo buono, timoroſo di Dio, caritateuole del proſſimo, amoreuole dell' amici: viſſe anni 70. non ſentì la vecchiezza, & gli vlti-*

*vltimi diciſette anni continuò di viſitare gl'ammalati del vicino Hoſpidale; morì piamente, e laſciò d'eſſer ſepolto nella nuda terra in queſta Chieſa l'anno 1610. Tomaſſo Cortine Aquilano argentiero ricordeuole dell'amicitia, e de'beneſici riceuuti poſe qui ſopra il ſuo corpo queſta lapida.*

## Lauretanæ Marchiæ

Anno 1638. excitatum prope Tiberis ripam, vulgò Ripetta, nuncupatam à pijs Marchiæ Anconitanæ viris.

## Lauretanæ Piſtorum

In Regione Montium anno 1500 excitatum ære publico; pulcherrimum teſtitudinatum ex modulo Iacobi Ducis Siculi. Eſt Societatis Piſtorum, cum adiuncto Hoſpitali infirmorum.

## Liberatricis.

In Regione Ripæ, in foro Boario, ad radices Hortorum Farneſiorum; paruum, & pulchrum. Hìc olim fuere Roſtra, & lacus Curtius. Templum à S. Silueſtro Papa conſecratum, & B. Virg Mariæ dicatum; Ideò dicebatur S. Silueſtri de Lacu: à Gregorio XIII. reſtaurari cœptum; a Siſto V. perfectum. Vltimò Cardin. Lantes ampliori digniorique ædificio illuſtrauit, vt ſic ſupra maiorem portam.

MARIAE VIRGINIS COGNOMENTO Libera nos a pœnis inferni, cui Michael Lantes annis ab hinc 34. Sacellum hìc in AEdicula, loco humili, per anguſto, miraculo tamen S. Silueſtri Papæ in Draconem, & S. Franciſcæ Romanæ parietinis illuſtri excitarat; eidem hanc ædem in editiore exædificatam ampliorem ornatioremq; Marcellus frater S. R. E. Card. à fundamentis extruxit anno ſal. 1617.

In Capella B. Virg. in pauimento.

MICHAELI LANTI
adoleſcenti pijſsimo, qui ex teſtamento hanc AEdem auxit, & dotauit Lauinia Maffea mater mœſtiſsima poſ. Vix.an.28.
Obijt X. Cal. Decembris 1533.

Maioris

In monte Exquilino prope Macellum Liuianum in Palatio Sicimini conditum. Patriarchale, & vnum è ſeptem, quod deuotionis cauſa peculiariùs viſitari ſolet. Dicitur *Maior*, quia primum inter cætera B. Virg. Mariæ dicatum. Item *Liberij* à Papa Liberio fundatore; *Ad Præſepe* quoque, quia illud ibi conditum eſt. Inter cætera ornatiſſimum. Habet in ordinibus duobus 40. Columnas, porticum etiam columnis ſuffultam, inter quas ſunt duæ maximæ porphyreticæ. Sacella Siſti V. & Pauli V. regia quidem magnificentia extructa. Sacraria eorundem, nec non Baſilicæ ornatiſsima, & ditiſſima ſupellectili inſtructa: Turris campanarum cũ tecto plumbeo; pauimentum teſſellato opere varium, contignationes inauratæ. Abſis muſiua; ſepulcra nobilium ſtatuis, & picturis celeberrimis nobiliſſima. Ditatur Ieſu Chriſti cunabulis, Imagine B. M. V. manu D. Lucæ depicta, S. Matthiæ Apoſtoli, & S. Hieronymi corporibus, aliorùmque inſignibus reliquijs. In eo ſepulti Nicolaus IV. Pius V. Sixtus V. Clemens VIII. & Paulus V. Pontifices. Eſt ibi Porta ſancta anno Iubilei aperiri ſolita: Habet Canonicos, Beneficiatos, & Clericos cum Archipresb. S. R. E. Card. Plura de hoc templo ſcripſit nobili figuriſque ornato opere Abbas Paulus de Angelis & Paulo V. dicato, Ex pluribus epitaphijs hęc refero. Primum Leonardi de Ruuere S.R.E. Cardinalis in Ciaconio deſideratum.

HOS-

Hoſpes ſi quid in humanis veri eſt. Hic Iuſtitia, caſtitas liberalitas ſepulta eſt. Mendacium putas? Romam conſule. Vale.

LEONARDVS DE RVVERE S.R.E. CARD. MAIOR POENITENTIARIVS

Iulij II. Pontificis Maximi nepos, Sixti IV. abnepos, cum literarum ſcientia omnis virtutis gloria communicauit. Defenſor bonorum, ſubſidium pauperum, antiquę fragilitatis exemplum.

*MATTHIAE PALMERIO PISANO Abbreuiatori, & Secretario Apoſtolico, qui eloquentia, eruditione græca, latinaque claruit, & vitæ probitate, innocentia, frugalitatèque præſtitit.*

*Vix. an. 60. Silueſter frater poſ.*

*Ariſtean nonnullaque alia è græco in latinum opera tranſtulit, in Romana lingua multa compilauit. Demùm de bello Italico ſcripſit. Migrauit ad Superos die 19. Septembris 1483.*

*BARTHOLOM. BALLEONIO STABIANO Pont. iur. interpr. Com Palat. S. Mariæ Maioris Canonico, Angelus patruo benemer. poſ.*

*Vix an. 45. m. 8. d 13.*

*Parce queri quicunque legis, poſt fata renaſci*
*Sors humana iubet, Bartholomæius ait.*
*Soluitur in cinerem corpus, mens æthera lambit,*
*Vt queat æterna condicione frui.*
*Non moritur quiſquis benè vixerit, ille periſſe*
*Dicitur, obſcoeno cui ſtetit ore ſitis,*

OPE-

OPECINO AVRIAE DOMINICI FIL.
*Genuen. Patricio, qui vixit ann. 33. ferè deceſſit 1485. prid. Cal. Decembris.*

*Florentes annos tibi mors Opecine negauit,*
*In Patriam ad caros ſæua referre Lares.*
*At Domini ſanctum propter Præſepe iacentis*
*Dignior in tota non erat vrbe locus.*

HIERONYMO MVTIANO BRIXIEN.
Ciui Romano, non pingendi magis arte, quàm vitæ probitate clariſsimo: idem enim Gregorio XIII. P. M. cuius ſacellum in Vaticana Baſilica muſiuo princeps opere exornarat, cariſsimus fuit & à S. P. Q. R. ob inſignem morum integritatem Romana ciuitate donatus eſt. Obijt die 27. menſis Aprilis anno 1592. & Hortentiæ Vrſę eius vxori, & Victorię filię Socero, Socrui, & vxori cariſsimæ.
Thomas Thetius mœrens pos. an. D. 1600.

*Hoc Iacobi ſita ſunt Mancini membra ſepulcro.*
*Qui fuit iſtius maximus ædis honos.*
*Iure igitur lugent fratres, cariquè ſodales,*
*Et ſemper clamant, Vmbra beata vale.*

## Supra Mineruam

In Regione Pineę prope Rotundam, olim Mineruæ. Non longè ab eo fuit Arcus Camilli, vulgò, *Camigliano* & templum *Boni Euentus*. A Zaccharia Papa monialibus S. Mariæ Campi Martij conceſſum. Sub Gregorio X. ex monialium conceſſione Ordini S. Dominici traditum. A plurimis nobilibus Romanis in præſenté

ſentè formam ædificatum; picturis, & ſtatuis clariſſimorũ artificum ditatum, & prę cæteris D.N.Ieſu Chriſti à Bonarota ſculpta. In eo eſt corpus S. Catharinæ Senenſis Cuius cubiculum è conſpectu S. Claræ in Domo officialium Confraternitatis Marię Virg. Annuntiatæ exiſtens, in fratrum Monaſterium tranſtulit, nobiliq;loco in Sacrario locauit Cardinalis Antonius Barberinus, hac ibi locata inſcriptione.

CARDINALIS ANTONIVS BARBERINVS Ordinis Prædicatorum Protector, ob ſingularem in S. Catharinam Burghesiam Virginem Senenſem eiuſdem ordinis pietatem, Cubiculum, vbi Seraphica Virgo ſponſum numquam occidentem ſolem excepit: vnde ad ſemper orientis thalamum euolauit ab antiquis ædibus ſeiunxit, & in hoc Sacrario ad maiorem eius cultum collocau.t.
an. D. 1637.

Item requieſcunt ibi Leo X. Clemens VII. Paulus IV. & Vrb. VII. Summi Pontt. Plures in eo erectæ Confraternitates Laicorum eleemoſynis, pietate, & aliјs operibus inſignes.

In frontiſpicio templi.

FRANCISCVS DE VRSINIS GRAVINAE, ET CVPERSANI COMES ALMAE VRBIS PRAEFECTVS
Inluſtri ædes Mariæ Virg. ſuper Mineruam iam diù medio opere interruptas p oprijs ſumptibus abſoluere curauit pro eius animæ ſalute an. D. 1353. Pontificatu D.N. Nicolai PP. V.

In

In pauimento è conſpectu Capellæ de Capharellis.

BLASIO CERVINO POLITIANO Marcelli II. P.M. fratri, peditum, equitum, ciuitatiſq; Leoninę præſidi fortiſsimo viro religione prudentiaq; præſtantiſsimo.

VIX. AN. LXXXII. M... D....

MOR. AN. D. MDLXXIX. V. SEPTEMBRIS.

In capella familiæ Iuſtinianæ in nobili cenotaphio.

IOSEPHVS IVSTINIANVS PATRITIVS GENVENSIS

Chij inſulę dominatu, Turcarũ vi, deiectus, familiæ dignitatem animi magnitudine ſuſtinuit, ſummis Pontificibus ob rerum vsũ, & ſpectatam integritatem carus fuit, pietate in Deum, officijs in amicos, inexhauſta in pauperes beneficentia clariſſimus.

VIX. AN. LXXIV. OBIIT V. ID. IANVARII MDC. BENEDICTVS S. R. E. CARD. ET VINCENTIVS FILII PATRI OPTIME MERITO IVXTA VXOREM HIERONYMAM VINCENTII ALTERIVS CARD. SOROREM PP. M. DC.

Ex Baptiſta de Brunelleſchis.

*Martinus Fraſobettus Parigenſis Marię Burelę coniugi dulciſſimę ſibi, poſteriſq, ſuis 1524.*

*Conſtituit Mariæ tumulum, Martinus & ipſi,*
*Coniugis vt coniux oſſibus oſſa tegat.*

Item ex eod.

*Marcellina domus, quem Patria Roma creauit,*
*Quinque obitus luſtris hic Nicolaus ineſt.*

 Gratia

*Gratia, forma, genus, virtus, ſapientia, mores*
*Viuere ſi facerent, victa Sibylla foret.*
*Ergo, pie ah lector, pede ne tere queſo figuram,*
*Sic ſaltem matri viuat vt ipſe ſuę.*
*Quę tumulans dixit, poſſes ſi nate recondi*
*Ventre meo, buſtum non tibi tale darem.*

Cœterùm nobile templum religioſiſsimè colitur à fratribus Ord. S. Dominici, qui ferè per totam diem videntur diuinis laudibus ibi inſiſtere, magno populi concurſu, & deuotione.

## Miraculorum

In Regione Campi Martij ad Ripam Tiberis propè Vrbis Portam Flaminiam à B. Mariæ Virginis imagine miraculo illuſtri excitatum ab Archiconfr. S. Iacobi Incurabilium. Templum habent fratres Tertij Ordinis S. Franciſci; Archiconfraternitas imaginem præfatam.

## Ad montes

In Regione montium in Subura, pecunia Greg. XIII. & piorum virorum eleemoſynis à fundamentis ædificatum Imagini B. Mariæ Virg. miraculis celeberrimæ an. 1579. Nobile & ornatiſſimum. Vnitum Societati catechumenorum; cui etiam addidit amplum ædificium Card. S. Onuphrij, pro alumnis Collegij Neophytorum.

## De monte Serrato.

In Regione Arenulæ prope Curiam Sabellorum à citerioribus hiſpanis, Tarraconenſibus, & Arragonenſibus B. Virg. excitatum an. 1495. cui vnitum eſt Sardorum hoſpitium, olim in S. Iacobi in Septimiano erectum, & ob Tiberis inundationem ſuppreſſum. Antiquitates Vrbis hiſpanicè impreſsæ in vrbe an. 1589. hæc habent.

*Nel*

*Nel tiempo di Vrbano Papa VI. de 1381 era hoſpital de Cantalanes de la inuocacion de S. Nicolas, y e nel anno 1506. en tiempo de Papa Iulio II. a los veynte y tres de Iunio juntados en la yglesia del Pozo blanco los de la dicha nacion Catalana, Aragoneſa, y Valenciana tomarono la inuocacion de dicha S. Maria di Monſerrato*

*D. O. M.*

*Hic iacet Petrus Marcus Martinez ortus Cęſarauguſtæ Regni Aragonum, peccatorum miſerrimus, pluribus acceptis beneficijs ingratorum hominum ingratiſſimus, frequentioribus Chriſtifidelium precibus ſe commendatum cupiens, cuius anima req. in pace. Vix. an. 70. m. 10. d. 11. obijt an. D. 1596. 16. Ianuarij bonis ſuis omnibus piè legatis. Miſſas quindecim quotidie hic celebrari conſtituit per Sacerdotes pauperes, pręcipuè Aragonenſes, non tamen huic Eccleſię deſeruientes, iulio vno in ſingulos pro eleemoſyna erogato.*

## De Monteronis

In Regione S Euſtachij, prope domum familię de Valle. Antiquum à familia Senenſi de Monteronis cum Hoſpitio pro Senenſibus excitatum. Eſt parochiale.

## Monticelli, ſeù Montis Cæli

In Regione Arenulæ: antiquum, & corpore S. Mamiliani inibi exiſteñ celebre; à Paſchali II. conſecratum. Adhuc extat lapis eius conſecrationem die 6. Maij an. 1143. ab Innoc. Papa factam ſic indicans.

*Sanctificans aulam Pater Innocentius iſtam*
*Ne cui ſeruiſſet ſic libera iuſſit vt eſſet:*
*Quod tunc præſentis laudarunt Pontifices tres*
*Conradus, Stephanus, Albricus, cum foret annus*
*Ternus millenus, decieſq; quaterq; decenus*
*Et quartus decimus patris huius Pontificatus*
*Et ſextum ſolem Maius reuocaret in orbem*

Idem, quod dicitur ſupra, *in Dominica*.

Nouæ

In fine cāpi Boarij. In hortis ſunt duorum templorum parietes inuicem ſe reſpicientes, quæ quorumnā olim Deorum fuerint tot ſunt opiniones quot ſcriptores: equidem exiſtimamus fuiſſe Telluris. Muro hortorum adiunctus Veſpaſiani arcus triumphalis de Iudęis. Eſt in Regione montium. Olim S. Mariæ antiquę dicebatur: à Ioanne PP. VII. qui vixit an. Chriſti 705. reſtauratum, & pictura ornatum. vbi Pontificatus ſui tempus expleuit. A Leone III. ciborio argenteo decoratum, cui etiam alia dona idem contulit. A Leone IV. à fundamentis ædificatum, ob idque S. Mariæ Nouæ appellatum, quod à Nicolao I picturis alijsque ornamentis fuit decoratum: Alexander III. illud dedicauit, dotauit, Eccleſiæque SS. Fabiani, & Sebaſtiani Viæ Appiæ vniuit. Eſt perpulchrum; aureo laqueari, & nobili porticu ſpectabile. Sacra & inſigni B. Mariæ Virg. Imagine à B. Luca in Troade Græciæ depicta, quam Angelus de Frangipanibus ſecum Romam detulit in dictum templum, quod tempore Honorij III. totum per incendium conſumptum, diſpoſitioni iſtius imaginis nulla læſio facta fuit, necnon corporibus ſanctorum Nemeſij, Lucillæ, Olympij, Exuperiæ, Theodoli, Semproníj, ditatur. Olim erat ſub cura Canonicorum Auguſtinianorum, nunc eſt Monachorum Oliuetanorum an. 1351. à Clem. VI. traditum. Hìc ſepultus eſt pulcherrimo ſepulcro, & elogio Gregorius Papa XI. Hìc hoſpitium ſuſcepit, ac viſionem relatam, in Bib. Cluniac. lib. 2. cap. 25. habuit S. Petrus venerabilis Abbas Cluniacenſis. Cœtera lege in Hiſtoria Oliuetana Secundi Lancellotti.

No-

Nobilitatur Ara maxima præclariſſimo S. Franciſcæ Romanæ cœmeterio, pretioſis ac verſicoloribus marmoribus extructo; in cuius medio ſtat vrna ſepulcralis ex ære, magnificentiſſimè, auro ſuperinducto, elaborata, in qua legitur hæc religioſiſſimæ heroinæ epigraphe.

✠

S. FRANCISCÆ ROMANÆ
AGATHA PAMPHILIA
INNOCENTII X. P. M.
GERMANA SOROR
SVB IPSIVS SANCTAE INSTITVTO MONIALIS
PII CVLTVS MONVMENTVM DD.
AN. DOM. M.DC. XLVIII.

Vniuerſi operis ichnographiam impreſsit Paulus Aringhus in Romæ Subterr. cap. 3. lib. 4.

In ſolo antiquæ porticus hoc extitiſſe ſepulcrum reliquit ms. Pompeius Vgonius.

*Hic requieſcit D. Sinibaldus Canonicus Eccleſiæ, Camerario Honorij III qui renouauit totum tectum huius Eccleſiæ, & alia bona eidem fecit*
*An. D. Incar.* 1123.

## Orationis, & Mortis

In Regione Arenulæ, in Via Iulia apud Palatium Farneſiorum. Eſt Confraternitatis laicorum anno 1538. excitatæ.

## In Pallara

In Palatino propè Arcum Titi, in Regione montium antiquiſsimum Monachorum monaſterium, &Cano-

nicorum Collegiata, ſed paucos ante annos profano vſui addictum Barberina familia priſtinæ religioni reſtituit, nouo ædificio ornauit, ac dotauit abundè, erecto Bagliuiatu Religionis Militum Hieroſolymitanorum ſub Iurepatronatus ſuæ familiæ Barberinę.

## De Palma

Extra muros in Via Appia, à fidelibus excitatum, eo quod hìc D. N. Ieſus Chriſtus, quando è conſpectu D.Petri illum interrogantis, Domine quo vadis? pronunciata reſponſione, eo Romam iterùm crucifigi, euanuit. Dicebatur etiam, Ad Paſſus, & Planctarum. Olim habebat inſcriptiones antiquas, modo nullas. An. 1610. à Fr. Ignatio Floriano de Caſtro Fidardo Pœnitéte Diſcalceato S. Franciſci reſtitutũ. Verũ paucis abhinc annis ex ſubitis imbribus euerſũ Cardinalis Burgheſius S.Georgij nuncupatus cœpit in meliorem formam reſtituere, à Card. Franciſco Barberino perfectum. Paullò ſuperiùs eundo ad D.Sebaſtiani veneratur locus in ſacello rotundo à Reginaldo Polo Anglo Card. ædificato; vbi Chriſtus S.Petro apparuit, vocatùrque, Domine quo vadis?

## Pacis

In Regione Pontis, poſt templum S.Mariæ de Anima. Olim S.Andreæ Aquarenariorum. A Sixto IV à fundamentis ædificatum, ab Innoc. VIII perfectum, & B.Virg Imagini miraculis illuſtri dicatum. Spectabile ob ſacella, picturis, & ſtatuis ornatiſſima. In dies viſitatur maxima populi frequentia; Et eſt ſub cura Canonicorum regularium Lateranenſium.

## Pietatis in Amphitheatro

In Regione Montium Archiconfraternitatis Confalonis.

Pic-

## Pietatis Dementium

In Regione, & Platea Columnæ à Ferrante Ruis Cantabro excitatum ad alendos pauperes dementes anno 1550.

## Pietatis Communionis generalis

A ſodalitate piorum virorum, induſtria & laboribus Patrum Societatis Ieſu, noua via patefacta, ad animarum Chriſtifidelium ſalutem excitatum, inter S. Ignatij templum, & Sciarræ Columnæ plateam. Eſt etiam S.Franciſco Xauerio dicatum.

## De Planctu

In Regione Arenulæ: in platea Iudæorum apud DD. de Cincijs. olim S.Saluatoris, nouum, pulchrum, & B. Virg. Imagini miraculosè lacrymanti ædificatum à Confraternitate laicorum.

## Populi

Sub colle Hortulorum coniūctum Flaminię Portę vrbis in Regione Campi Martij: Paſchale II. à Populo Romano ædificatum anno 1099. A Sixto IV. à fundamentis renouatum; à Iulio II. ſacellis, alijſque operibus auctum: picturis, & ſtatuis illuſtrium artificum ſpectabile: Imagine B. Virg. Mariæ depicta decoratur, hùc à Gregorio IX. ex Sacroſancto Lateranenſi loco, qui dicitur Sancta Sanctorum translata an. 1227. Illud inhabitant fratres ſancti Auguſtini Congregationis Lombardiæ. Hùc à Baſilica Vaticana tempore peſtis anni 1576. acceſſit Greg. XIII. toto comitante Clero, populòque Romano. Quamplurima extant ibi epitaphia, quorum hæc tamen affero.

*Heu matris crudele nefas, mea pignora, partus*
*Pignora delicijs parta, dolore neco.*

*Iuſta dabam patrui tumulo, lacrumâſque cadentes*
*His lacrymis inhians hoc amor amne perit.*
*Me ſęuam reddit pietas, dum funera ploro,*
*Inſero dum vitę ſtamina necto, ſeco.*
*Prima dies nato non fulſit, & vltima venit*
*Hoc vteri pondus, funeris vrna veho.*
*I puer infelix, Medeæ viſcera quęre,*
*Illa frui ſaltem luce oriente daret.*

*Cherubino de Albertis, Alberti F. ex Burgo S Sepulcri, Pictori cum primis laudato, in operibus præcipuè ad proſpectum, & arte cęlandi.*

*Non te plorabo, coniux mi, ſed genite; Coniux, tu haud omnis mortuus; vix vixit genitus: immo nec genitum, cum patre vt viueret, mortuus.*
*Me ploro miſeram, ipſa dum viuo, mortuam;*
*Orbata ſimul coniuge, &, heu, genito.*
*Eliſabeth Panilongia coniugi, & Carolo filio bimo patrem ſecuto P. C.*

Aliud ex Baptiſta de Brunelleſchis.
*Alphonſus ſitus eſt Carillo hic, nobilis ille*
*Qui genus à patruo duxerat Aegidio.*
*Par fuit inuictis animis, par mente, ſed annos*
*Inuida fata bonis non tribuere pares.*
*Qui legis hęc, vrnam lacrymis conſperge, ſepulta*
*Simplicitas, probitas, gratia, nuda fides.*

## In Porticu

In Regione Ripæ apud Plateam vulgò appellatam, Montanara: olim Saturni, & Opis: tum in Domo ſanctæ Gallæ Patritię excitatum cęleſti imagini B. Mariæ Virg. in paruo ſapphiro effictæ dicatum an. 523. Cuius Imaginis omnimoda cura eſt apud Officiales S Mariæ de Conſolatione, vt in inſcriptione in eius templo locata, tenoris ſequentis.

IN-

# INNOCENTIVS DECIMVS
## PONT. OPT. MAX.

Sacræ celebris Imaginis D. Mariæ in Porticu, ibi in media templi ara exiſtentis, curam, cuſtodiam, omnimodamq; adminiſtrationem, lata ab Iudice ſententia, decreuit 14. Kal. Martias, Pontif. ſui an. IV. adnitente vnà nobiſcum Petro Magdaleno Capite Ferreo collega, pertinere ad Cuſtodes, & Camerarium huius Eccleſiæ.

Cum ritu expreſſo, & nullo pacto ad Congregationem Lucenſem, quæ dicto templo potitur.

Cuius rei memoria ne excideret hoc publico monumento docuere poſteros.

Marius Millinus )
Tiberius Marchio Aſtallus ) Cuſtodes.
Iacobus Bettus )
Valerianus Mandoſius Camerarius.

ANNO SALVTIS M. DC. XLVIII.

Totum eſt eleganti pictura ornatum, habetq; in abſide columnam ex alabaſtro. Templum regitur à Clericis Regularibus Matris Dei, fuitq; illuſtratũ à Ioſepho Matraia peculiari libello edito Romæ anno 1627.

## De Portugallo

In fine Suburæ, è conſpectu Hortorum Card. Pij:circa fuerunt Buſta Gallica.

## De Poſterula

Vide S Mariæ ad Vrſum.

## Ad Præſepe

Vide S.Mariæ Maioris.

## De Publicolis

In Regione S.Angeli coniunctum Palatio Dominorum de S.Cruce,ſub quorum iure eſt.Parochiale.

## Purificationis in Carinis

In Regione Montium, ſupra Carinas; proximum Monaſterio S.Luciæ in Silice. Olim vocabatur S.Maria in Monaſterio: nouum & pulchrum à Mario Ferro Vrſino Romano ædificatum cum Monaſterio Monialium á ſe inſtituto.

*D. O. M.*
*MARIO FERRO VRSINO ROMANO*
*Huius templi cœnobijq; fundatori, qui ſacras hic virgines gratis alendas ex aſſe reliquit hæredes adminiſtratores ex teſtamento ſepulcrum, quod ſibi ſtatuit, poſuerunt. Obijt anno D. 1591. ęt. ſuę 80.*

*D. O. M.*
*IVLIAE CINQVINAE ROMANAE*
*Marij Ferrei Vrſini coniugi,fœminæ pietate ſingulari Adminiſtratores huius Cœnobij monumentum à viro decretum poſuerunt. Obijt anno Domini 1607.*
*AEtatis ſuæ 58*

## Purificationis in Banchi

In Regione Pōtis in loco,qui vulgò appęllatur,Bāchi vbi velut in foro negotia aguntur.Paruū Vltramontanorum,

norum, ſeu Tranſalpinorum Confraternitatis. Vocabatur in Candelora.

## Puritatis

In Burgo miraculoſæ Imagini B. Mariæ Virg. excitatum ſub Clem. VII. Eſt Caudatariorum S. R. E. Cardinalium.

## De Puteo

Extra Portam Angelicam, in Valle, quę dicitur Inferni: Paruum ſic appellatum ab Imagine Virg. Marię è puteo extracta; eſt ſub cura Baſilicæ Vaticanæ.

## A Quercu

Paruum, ſed decenter gubernatur à Societate Laniorum in Regione Arenulæ propè Farneſiorum Palatium.

## Del Riposo

TransTiberim extra portam Vrbis Portuenſem; paruum à Maximo de Maximis Patritio Romano renouatum commoditati incolarum in adiacentibus vineis exiſtentium.

## Rotundæ

Olim Ioui vltori à M. Agrippa ædificatum. omnium tota vrbe, immo orbe pulcherrimum, magnificentiſſimum, & antiquiſſimum. Habet ingentem porticum, valuas æneas, columnas ferè immenſas, quorum capita Syracuſis euecta, fuiſſe à M. Marcello, Siciliæ inſula ſubacta, Romam aduecta ſcripſit Thom. Fazellus lib. 5. Intus marmoreo pauimento, & columnis circa templum, & Altare, ornatiſſimum. Tectum eſt circulare. Teſtudo, per quam ad tectum, quod erat argenteum à Conſtantio Imp. ſublatum tempore Vitaliani Papæ, aſcenditur, eſt plumbeum,

di-

gradus habet 120. & ante quam ad eam peruematur teſtudinem ſunt alij gradus 30. Ad foramen tecti, quod lucem templo præbet, per plumbeos gradus 40. duobus in locis aſcenſus eſt in ipſo tecto, dèque eo tota Roma conſpicitur. Ante templum eſt labrum porphyreticum, macellùmque copioſiſſimum Anno 610. Bonifatius Papa IV. in omnium Sanctorum honorem conſecrauit. Apud hoc Anaſtaſius IV. Papa nouum Palatium ædificauit: Aeneas, ingentèſque trabes habebat, vt vidimus, ab Vrbano VIII. ſublatas, vt inſcriptio indicat in Porticu.

*VRBANVS PAPA VIII. PONT. MAX. Vetuſtas ænei Lacunaris reliquias in Vaticanas columnas & bellica tormenta conflauit, vt decora inutilia, & ipſi propè famæ ignota fierent in Vaticano templo apoſtolici ſepulcri ornamenta, in Hadriana arce inſtrumenta publicæ ſecuritatis An. Dom. 1632. Pontificatus IX.*

Cæterùm quam plurimis ditatur templum ſanctorum corporibus, & reliquijs, & antiquiſſima Imagine B. Mariæ Virg. à S Veronica vnà cum D N. Sudario Romam allata, vt antiqua ibi indicat tabella.

Huiuſmodi Imaginem fuiſſe à Bonifatio IV qui vixit anno 609. collocata in hoc templo, ipſo conſecrationis die indubitatum eſt: nam, præter Crucis vexillum, etiam B Mariæ Virginis Imaginem legimus apud S.Gregorium lib.7.ep.5. eccleſiæ conſecrandæ inferri conſueuiſſe. Adde, quòd Stephani IV. tempore, anno ſcilicet 768. ibìdem ſeruatam fuiſſe huiuſmodi ſacroſanctam Imaginem teſtis eſt Bibliothecarius in eius vita. Quid pluribus moror? Eodem Bonifatio viuente, ante Altare huius Sacratiſſimæ Ima-

Imaginis memorabile miraculum recenſetur in antiquiſſimo ſermone, cuius ipſiſſima verba ex antiquo Codice Vaticano accipe.

## SERMO IN PVRIFICATIONE S. Mariæ Virginis.

TEmporibus Beati Bonifatij Papę, qui, vt in Eccleſiaſticis hiſtorijs legitur, à Phoca Imperatore eximijs obtinuit precibus quatenus templum Romuli, quod ab antiquis Romanorum, gręco vocabulo, Pantheon vocatur, S. Eccleſię, quaſi ad ſupplementum religionis adderet, & in honore Beatæ Marię ſemper Virginis, ac ſimul omnium Sanctorum dedicando conſecraret; facta eſt in vrbe Roma inter iudæos, atque catholicos ſeditio non modica. Impugnabant quippe inimici iudæi, toto veſaniæ impetu, fidem Incarnationis Chriſti, aſſerentes, Mariam Virginem de ſemine Ioſeph, cui deſponſata erat, non de Spiritu Sancto, Chriſtum concepiſſe, & generaſſe; adijcientes iuxta impijſſimam Græcorum hæreſim, omnimodis impoſſibile fore, Virginem contra naturam parere poſſe. Cùmque diutiùs apud vrbem Romam hæc altercatio haberetur etiam Chriſtiani feruentiſſimo catholicæ fidei zelo profanos iudæos, vt reſipiſcerent, & ad baptiſmi gratiam conuolarent, ex vrbe propellere vellent. Erat quidam eiuſdem Romanæ vrbis ciuis cæcus natus, ſed tamen Chriſtianis literis adprimè imbutus; frequētabat enim

non

non ſolùm latinorum, verùm etiam græcorum ſcholas, &,quæcumque ibi intelligere potuit, altè commendauit memoriæ. Is namque quadam die eodem chriſtianitatis feruore ſuccenſus, verbo veritatis conflicturus, aggreſſus eſt iudæos,& tanta illos conſtantia redarguit, vt penè omnes inuenirentur falſi teſtes, & docuit elingues. Ad vltimum verò iudæi, ad probra & conuicia conuerſi ſtomachando valde cœperunt ei improperare dicentes. Tu cum ſis homo peccator, & in peccatis totus natus, quomodo auſus es fidem chriſtianorum abſque literis defendere, & nos ad pugnam laceſſere? Nònne liquidò patet, Chriſtum tuum adeò impotentem exiſtere, vt non poſſit etiam tibi lumina reformare? Ad hæc cæcus,expectate, inquit, triduo, & videbitis in me magnalia Chriſti Dei mei.

Erat autem ante triduum veneranda ſollempnitas Purificationis S. Mariæ, quam Græci Hypapante vocant, quæ fit 4. non. Februarij, & erat neceſſe, vt eadem ſancta feſtiuitas apud præfatam eccleſiam S. Mariæ ab omni Clero romano eodem anno celebrari debuiſſet, quę tamen annis ſingulis apud S. Mariam Maiorem fit. Quo audito iudæi indignè tulerunt, & ſubridentes dixerunt, certè Chriſtus tuus, quem patres noſtri crucifixerunt, non poteſt tibi oculos reddere, quia nec ſemetipſum potuit de periculo liberare. Attamen ſi in præſentia noſtri te illuminabit, pro certo nos omnes credere habebimus in

illum

illum, & tunc liquidò apparebit, quia ipſe ſit verus Filius Dei, & non ſit alius Saluator Mundi. Eo autem pacto confirmare placet hoc, vt ſi quis in Chriſtum non crediderit, omnium rerum ſuarum proſcriptionem patiatur, & iniurijs permaximis, vtpotè maieſtatis reus ab vrbe eijciatur. His dictis iudæi diſceſſerunt, vnuſquiſque in ſua remeans.

Cæcus verò clanculò ſe perduci fecit ad Dominum Apoſtolicum Bonifatium, & indicauit ei pactum, & conditionem iudæorum ſuper fidem chriſtianorum. Quibus auditis Papa plus ſolito lætus efficitur, atque ſub eodem momento omnibus mandauit iudæis, vt ſine dubio præfatæ ſollempnitati generaliter occurrerent. Aduenit autem feſtiuitas illa magna, totus Romanorum Clerus apud præfatam eccleſiam ex more peruigiles celebraturus excubias congregatus, ſimùlque iudęorum cœtus non modicus habebatur immixtus. Ductus eſt ille cæcus in medium plenus fide, & Spiritu ſapientiæ nihil hæſitans de propoſitis.

Cùmque ab omnibus fidelibus ibi nocturni canerentur hymni, & iam octaua lectio penè recitata fuiſſet, cæcus ſe ante Altare Matris Domini perduci rogauit, ibìque baculo ſuſtentatus canere cœpit quoddam reſponſorium, quod ipſemèt ante biduum, quia ipſe muſicę artis gnarus fuit, cõpoſuit, Reſponſorium, Gaude Maria Virgo cunctas hęreſes ſola interemiſti, quæ Archangeli di-

ctis credidiſti, dum Virgo Deum, & hominem genuiſti, & poſt partum Virgo inuiolata permãſiſti. Vers. Gabrielem Archangelum credimus diuinitùs te eſſe affatum, Vterum tuum de Spiritu ſancto credimus impregnatum. Erubeſcat iudæus infelix, qui dicit Chriſtum de Ioſeph ſemine eſſe natum. In quo tam viuaciter Iudæorum errorem confutauit, vt ſub oculis omnium, qui aderant, completo verſu eiuſdem reſponſorij, vera lux, quæ eſt Chriſte, Genitricis ſuæ interuentu, cuius virginitatis integritas eodem cantu idoneè defenſa erat, lumen ei oculorum clariſſimum reddiderit, qui eius mentem primitùs fide catholica illuminauit. Quo viſo cunctis miraculo ab omnibus Chriſtianis illicò Gloria in excelſis cantatur, & exultatio ſpecialis habetur. Iudæi quoque ad quingentos viros ſtatim ad baptiſmi gratiam conuolauerunt, reliqui fuga lapſi in Vrbe Romana viſi non ſunt. Inde placuit Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, vt idem Reſponſorium in eadem feſtiuitatis octaua perpetualiter obtinere debuiſſet, quatenus hoc miraculum memorabile omnium fidelium cordibus omni tempore ad laudẽ Chriſti ſemper feruentius inhærere potuiſſet.

Hactenus Codex Vaticanus. Id ipſum confirmant Michael Buchingerus in Bonif. IV. Thomas Cantipatrus lib. 2 c. 29 mirac. 14 inter miracula & exempla ſui temporis: & ſcriptores rerum Germanicarum in eodem Pontifice, ad laudem huiuſmodi Imaginis à D. Luca depictæ.

Eſt

Eſt ibi erecta Confraternitas S. Ioſeph Terrę Sanctę virtute prędicorum laicorum, & alia Sanctiſſimi Sacramenti, omniùmque Sanctorum. Ibi illuſtrium virorum ſepulcra, quorum aliqua epitaphia ſubnectimus.

D. O. M.

RAPHAELI SANCTIO
VRBINATI
Veterùmque æmulo, cuius ſpirantes
propè imagines ſi contemplere,
Naturæ atque Artis fœdus facilè inſpexeris. Iulij II. & Leonis X. Pontt.
Maxx. picturæ, & architecturæ
operibus gloriam auxit.
Vixit annnos XXXVII. integer integros
quo die natus eſt, eo eſſe deſijt.
VIII. Idus Aprilis M.D.XX.

Ille hic eſt RAPHAEL timuit quo
ſoſpite vinci
Rerũ magna parens,& moriente mori.

THADÆO ZVCCARO
In Oppido D. Angeli ad ripas Metauri nato
Pictori eximio, vt patria, moribus, pictura Raphaeli Vrbinati ſimillimo, & vt ille
natali die, & poſt annum ſeptimum & trigeſimum vita functo Federicus fratri ſuauiſſimo mœrens P. An. Sal. M.D.LXVI.

*Magna quod in magna timuit Raphaele, peræque*
*Thadeo in magno pertimuit genitrix.*

D. O. M.

*Flaminio Vaccę ſculptori Romano, qui in operibus quæ fecit, nunquam ſibi ſatisfecit.*

D. O. M.

*Perino Bonacurſio Vagæ Florentino, qui ingenio, & arte clariſſimo, egregios permultos pictores plaſtas ferè omnes ſuperauit Catharina Penna coniugi, Lauinia Bonacurſia patri, Ioſephus Cincius Belga ſocero cariſſimo, & opt. poſſ Vixit an. 47. m. 3 die 21. Obijt 13. Kal. Nouembris anno Chriſti* M.D.XL VII.

*Certantem cum te ſecum natura videret,*
*Irata in tenebras miſit, & ad tumulum*
*At tumulus ſi te tegit & Perine tenebræ,*
*Et tenebræ & tumulus non tua facta tegunt*

D. O. M.

*BARTHOLOMAEO BARONIO Caſalen. Montis ferrati Architecto celeberrimo impia morte preuento anno ætatis ſuæ 43. die 7. Septembris, 553. Bartholomæus, & Ioannes Franciſcus fratres poſſ.*

Aliud ex Io: Franciſco Scardoua, quod extitiſſe ſcribit propè Raphaelem Vrbinatem.

*BALTHASSARI PERVTIO SENENSI Viro & pictura, & architectura, alijſque ingeniorum artibus adeò excellenti, vt, ſi priſcorum occubuiſſet temporibus, noſtra illum felicius legerent. Vix. ann. 55. mens. 11. die 20. Lucretia, & Ioannes Salluſtius optimo coniugi, & parenti non ſine lacrymis Simionis, Honoris, Claudij, Aemiliæ, ac Sulpitiæ minorum filiorum dolentes poſuerunt die 4. Ianuarij M. D. XXXVI.*

## Sancti Ioannis

Vulgariter Madonna di S. Giouannino; paruum & Imagine B. Mariæ Virg. illuſtre. Eſt ſub cura Fratrum Excalceatorum B. Mariæ de Mercede redemptionis Captiuorum Prouinciarum Hiſpaniæ.

## Sanitatis

In Regione montium, in ea Viminalis collis parte, quæ reſpicit Hortos Perettos; paruum à Religione Beati Ioannis Dei excitatum an. 1584.

## De Scala

Tranſtiberim ſub Ianiculo; anno 1592. excitatum à fratribus Diſcalceatis B. Mariæ de Monte Carmelo, & in honorem Imaginis D. Mariæ, ſub proximæ domus ſcala exiſtentis, miraculiſq; illuſtris dicatum. Plura in eo nitent illuſtria Sacella, inter quæ vnum familiæ Cherubinæ D. Virgini morienti Caroli Veneti penicillo expreſſe erectum à Laertio Cherubino Nurſino, Ciueq; Romano in Vrbe celeberrimo Aduocato; ac reorum integerrimo, acerrimoq; defenſori, qui anno 1626. menſis Maij die 23. octuagenarius obijt, edita prima ſub Siſto V. & ſecunda ſub Paulo V. Bullarij Romani compilatione.

## Scalæ Cœli

In Regione Ripæ extra Vrbem, eiuſq, portam Oſtienſem, & Trigeminam, quæ nunc S. Pauli dicitur; Rotundum, & antiquiſſimum; eius enim mentio habetur in vita S. Anaſtaſij in Cod. ms. Vat. ibique vocatur Manſio S. Dei Genitricis Mariæ; apud quam erat Baſilica B. Ioannis Baptiſtæ. olim fuit hic Villa Saluia, vbi S. Marina, Gordiani pariter Sancti vxor, relegata, uit in ſeruitio ruſticorum. Aedificium antiquum cum

cecidit. an. 1582. nouum excitauit Alexander Farneſius & perfecit Petrus Aldobrandinus S.R.E. Cardinales. Eſt veneratione maxima dignum, tùm quia eſt locus, vbi S. Bernardo miſſam celebranti pro anima defuncti, eadem apparuit per ſcalam in cælos aſcendens; tùm quia hic aſſeruantur S. Zenonis, & aliorum 10303 martyrum corpora.

## Suffragij

In Regione Pontis in Via Iulia apud S. Blaſium de Pagnotta fundatum à Societate laicorum orantium pro Purgatorij animabus.

## Tranſpontinæ

In Ciuitate Leonina in Vico dicto, Borgo nouo, & veriùs, Via Alexandrina ab Alexandro VI. eam dirigente Amplum, & pulchrum an. 1566. fabbricari cœptum. Ditatur inſigni B. M. Virg. Imagine, & capite S. Baſilij, ac corporibus SS Baſilidis, Magdali, & Tripodis. Eſt Clauſtrum fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo.

## Transtiberim

Sic appellatur à Regione, in qua ſitum eſt. Olim dicebatur; Taberna meritoria, item, Templum Rauennatum ab eorum Vrbe, ſeu Regione; verum Hier. Rubeus credit, diuerſam eſſe Regionem Transtiberînam ab Vrbe Rauennatum, in ſuæ hiſtoriæ iudice V. Transtiberim. In eo columnæ ex vtraque parte duodecim. & pauimentum teſſellatum: ante templum Porticus columnis ſuffulta, ſupra quam Virgines prudentes, & fatuæ ex muſiuo. Hic in Natiuitate Domini

mini noſtri Ieſu Chriſti fons olei per totam diem, vt perhibetur, fluxit in loco, cuius veſtigia cernuntur. Quòd fuerit à Calliſto I. ædificatum non admittimus. Ab Hadriano I. in integrũ reſtauratum, à Gregorio IV. Monaſterio, & monachis Canonicis additis inſtauratum: ab Innocentio II. nouiter ædificatum, cuius apſis ex muſiuo adhuc ſupereſt, & ab Innoc. III. conſecratum. Habet Altare maius cum ciborio quattuor porphyreticis columnis ſuffulto; ſub eo ſunt corpora SS. Pontificum Calliſti, Cornelij, & Iulij, & S. Calepodij presbyteri.

Apud hoc templum habitans Vrbanus VI. ordinationem habuit viginti nouem Cardinalium. Eſt ibi Sacellum nobiliſſimum familiæ Altaempſianæ à Card. M. Sitico ab Altaemps fundatum, & ditiſſimè dotatum: qui templum quoquè munificè ornauit: Petrus Card. Aldobrandinus idem perpoliuit, auxitq; ſplendidiſſimo, ac nobilliſmo lacunari. Habet Cardinalem Titularem, Canonicos, & Beneficiatos; eſtq; parochiale. Cæterum templum vocatum fuit S. Maria Calliſti, Iulij, Cornelij, & ad Præſepe. Illuſtrem poſſidet miraculis B. M. Virg. imaginem, pluréſque ſanctorum reliquias, quæ populi magno concurſu oſtendi ſolent in Dominica in Albis. In antiquis codicibus mss. vocatur, Monaſterium S. Mariæ, cuius fuit Abbas ſub Nicolao Papa Anaſtaſius quidam Bibliothecarius.

*D. O. M.*

*ROBERTO EX VETVSTA FAMILIA COMITVM AB ALTAEMS GALLESII DVCI I.*

*A Sixto V. Pont. Max. prætorianis, & Vrbi Leoninæ, & Piæ, inde apud Auenionem, & Comitatum Venaiſinum militaribus copijs Præpoſito, in ipſo vitu-*

*tutis conatu, & honorum curſu immaturè extincto Cornelia Vrſina, Virgilij filia coniugi cariſſimo, mœſtiſſimè poſ. Vix. an. 20. mens. 6. d. 14.*

*Obijt 3. non. Nouembris 1586.*

*A. D. G.*

*L E C T O R S I S T E*

*Nec viuus nec mortuus, hic hareo, hic mereo.*
*Filio eram deſtitutus, coniugem amiſeram,*
*Hic*
*Filio reddor, & à coniuge non ſeiungor.*
*Et dum mortuos ſpectans mortem expecto,*
*Præ timore lapis hunc lapidem erigo;*
*Nec ſenſu careo, nam & ipſi lapides ſuas lacrymas habent.*

*GABRIEL PRATVS ASTENSIS SECVLO XVI. POST MORTEM REGIS VITAE.*

Aliud è conſpectu.

*D. S.*

*ANNAE MARIAE DE FERRIS GENVEN. Fœminę cum priſcis comparandæ, ſed tantum ſe ipſa dignæ, quæ dum morum probitate omnes in admirationem ducit; mortem in inuidiam trahit. Gabriel Pratus Aſtenſis gratiſſ. optimè vxori, cuius ardorem animo ſentit: cineres monumento collegit, hæc moriens 33. vitæ annum ſecum duxit, vltimum fletus diem marito reliquit 1631.*

## In Triuio

In Regione Columnæ, ſic dictum à proximo Triuij fonte, à Beliſario Imp. Iuſtiniani exercitus Duce, excitatum mille ferè abhinc annis: Olim Eccleſiæ Sancti Marcelli vnitum, à Gregorio XIII. fratribus Cruci-

feris

ſeris conceſſum, qui illud præſenti ædificio à fundamentis renouarunt. Dicebatur etiam S. Mariæ in Cannella.

## In Turri

Antiquum trans Tiberim ad Tiberis ripam.

## In Vallicella

In Regione Parionis. Dicitur in Vallicella, quia in locis planis ſitũ: vocatur, etiã ad Puteum album à magno puteo illic proximo, &, Eccleſia Noua, à noua fabrica Presbyterorum Congregationis Oratorij. Eius abſidem Petrus Donatus Cæſius fundauit; frontem ex tiburtino marmore Angelus Petri Donati frater; reliquum piorum largitiones Gregorio XIII. & Sancto Philippo Nerio fabricam moliente. Amplum & ſpectabile; Imagine B. Mariæ Virginis miraculis illuſtri, tum corporibus S. Papiæ & S. Mauri, ac S. Philippi Nerij inſignitum, & Sacellis quamplurimis eleganti pictura illuſtribus nobilitatum. Eſt ibi erecta presbyterorum ſecularium Congregatio à Sancto Philippo Nerio, ex cuius inſtituto omnes confeſſionibus audiendis, Sacramentis adminiſtrandis, ſacriſque lectionibus in dies magno labore, ſummaq; pietate incumbunt: ex eiſdem duo nobilitate, religione, prudentiaq; inſignes, Iulianus nempè Iuſtinianus Præpoſituram gerens plateam præ templi foribus dilatauit, viamq; ibi nobiliſſimam aperuit; Alter Præpoſitus Angelus Salutius Venerabile Sancti Philippi Sacellum ex veteri loco, in alium nobiliorem transtulit, auro, picturis, marmoribus illuſtratum, & hac inſcriptione.

# SACELLVM

In quo S. Philippus Nerius poſtremis ſuæ vitæ annis quotidie ſacrum facere & diù ſolus cum Deo agere conſueuit, vt omnium pietati eſſet expoſitum, in ampliorem hunc locum integris parietibus translatum eſt.

Magnificum Sacrarium perfecit, magna ſancti Philippi ſtatua & ornatiſſimo Sacello nobilitatū à Petro Boncompagno; Oratorium magno ædificio pènè perfecit, moriensq; magnam ad conſtruendam domum pecuniæ vim piiſſimè legauit. Quam domum egregia admirandaque Equitis Franciſci Borromini architectura Virgilius Spada rerum mirabilium ſpeculator & Bernardini S. R. E. Card. frater, in Præpoſitura Saluti; ſucceſſor ferè terminauit.

Plura habet epitaphia, ex quibus hæc lubet edere.

In lapide ſepulcri Cantorum Capellæ Papalis.

CANTORES PONTIFICII
Ne quos viuos concors melodia iunxit
mortuos corporis diſcors reſolutio
diſſolueret
Hic vna condi voluere.
ANNO M. DC. XL.

# D. O. M.

HIERONYMO CARD. PAMPHILIO
ROMANO
A GREGORIO XIII. INTER AVDITORES
ROMANAE ROTAE ADLECTO
Et ex eiuſdem Tribunalis Decano
ac Pœnitentiariæ Regente
A CLEMENTE VIII.
Olim Rotæ Collega
IN PVRPVRATORVM COLLEGIVM ADSCRIPTO
Et à Paulo V. ad Vicarij munus, quod ipſe proximè geſſerat, aſſumpto, gratulante ſibi virtute, cui dabatur quicquid conferebatur in virum, qui incorrupta integritate, intimaque legum ſcientia honores & meritus præuenerat, & par adminiſtrabat.
OBIIT AN. DOM. M. DC X. AET. SVAE LXVI.
IN SACELLO S. PHILIPPI
QVEM VIVVM COLVERAT TVMVLATVS
IO. BAPTISTA PAMPHILIVS
AB VRBANO VIII.
CARDINALIS CREATVS
ET PAMPHILIVS FRATRIS FILII
MONVMENTVM PP.

In

## In Via

In Regione Columnæ an. 1283. à Petro Card, Capoccio excitatum D. Mariæ Virg. ,cuius imago miraculis illuſtris, maxima populi deuotione, veneratur; ibiq; eſt puteus, in quo imago reperta fuit, & eius aquam febri, alijſq; infirmitatibus detenti bibunt ſpe liberationis, vt diximus ſupra in cap. De Aquis religioſis in Vrbe. Card Bellarminus Titularis hanc Eccleſiam an. 1604. reſtaurauit, eſtque parochialis ſub cura fratrum Seruorum B. Mariæ Virginis.

## In Via Lata

In Regione Triuij propè Aldobrandinorum Palatium in Via curſus: locus religione celeberrimus. Hic eſt Imago B. Mariæ Virg. à D. Luca, vt creditur, depicta. Eſt Diaconia S.R E. Cardinalis, habètque Canonicos & curam animarum. De quibus plura dicemus in hiſtoria mox edenda.

## De Victoria

In monte Quirinali in Regione Triuij apud Sanctam Suſannam, & Fontem Sixti V. anno 1606 excitatum & Sancto Paulo dicatum à fratribus diſcalceatis Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo. Tum anno 1621. ab Imagine Beatæ Marie Virginis, quam ex Pragenſi victoria ſub Ferdinando Imperatore Romam detulit Pater Dominicus à Ieſu Maria, nuncupatum Beatæ Mariæ de Victoria. Habet ſupellectilem ſacram à pluribus Germaniæ, & Italiæ Principibus donatam, ditiſſimam. Elegantiſſimis Sacellis ornatur, eſtq; ſub cura dictorum fratrum.

D. O. M.

SILVANO IVSTINIANO
NICOLAI FILIO
ET LEONARDI IVSTINIANI
COGNOMENTO GRECHETTI STRENVI DVCIS
ATQ AD RVPELLAM EXTINCTI
CAROLO NONO FRANCORVM REGE
EAM OPPVGNANTE NEPOTI.

Qui inter honorarios aſſeclas Annæ Ducis de Metmoranſi magni Franciæ Comeſtabilis educatus, legationibùſque eius ad Six. V. & Clem. VIII. Summos Pontt. pro arduis Henrici IV. Regis negotijs ſummo Regni, & communi Religionis bono perfunctus, Aram hanc, onere hæredibus impoſito Cenſus perpetui, triumq; Miſſarum in die per Fratres huius cœnobij celebrandarum fundauit.

VIX. AN. LXXX. M. III. D. XV.
OBIIT DIE VII. SEPT. M.DC.XXXVIII.

## Virginum

Olim S. Mariæ Refugij Pompeio Paterio Sacerdote Congregationis Oratorij ſupra Thermarum Conſtantini ruinas, primò ædificatum pro honeſtis puellis educandis anno 1596. hùc in Regione Triuij translatis an. 1613.

## Vrsi

Olim in Poſterula, ad Ripam Tiberis in regione Pontis, proximum hoſpitio ad ſignum Vrſi, qui huic vico dat-

dat nomē. Eſt parochiale & paucis abhinc ann. traditum curæ monachorum Cœleſtinorum; eſtque ibi ImagoB.V.Mariæ,quæ an.1573. cę cum illuminauit.

## S. MARIAE MAGDALENAE

### Miniſtrantium infirmis

In Regione Columnæ proximum plateæ Rotundæ ſub cura religionis Patrum miniſtrantium infirmis.

### Pœnitentium mulierum

In Regione Columnæ in Via Curſus: olim S. Luciæ dicatum, & ædificatum ab Honorio I. Archiconfraternitati Charitatis dono datum à Leone X ad Monaſterium mulierum pœnitentium inſtituendum an. 1520 Idem an. 1616. incendio penè conſumptum Paulus V reſtituit, vt vidimus, & hæc indicat inſcriptio ſupra Monaſterij portam.

PAVLVS V. PONT. MAX.
Monaſterium pœnitentium mulierum incendio penè conſumptum reſtituit, auxit, inſtruxit, & à vicinis ædificijs ſeiunxit
An. 1616. Pontificatus ſui 13.

### In Quirinali

A Magdalena Vrſina ædificatum. Habet annexum monaſterium monialium Ordinis S. Dominici anno 1581. ab eadem fundatum.

## S. MARTHAE

### Monialium

In Regione S.Euſtachij è conſpectu Collegij Romani Dicebatur, *ad Arcum Camillianum*, quia hærebat

arcui

arcui triumphali Camilli, à S. Ignatio ex piorum eleemoſinis confraternitatem conſtituentium, erectum cum monaſterio monialium ſub regula S. Auguſtini an. 1546.

## In Vaticano

Apud S Petrum an. 1537. excitatum vna cum Hoſpitale pro familiaribus Papæ, qui hoc templum viſitando conſequuntur Indulgentias Sancti Ioannis Lateranenſis, S. Saluatoris ad Sancta Sanctorum & S. Iacobi in Compoſtella.

## S. MARTINAE

In Foro Boario ad Arcum Septimij in Regione Campitelli. In ruinis templi Martis, ex communi antiquariorum conſenſu excitatum ſub Siluestri Primi temporibus A Leone III. reſtauratum. Ab Alexandro IV. conſecratum. SS. Martinæ, Epiphanij, & Concordij Martyrum corporibus ditatum. Eſt ſub cura Confraternitatis Pictorum, qui illud à fundamentis reædificant ſub inuocatione etiam S. Lucæ pictorum patroni, Vrbani VIII. eleemoſynis.

## S. MARTINI

## Heluetiorum

Paruum anno 1568. intra ſepta Heluetirarum excubiarum Pontificis excitatum SS. Martino, & Sebaſtiano.

## In Montibus

In Regione Montium in loco antiquitus dicto Carinæ, & iuxta Orphea, à S. Siluestro I. ædificatum in prædio cuiuſdam presbyteri Equitij, prope Thermas Titianas, ſeu Domitianas, vel Traianas, propter

quod

quod Equitij titulus appellatur, ac B. Virg. dicatum; Propè quod aliud à fundamentis Symmachus Papa excitauit Sanctis Silueſtro, & Martino, cuius pars inferior adhuc supereſt. Ab Hadriano I. reſtauratum; à Sergio II. in meliorem, pulchrioremq; ſtatum à fundamentis renouatum, & perfectum, quod à pluribus inſtauratum in præſenti veneramur; pluribuſq; Sanctorum corporibus ſub Arca maxima locatis Sergius ditauit, quos recenſet Anaſtaſius bibliothecarius. A Leone IV. pictura decoratum; tùm ab Oliuerio, & Diomede Cardd. Carafis, & à S. Carolo Borromæo reſtauratum, & ornatum. Poſtremo à P. Io. Antonio Philippino, qui anno 1639. Compendium antiquarum, & venerabilium rerum huius Baſilicæ italicè ediderat, nobiliter marmore, pictura, auroq; ornatum. Cæterum eſt amplum ædificium 24 columnis albi marmoris ſuffultum. Eſt titulus Card cum parochia ſub cura fratrum B. Mariæ de monte Carmelo, ibiq; eſt erecta laicalis Confraternitas eiuſdem inſtituti. In medio templo.

Conſulatu M. F. Stilichonis ſecundo CC
depoſitus puer Helias Argentarius ſeptimu
Kal. Nouembres die Beneris, ora quarta
qui bixit ann. triginta, & quinque, & dies
viginti, & tres benemerenti in pace.

Hic requieſcit Gentilis Canonicus iſtius Ecclesiæ, cuius anima requieſcat in pace: Amẽ.

*I. C. R.*

*Olympiæ Ceulę, cui mors cum flore venuſtatis, ætatis, ætatique artem canendi ſupra ætatem ſuſtulit, mæſtiſſima mater, & fratres poſuerunt. Vix. an. 72. m. 9. d. 14*
*Obijt 14. Iulij 1622.*

*mæ-*

## Montis Pietatis

In eius, videlicet, Platea, antiquum & paruum in Regione Arenulæ. Authores antiquitatum romanarum, à centum ferè annis impreſſarum, aiunt, Gualterum monachum S. Saluatoris Reatin. tempore Honorij Papæ III. à fundamentis reædificaſſe templum iſtud, in quo hæc præ cæteris ſunt epitaphia.

*Hic requieſcit corpus nobilis Dominæ Paulinæ Ciuis Romanæ vxoris q. Colæ Sancti, & fil. q. Butij de Stincis, quæ obijt anno Domini 1429. die 12. Maij.*

*Hic iacet D. Iulianus de Corteſijs, qui obijt ſub anno D. 1456. die 5. menſ. Maij, cuius anima requieſcat in pace Amen.*

## In Vaticano

Olim in Porticu, ſeu in Cortina S. Petri; nunc eſt in Palatio Prioratus Romani Militum Hieroſolymitanorum in Platea Vaticana abſq; vllo cultu, & ſemper clauſum.

## S. MATTHAEI

In Merulana, aliàs Mariana, in Regione Montium, eundo à Baſilica S. Marię Maioris ad Lateranum. Prope fuerunt thermæ Philippi: inter Cardinalitios Titulos à Cleto Papa recenſitum, apud quod erat eius domus paterna. Sub Innoc. III. quidam Andreas & Andreotus viri diuites eccleſiam & Hoſpitale pauperũ. Subſidio conſtruxere. Ciac. pag. 638. B. in ſecunda editione. Olim era fratrum, qui appellantur Cruciferi; nunc eſt ſub cura fratrum S. Auguſtini.

Eſt venerandum ob Imaginem ex Oriente aduectā B.M.Virg. miraculis illuſtrem. Eius conſecratio recenſetur ibi in hac inſcriptione.

*IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. AMEN.*

*ANNO INCARNAT. DOMINICAE M.C.X. INDICTIONE III. FER VI. QVARTAE DOMINICAE IN QVADRAGESIMA DIE INCARNATIONIS EIVSDEM D.N. IESV CHRISTI PONTIFICATVS D. PASCHALIS PAPAE II. AN. XI.*

*Dedicata eſt venerabilis hęc eccleſia in honorem Dei B. Mariæ ſemper Virg. & B. Apoſtoli, & Euangeliſtæ Matthæi cum quattuor Altaribus, quæ ſunt in ea. Quæ conſecratio facta eſt à pręfato Domino, & venerabiliſſimo Pontifice Paſchali Secundo Papa. In maiori ſiquidem Altari celebrauit idem* D. *Papa Miſſam in honorem B. Matthæi. Coadiutores verò eius fuerunt ſeptem; videlicet Raynerius de Oſtia, Riccardus de Portu, Petrus de Tibure, Iulianus de Ferentino, Anaſtaſius de Alba, Petrus de Tuſculano, Antonius de Amelia, præſentibus omnibus S.R.E.* Cardd. *Presbb. & Diaconibus; nec non innumera Cleri, & Populi Romani multitudine. In maiori autem Altari conſecrato à præfato* D. *Papa, cui etiam præfati Epiſcopi aſtiterunt, fuerunt hæ reliquię conlocatę. Et primò de ligno ſanctæ Crucis, Brachium ſancti Matthæi, de lapide Sepulcri Chriſti, de Pane hordaceo de Reliquijs veſtimentorum Petri, & Pauli. Item de Reliquijs ſancti Andreę, ſanctorum Dionis, Coſmæ & Damiani, Marcelli Papę, Iuliani, Florentij, Caliſti Papæ, Alexandri Papæ de Crate sancti Laurentij nec non de reliquijs multorum ſanctorum martyrum*

*quo-*

*quorum nomina licèt à nobis ignorentur ſcripta; tamen ſunt in libro vitę, & ego Paſchalis Papa vniuerſalis Eccleſię cum præfatis Epiſcopis has Sanctorum reliquias oculis proprÿs vidi, manibuſque meis, attrectaui, & recondidi cum antiquo titulo in arca marmorea ſub Altari maiore, ad cuius conſecrationis anniuerſarium decreuimus, ſtatuimus, & ordinauimus, vt omnes Chriſti fideles, qui ab ipſo dedicationis die, ſcilicet, 8. Cal. Aprilis vſque ad octauam Pentecoſtes; itèmque die ſancti Matthæi ipſam eccleſiam deuotè viſitauerint ſuorum peccatorum remiſſionem obtineant. Hæc autem conſecratio facta eſt induſtria ac ſtudio Anaſtaſÿ ſerui Dei eiuſdem Eccleſię presbyteri.*

*D. O. M.*

*F. CHRISTOFORO DE BARROS LVSITANO Ord. S. Auguſtini Theologo magiſtro, qui Prædicatoris, aliſque Ordinis officÿs ſtrenuè functus Romam pro graui remiſſus Pÿ Papę IV. iuſſu Tridentino Concilio interfuit; huic Domo poſtea præfectus illam illuſtrauit, omnibus officioſiſſimus. Obÿt 17. menſ. Iulÿ an. 1590. ætatis vltra 70. Albertus Martinez de Mata amico optimo poſ.*

## S. MICHAELIS

In Saxia, in Burgo, à Saxonum vico ſic dictum: neſcimus an gradus ſcalæ, quos plebs flexis genibus illam aſcendens veneratur, ſint ij, quos fecit Symmachus Papa in Baſilicæ ampliatione, de quibus Anaſtaſius Bibliothecarius. Eſt Baſilicæ Principis Apoſtolorum. Fuit olim nationis Friſonum, vt teſtatur lapis antiquus.

S. MICHAELIS, ET FRANCISCI.

Conterminum noſtræ Villæ, non longè à celebri Cœmeterio Sanctorum Proceſſi, & Martiniani (quod ab vrbano templo, S. Agathæ quoque nuncupabatur) anno 1648. fundatum proprijs vicinarum Villarum, & vinearum dominorum ſumptibus, incolarum commoditati, qui decenti ſplendore, debitiſq; obſequijs illud colunt.

SS. NEREI, ET ACHILLEI

In Regione Ripæ ad orientem, ſub Antonini thermis; antiquiſſimus titulus Presb. Cardinalis, Faſciolæ dictus. A Leone III. nouiter ædificatum. Ab Alexandro IV. Archiepiſcopo Neapolitano de communi fratrum conſilio conceſſum, poſtremò à Card. Baronio circumquaque picturis ornatum, ac Sanctorum Nerei, Achillei, Plautillæ, & aliorum corporibus ditatum. Eſt ſub cura Presbyterorum Congregationis Oratorij S. Philippi Nerij. Miramur, Nicolaũ Alemannum de Pariet. Later. cap. 3. negaſſe contra Card. Baronium, hìc S. Gregorium habuiſſe Homiliam 28. eo, quod Eccleſia, dicto Pontifice, exiſtentem Leo III. deſtruxerit; Nam eandem dictus Leo ædificauit ibìdem iuxta antiquam in eminentiori loco, ne aquarum inundantia repleretur, translatis in eam Sanctorum corporibus, ad quorum tumbam habuit S. Gregorius d. Homiliam.

S. NICOLAI EPISCOPI

In Agone

Olim parochiale; nunc eſt nationis Lotharingorum: paruum, ſed pulchrum ab eadem natione reſtitutum marmoreòque proſpectu nobilitatum.

## Ad Cæſarinos

Iuxta Palatium familiæ de Cæſarinis, in Regione Pineæ aliàs dicitur in Calcaria: in præſentē formā ab eius rectore Magno Perneo Anagnino redactum. Ibi.

*Hic requieſcit D. Iacobus Iudæus fil. D. Petri Iacobi Iudęi de Iudæis Clericus S. Nicolai de Calcarijs, qui obijt anno Dom. 1316. menſ Martij die 31. cuius anima requieſcat in pace. Amen.*

## Ad capita Domorum

In Regione Triuij; olim in Archemonijs, tùm vulgariùs de Arcionibus ab huius cognominis familia. De hoc templo Fulu. lib. 3. c. de Foro Suario & Archemonio, Marlian. lib. 4, cap. 25. Nouiter ædificatum à Fr. Laurentio Romano Rectore Ordinis Seruorum B.M.Virg. parochianorum eleemoſynis. Ibi.

*Cinthia di Oliuaria d'età d'anni otto, meſi ſette, e giorni quindeci, eſſendo di bellezza, virtù, e coſtumi talmente dotata, che ſoprauanzauano l'età ſua, fù rapita, quaſi per inuidia, dalla morte il dì 7. di Decembre dell'anno 1585. Onde Cinthia Albertonia nobile romana innaghita delle ſue qualità gli ha fatta queſta memoria. Queſto luogo fù ſolo per la preſente conceſſo.*

## In Carcere

In Regione Ripæ, olim Carcer plebis; hìc templum Pietatis, apud Marcelli Theatrum. Eſt collegiata cum cura animarum, & S.R.E. Card. Diaconia, à Petro Card. Aldobrandino reſtituta.

# De Funarijs

In Radice Capitolini ; antiquum cum parochia ; in Vico Turris Speculorum , eius conſecrationis memoria adhuc perſeuerat in antiquo marmore huius tenoris .

*IN NOMINE DOMINI*

*Anno Dominicæ Incarnationis 1180. anno 22. Pont. D. Alex III. Papæ Indictione XIII. Pa. Dei gratia Hortenſis Epiſcopus conſecrauit Altare S. Nicolai de Funar. in feſto ipſius. De reliquijs B. Andreæ Apoſtoli. S Nicolai Conf. Sebaſtiani, Hermetis, Gregor. PP. Siluestri, Calliſti PP. Antonini mart. Marij, Marthæ, & Beatorum Innocentum, Margaritę Vir. De Capite S. Theodori, Greg. Papæ, atq; Siluestri, Calliſti Papæ, & Antonini mart. Marij, Marthæ, & Beatorum Innocentum, Margaritæ Virg. De Sanguine SS. Tiburtij, Valeriani, & Cæciliæ, De ligno vero Sanctiſſimæ Crucis D. N. Ieſu Christi. Item conſtituit vt quicunque annuatim in hac feſtiuitate ad hanc Eccleſiam de uotè venerit, de peccatis, vnde pœnitentiam habet, indulgentiam vnius anni, & 40. dierum accipiat. Item firmauit ex parte Dei omnipotentis & B. Mariæ Virg. & omnium Sanctorum cum conſenſu Ioannis Archipresbyteri S. Marci & presb. Martini, eiuſdem Eccleſiæ & totius populi ſub pœna excommunic. vt ſi quis Clericus, vel Laicus præſumeret vendere aut pignorare bona illius Eccleſiæ Calicem, Planetam, Crucem, libros, Domos, maledictus ſit in perpetuum, & habeat partem cum homicida Herode, & Iuda traditore in ignem ęternum. Fiat.*

## Incoronatorum

In Reg. Arenulæ à familia de Incoronatis excitatum. Parochiale in loco, vulgò dicto, *Piazza padella*.

De

De Perfectis, ſeù Præfectis.

In Regione Campi Martij. Parochiale ſub cura fratrum S. Dominici.

S. NICOLAI DE TOLENTINO

In Regione Triuij ad Capita domorum à fratribus Diſcalceatis Ordinis Sancti Auguſtini excitatum.

S. ONVPHRII

A Ioanne Dominico Card. de Cupis extructũ in Regione tranſtiberina, in illa Ianiculi parte, quæ vulgò dicebatur, Monte Ventoſo; quæq; eſt ſupra Viam nuncupatam, Longara. Paruum quidem ſed elegans, & picturis ornatum. Eſt Titulus Presb. Card. ſub cura fratrum S. Hieronymi. Pulchra habet ſacella, inter quæ vnum cum hac inſcriptione.

SANCTISSIMI
SACELLVM HOC ROSARII
Iisdem, quibus apud S. Mariam
ſupra Mineruam Gratijs atque Indulgentijs
MAPHAEO BARBERINO CARD. FAVTORE
ditatur Anno 1620.

D. O. M.
BALTHASSARIS ANSIDEI
PERVSINI
BIBLIOTHECAE VATICANAE CVSTODIS
OSSA HIC REQVIESCVNT.
Vixit Annos 58. Menſes 2. Dies 11.
Obijt Non. Decembris A. Sal. 1614.

In ingreſſu eccleſiæ à ſiniſtris.

TORQVATI TASSI POETÆ

HEV QVANTVM IN HOC VNO NOMINE CELEBRITATIS, AC LAVDVM

OSSA

Huc tranſtulit, hìc condidit

BONIFATIVS CARD. BEVILAQVA

Ne qui volitat viuus per ora virum, eius reliqua parum ſplendido loco colerentur, quærerentur.

Admonuit virtutis amor, admonuit aduerſus patriæ alumnum, aduerſus parentum amicum pietas.

VIX. ANN. LI. NAT. MAGNO FLORENTISS SEC. BONO. AN. M.D XLIV.

*FRANCISCI DE BVGLIONIBVS*

*Nil vixiſſe iuuat quemque poſt fata, ſed illud*
*Eſt ſtabile, & gratum eſt. viuere cum ſuperis*
*Franciſco de Buglionibus Florentino Leoni X. P.M. familiari domeſtico, ſtatuario inſigni, delitijs, gratia, vrbaniſque ſalibus, ac muſica ornatiſſimo. Sanus ædis B. Cæciliæ Prepoſitus benemer. poſ. Vix. ann. 58. menſ. 4. d. 1. 5. Id. Iunij 1520. è vita migrauit.*

LA-

D. O. M.

LACTANTIO FVSCO I.V.D.

*Archipreſbytero M. Flor Ari minenenſi Canonico hebraicis, græcis, latiniſq; literis erudito, pietate, probitate, comitate, omni denique virtute clariſſimo, ætatis flore morte ſubrepto. Placidus Fuſcus orbatus tanta ſpe fratri cariſſimo B. L. P.*

*Natus eſt poſthumus 3. non. Septembris ann. 1512. Obijt 5. jd. Iunij an. 1559. Vix ann. 47. menſ. 10 die 22*

*Hic vicit ſortem, potuit non vincere mortem,*
*Dum ſortem vincit, mortuus occubuit.*

*P. F.*

*Mariæ Baenæ Corduben. Virgini Sexagenariæ Relig. D. Dominici ei dicatæ optimis artibus, ſanctiſque moribus inſtitutę. Hæc ſpe futuri Iubilei 4. non Aug. 1500. Romam veniens in D. Mariæ Maioris æde dum eius Aſſumptio celebraretur, thalamum Imaginis Saluatoris ſubintrans, confertiſſima fidelium turba colliſa quinta poſt lucē interijt, quippe quam pictā in terris viderat, mox viuam in Cælis Chriſti faciem recognituram.*

*Ioannes Baena Corduben. litterarum Apoſtolicarum exſcriptor ſorori patrueli benem poſ. ſua inibi, cum eſſe deſierit, oſſa mandaturus ſepeliri.*

## S. PANCRATII

In Ianiculo Via Aurelia à Symmacho Papa ædificatum. Suggeſtum habet ex marmore albo, & porphyretico, cum teſſellis fului, viridis, & purpurei coloris. Sub & circumquaque eſt Cœmeterium S. Calepodij, Sanctorum corporibus venerandum; ſunt enim ibi ſub Altari maiori recondita corpora S. Pan-

cratij

cratij Epiſcopi, & mart. & S. Pancratij militis, & mar. Sub Altari, quòd eſt in capite huius Eccleſiæ, & ad dexteram requieſcit corpus S. Victoris mart. vnde Eccleſia dicebatur SS. Victoris, & Pancratij; Et ſub Altare, quod erat in medio eccleſiæ requieſcunt corpora SS. Martyrum Malchi, & Madiani, & corpus Sancti Sotheris V. Ab Honorio I. renouatum, cuius extabat hæc inſcriptio, quæ eſt apud Baronium Annal. tom. 8. & apud Boſium lib. 2. c. 10. ſequentis tenoris.

OB INSIGNE MERITVM,
Et ſingulare B. Pancratij Martyris beneficium, Baſilicam vetuſtate confectam, extra corpus martyris neglectæ antiquitatis extructam, Honorius Episcopus Dei famulus abraſa vetuſtatis mole, ruinàque minante, à fundamẽtis, nouiter Plebi Dei conſtruxit, & corpus martyris, quod ex obliquo Aulæ iacebat, altari, inſignibus ornato metallis, loco proprio collocauit.

Templum poſtea ab Hadriano I. renouatum; à Ludouico Card. de Torres poſtremò nouiter ferè ædificatum. Hìc an. 1204. 21. Nouembris Rex Aragoniæ à Petro Portuenſi Epiſcopus inunctus, & Pontificis manu coronatus. Erat ſub cura fratrum S. Ambroſij ad Nemus, quibus an. 1645. ſuppreſſis, templum, quod titulare Presbyt. Cardinalis S. R. E. hactenus fuit, commendari cœpit.

S. PAN-

## S. PANTALEONIS

### In Agone

In Regione Parionis, antiquum: filiale templi S. Euſtachij, ſub cura Clericorum regularium pauperum Matris Dei Scholarum piarum; Proxima eſt Domus Maximorum, in qua primò ſub Nicolao V. ann. 1455. Typorum artem admiratus eſt Roma: Artifices leguntur his carminibus impreſſis in fine Bibliorum Ioan: Antonij Epiſcopi Alerienſis.

*Aſpicis illuſtris lector quicumque libellos*
*Si cupis Artificum nomina noſſe; lege.*
*Aſpera ridebis cognomina Teutona; forſan*
*Mitiget ars muſis inſcia verba virum.*
*Conradus Sueeynheym, Arnoldus Pannartzq; Magiſtri*
*Romę impreſſerunt talia multa ſimul.*
*Petrus cum fratre Franciſco Maximus, ambo*
*Huic operi optatam contribuere domum.*
*M. CD. LXXI.*

quos poſtea ſecuti videntur Vlricus Gallus Teutonicus, & Simon Nicolai Lucenſis an. 1. Sixti 4. Pont vt infertur ex Adæ de Montaldo Epiſtola dedicatoria âd Ioannem Tortelium de Orthographia.

Cæterum de ortu, & progreſſu huiuſmodi artis legenda diſſertatio hiſtorica Bernardi Amallin Krot Decani Monaſterienſis.

### In tribus foris

Olim Telluris, in Vico, ſecundum antiquos, Scelerato licèt huiuſmodi Telluris templum incerta ſede collo-

locetur ab Antiquarijs, vt legi poteſt apud Donat. lib.3. cap.6. nunc in Regione Suburana, ſeu montium: Erat parochiale ſub titulo S.Petri ad Vincula, vnà cum cura S.Andreæ de Portugallo ſibi vicini. Paucis abhinc annis illud incolebant monachi Sancti Baſilij; quibus translatis ad S.Ioannis de Mercatello ad manus ſecularium presbyterorum, pietate & religione illuſtrium deuenit; à quibus reſtauratum, & ornatum fuit. Dies conſecrationis eſt Kal. Martij, vt in S.Viſitatione Apoſtolica 15. Septembris 1566. In Ara maxima.

*ANNO DOMINICAE INCARN. M.C.XIII. Indictione 6. die Calendarum Martij hoc altare conſecratum eſt in honorem Domini Noſtri Ieſu Chriſti & B.Mariæ ſemper Virginis, & Beatorum mm. & B.Petri, & S.Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ, & omnium ſanctorum Apoſtolorum, & ſanctorum martyrum Sebaſtiani, & Pantaleonis, tempore Domini Paſchalis, diuina prouidentia Papæ, & his reliquijs ditatum eſt. De ligno S.Crucis, & de Sindone Domini, & dente B.Petri, & de Coſta ſancti Ioannis Baptiſtæ, & Tunica ſancti Ioannis Euangeliſtæ, & de oſſibus ſancti Sebaſtiani, & Pantaleonis martyris.*

In libris S.Viſitationis Apoſtolicæ 30. Maij 1582. dicitur, Altare ſine dote S.Blaſij eſſe familiæ de Paparonibus. In ſacrorum cuſtodia hæc legitur inſcriptio, quę olim erat in eccleſia S.Blaſij diructa in pede montis S.Petri ad Vincula.

*In Nomine D.N. Ieſu Chriſti. Anno Domini 1201 Indictione 5. menſ. Octobris die 28. Manifeſtiſſimi iuris eſt eccleſiarum reparatores cœlorum regna adipiſci. Eapropter ego Aldruda infelix Chriſti famula vxor q. Scotti Paparonis Rom Conſulis diuino com*

*mota*

*mota ſpiritu ob reuerentiam omnipotentis Dei, & B. Blaſij martyris, pro redemptione animarum prædicti viri; & filij mei Ioannis Paparonis eccleſia iſta, quæ funditùs ſui vetuſtate corruerat, reintegrari feci, ſupplicans lacrymabiliter ſeruientibus Deo hic perpetuò quatenus omni IV. feria per cunctorum annorum tempora pro prædictorum viri, & filij defunctorum animabus ſacra Deo offerant ſacrificia, & me indignã Chriſti famulã inter ipſa ſacra ſolemnia connumerare non dubitent.*

## FAMILIÆ PAPARONIÆ.

## M. PAOLA DE IACOYELLO PAPARONE.

Ibi in pariete eccleſię in lapide antiquo.

† HAEC EST SEPVLTVRA NICOLAI IOANNIS ASTALLI, ET METRI FILII EIVS, ET EORVM HAEREDVM.

*Hic iacet D Ioannes Carbo, cuius anima requieſcat in pace.*

Cætera vide inter eccleſias profanatas, verbo Sanctus Blaſius de Montibus.

## S. PAVLI

## Ad aquas ſaluias

Vbi decollatus fuit S. Paulus: à Petro Card. Aldobrandino nouiter extructum. Sub cura Abbatis Commendatarij, & Monachorum Ciſtercienſium.

In

## In Arenula

Tiberi ferè imminens, in Vico Coriarorum. Fama, eſt, olim fuiſſe dictum S. Pauli Scholā. erat parochiale ſub tit. S. Laurentij in Damaſo, & intra eius fines aderat eccleſia S. Cæſarei reducta an. 1572. ad capellam, ſupra quam laici habitabant. Eſt ſub cura fratrum tertij ordinis Sancti Franciſci. Exiſtimamus fuiſſe dictum S. Mariæ in Catinerijs & dicto ordini traditum à Martino V. vt in eius conſtit. 37. apud Luc. Vading. tom. 5. Annal. Franciſcanorum.

## In Platea Columnæ

E conſpectu Columnæ Antonini ſub cura clericorum regularium S. Pauli decollati.

## In Quirinali

Nunc dicitur S. Maria de Victoria, de quo vide ſupra.

## In Via Oſtienſi

Omninm templorum maximum, quod acta Martyrum ſecundo, & tertio ab Vrbe milliario conſtituunt: longum cub. 240. lat. 120. Habet ingentium columnarum ordines quattuor, in vno quouis viginti; Vnus ordo ab altero diſtat ped. 34. columna quęlibet ab alia ped. 14. Sunt & alię columnæ ingentes circa altare maius, & plurimæ inferiores; ſed porphyreticæ circa minora altaria. Valuæ templi æneæ; cœnobij adiuncti ferreæ. Primò à Conſtantino Imperatore ex ſuggeſtione S. Silueſtri Papæ ſupra corpus Sancti Pauli ędificatum, ornatum, dotatum; vbi Sancti Pauli confeſſionem argenteam Valentinianus Auguſtus fecit. Sed cum morte præuentus Valentinianus opus perficere nequiret, Honorius abſoluit, vt habetur in Codice Vaticano his verbis. *Factum eſt autem*

*cum*

*cum vniuerſa eius* (Valentiniani) *iaſſa æquanimiter ferret ex conſenſu Pontificis, vt Eudoxiam Auguſt. mem. Theodoſij filia in coniugio accipere ageretur. qua ſuſcepta duas ex ea filias procreauit, maiorem Matris nomine vocatam, minorem Gallam Placidiam nuncupatam; ſed maior adhuc adoleſcens defuncta eſt, &c. Eudoxia verò, quam ſupra diximus Theodoſij filia fuit, qui cum Honorio Aug. mem. B. Pauli eccleſiam fundauit, atque perfecit, eiùſque filia Eudoxia tantū in Chriſti fide, & amore profecerat, vt B. Petri Apoſtoli oratorium, quod ad vincula nuncupatur, in Vrbe conſtrueret, quod vſque hodie Eudoxiæ nuncupatur.*

Templum hoc à Leone Primo Papa renouatum: cuius abſidam Symmachus Papa renouauit, confeſſionem pictura ornauit, nec non Cameram, & matroneum fecit; & ſuper confeſſionē imaginem argenteam cum Saluatore, & duodecim Apoſtolis poſuit: ante fores Baſilicæ in atrio gradus, & cantharum; poſt abſidam aquam introduxit, vbi & Balneum à fundamento fecit, ibiq; pauperibus habitaculum conſtruxit. Homiſda, Donus, Sergius, Gregorius II. & III. Hadrianus I. Leo III. & IV. Benedictus III. Nicolaus I. & Stephanus VI. in eo reſtaurando, eiùſque cultu augendo plurimum inſudarunt. Hìc Paulus I. vitandi caloris cauſa inhabitans, diem clauſit extremum: Hìc Felix III. ſepultus Sub Paſchale II. igne de cœlo tactum ferè totum conflagrauit. Abſidam habet muſiuam, cui inſcripta ſunt nomina Honorij Papæ III Arnulphi Sacriſtę, & Ioannis Gaitani Abbatis, & quattuor hi verſus à laqueari operti.

† *Totius orbis honor quod Honorius artis honore*
*Papa prius fecit fulget fulgente decore.*
*Abbas poſt Papam quem Chriſtus ad alta vocauit,*
*Omne Ioannis opus mira pietate beauit.*

In eadem altare nobiliſſimum, circumquaque pretioſis lapidibus ornatum, à monachis Caſinenſibus. Eiuſdem nobilitatis eſt capella ſanctiſsimi Sacramenti ab eiſdem fabrefacta, & equitis Lanfranci pennicillo depicta. Sub medio altare, marmoreo ciborio antiquo, quattuor porphyreticis columnis ſuffulto, requieſcit corpus S Pauli Apoſtoli. Adeſt illi proximum aliud cum Imagine Crucifixi, qui Santam Brigidam alloquutus fuit, Petri Cauallini opus: aliaſq; inſignes reliquias poſſidet. Huius monaſterij Conſeruatores deputabantur duo Cardinales. Illud quę hodie incolunt monachi Caſſinenſes Sanctę Iuſtinę, qui ad inſtantiam Angelotti Card. S Marci anno 1425. in Vigilia conuerſionis S. Pauli, illud intrarunt, vt narrat Ludouicus monachus Caſinenſis ms. in Bibl. Vaticana, cũius inedita verba lubet afferre.

*Currentibus annis Dom. Noſtri Ieſu Chriſti 1425. Pontificatus B. m. D. Martini Papę V. Eccleſia cũ monaſterio Sancti Pauli extra Vrbem erat ita mirabiliter deſtituta, quod tecto pro maiori parte deſtituto & diſcoopento, ventorum, pluuiarum, niuium, & grandinum receptaculum erat plenum. Accidit, volente Deo, & B. Pauli exigentibus meritis, vt inſtaret tempus tàm ſolemne, tàm deuotum eum Eccleſia deſolatum cœnobium reparandi, quod quidam peregrinus vilibus indutus veſtibus, barba prolixa continuum quaſi ſilentium ſeruans pręfatam S. Pauli intraret Eccleſiam, & ſtans erectus verſus eiuſdem B. Pauli imaginem prope B. Stephani altare inter cratem ferream, nudum ferreum enſem manu tenen-*

tem erectum, & aliquanto temporis ſpatio eam fixe contemplans, ſpiritu fremens, alta cœpit clamare voce ò Paule, ò ſtulte barbate quid agis? ad quid erectum tenes enſem? non vides quàm abominosè iacet dirupta eccleſia tua, & quàm negligenter prouidetur ei? relaxa enſem illum, quem tenes erectum, & percute eos, qui negligunt domum tuam. Permittente Deo, ſtabat miſſam audiens ad Altare propè eandem Imaginem quidam vir egregius, D. Angelottus tunc vocatus, nunc Cardinalis S. Marci, qui familiariſſimus erat Papæ: hic, peregrini verbis auditis, vt ipſemèt retulit Abbati, tanto pauore comprehenſus eſt, quòd vt miſſa finiretur, nimio deſiderio expectabat, vt hæc omnia protinùs Papæ nuntiaret; finita miſſa aſcendit velociter equum, ad Palatium pergit, his breuibus vſus eſt verbis. Pater ſancte, mala nuntia per te, & me: territus Papa inimicorum inſidias adeſſe credens ait, Quid eſt quod loqueris? at ille ſeriem clamoris expoſuit peregrini. Quæ verba ſic cor Papæ percuſſerunt timore, quòd ſe totum ad illius monaſterij reparationem conuertit, & in primo ſecreto Conſiſtorio omnibus Cardinalibus clamorem peregrini, & deliberationem reparandi ipſum Monaſterium, & Eccleſiam patefecit; quam deliberationem omnes Cardd. collaudantes de eius exequutore tractare cœperunt, & cum de perſona idonea, ad ſanctum opus perficiendum, aliquantulum diſceptaſſent nullum meliorem aptioremq; fore D. Card. Senenſi omnes vnanimiter acclamauerũt qui diuini cultus zelator, & natura & gratia ſemper fuit: quod onus acceptaturum ſe ſpopondit, ſi per bullam in ſpiritualibus, & temporalibus, in capite, & in membris ipſum Monaſterium reformandi ei liberè concederetur facultas: promittens in breui nedum Monaſterium cum Eccleſia reparaturum, ſed et in

*ſpiritualibus eum ſub regulari obſeruantia reformare Quibus cum multa complacentia auditis Summus Pontifex ad nutum ipſius plenariam facultatem conceſſit* & infra. *Plenaria igitur litteris apoſtolicis poteſtate munitus ipſe R.D. Senenſis, nunc verò Papa Eugenius IV Abbatem S Iuſtinæ ſuis litteris requiſiuit, vt pro ipſius Monaſterij S. Pauli reformatione aliquos de ſuis monachis deſtinaret. Qui abbas* & infra. *ſexdecim monachos ibi deſtinauit, quos cum duobus alijs & ipſe ſecutus eſt, & Vrbem ingreſſi ab eodem R.D. Card. Senen. benigniſſimè recepti ſunt.* & infra *Anno igitur* 1425. *poſt introitum Monachorum in præcedenti Aduentu intrauit & Abbas in Vigilia Conuerſionis S Pauli Apoſtoli monaſterium illud, & primò eccleſiam miræ, & excellentiſſimæ ſtructuræ conſpexit, ſed miſerrimè deſtitutam; nam, vt ſupra dictum eſt, pro maiori parte eius ruerat tectum, ſicq; videbatur locus intuentibus derelictus, quod & peregrini circum circa parietes intra eccleſiam diuerſorum generum carnes, & olera decoquebant, commeſſationibus & ebrietatibus, vt plurimum, ſine Dei timore vacantes. Paſtores verò boues, & bufalos ad pernoctandum ibidem velut in ſtabulo conducebant,* & infra. *De monaſterij autem ſtructuris quid dicam cum ædificia cuncta vndique ruinis ſubierant; ſolùm clauſtri pulchritudo aliquid religionis ſignũ intuentibus oſtendebat: In Refectorio, Dormitorio, coquina, & vbi nũc raſura fratrum tenetur, tanta erat lętaminis copia quòd nihil aliud, quàm ipſum lutum cum fœtore & tecta cernere poteramus: ſi aliquæ manſiunculæ circa clauſtrum cum tecto ſupererant, illę pro porcorum, & pecudum ſtabulo extiterant vſurpatę, & talia in monaſterio, qualia in eccleſia cohabitabant animalia bruta,* & infra. *Præfatus R.D. Card. ita ardenti feruore*

*feruore opus aggreſſus eſt,&c. quod in paruo tempore Monaſterium cum Eccleſia à præfatis ignominijs perfectè, & cum Dei maximo honore purgauit; eccleſiam cooperiri fecit, quod à memoria etiam antiquorum exciderat, eccleſiam illam integram fuiſſe coopertam. Dormitorium cum Cellis 40. ſicut in prima ſua conceperat ætate, & cæteras officinas, & monaſterij habitacula iuxta decentiam obſeruantiæ regularis, ſimul cum exteriori magno palatio, etiam ſua innata manſuetudine in communibus exercitijs cum fratribus ad extrahen. lapides ſe perſonaliter immiſcendo, prout præſenti tempore ipſa reparata teſtantur, glorioſè & cum magna ſolicitudine reparauit.*

Cæterum frontem habet anteriorem ex muſiuo, Petri Cauallini opus, qui an. 75 ex laterum dolore an, 1344. defunctus in hac Baſilica ſepultus eſt cum hoc epitaphio.

QVANTVM ROMANAE PETRVS DECVS ADDIDIT VRBI
PICTVRA. TANTVM DAT DECVS IPSE POLO.

Et porticum columnis fultam, in qua duæ Portæ ſanctæ anno Iubilei aperiri ſolitæ. Propè S. Pauli ſepulcrum Theodora fœmina chriſtianiſſima ſepeliuit corpus Sancti Timothei Antiochenſis, non autem Pauli diſcipuli, qui & Epheſi Epiſcopus fuit, Bizantij conditus: Et Heraclius Imperator ſancti Anaſtaſij monachi Perſæ corpus in hac Baſilica collocauit, vt Richardus monachus Cluniacenſis teſtatur. A dextra introitus maioris Baſilicæ eſt Altare ſancti Gregorij cũ inſcriptione, ibi fuiſſe inuentum Caput ſancti Pauli; Attilius Serranus EpiſcopusCoroni in libello de VII: Vrbis Eccleſ. inquit, ibi aliquando fuiſſe caput D.

Pauli: Ad hæc legeñ epiſtola D. Dionyſij Areopagitæ de morte Apoſtolorum Petri, & Pauli in Mombritij tom. 2. pag. 194. à tergo, & Odoricus Raynaldus in Annal. Eccleſ. tom. 14. ad anno 1268. nu 50. Aliquas inſcriptiones, & epitaphia referamus; in ænea porta.

*Paule Beate preces Domino ne fundere ceſſes,*
*Conſule Malfigeno pro Pantaleone rogando,*
*Ductus amore tui qui portas has tibi ſtruxit.*
*Ergò ſibi per te reſeretur ianua vitæ*
*Supplex ergo petit Domino, qui ſemper adeſtis*
*Huic precibus veſtris Deus annuat quod eſtis:*
*Tu quoque, qui ſacri ſuccedis limina templi,*
*Has, per quas intras, ſtudioſiùs inſpice portas*
*Et ſic ingreſsus, Domino fer cum prece fletus,*
*Vt Deus huic requiem concedat habere perennem.*
*Impetret hoc illi ſimul interceſſio Pauli,*
*Quem quia dilexit decorauit munere tali.*

ANNO M. LXX. AB INCARNATIONE DOMINI.

Temporibus D. Alexandri Sanctiſsimi Papæ IV. & D. Ildebrandi ven. monachi, & Archidiaconi conſtructæ ſunt portæ iſtæ in Regia Vrbe Conſtantinopoli adiuuante D. Pantaleone Conſule qui illas fieri iuſsit.

Pompeius Vgonius obſeruauit errorem huius inſcriptionis, qui videndus eſt in Statione XXIX.

Ante altare Conuerſionis S. Pauli in pauimento.

*Poſt mortem ſi viuit amor, ſi gratia priſca*
*Durat in arcanum mentis ad acta bonum,*
*Quamuis luctificum fratris tamen accipe carmen*
*Ne mala ſit tumulis extera lingua tuis.*

*Te natura parens ſomni depinxerat arte*
*Moribus, ingenio, corpore, mente, fide.*
*Purus amicitię cultor, ſeruator honeſti*
*Eloquio miſeros, vel pietate fouens.*
*Hinc eſt quod toto ſemper te flebimus ęuo*
*Quod fuerit iuueni uis tibi multa ſenis.*
*Te genitrix, fratrèſque ſimul, te compare luctu*
*Perpetuis lacbrymis plangit amata domus.*
*Hic requieſc. in pace b.m. Petilius Proceſſius* VS. *togatus*
*in* LL. PP. *qui vixit pl. m an. 38. depoſit. ſub die*
8. *Kal. Iun. Probo Iun.* VC. *conſ.*

In media naui in pauimento fragmentum.

*Hic Benedictus adeſt meritò ſub rupe ſepulcri*
*Quem tenet angelicus cœtus in arce Poli.*
*Qui fuerat fortuna pius, natura decorus,*
*Moribus & caſtis fulſit in orbe ſatis.*
*Dogmatis egregij prorſus documenta miniſtrans*
*Oſtendit multis lucis adire viam.*
*Aurea ſecla cui pateant ſine fine per ęuum*
*Sorte beatifica ſcandat* - - - -

Cæterum memorabile eſt quod narrat Benedictus B. Petri Canonicus, an. 1114. in ſuo ms. Rituali. *In feſtiuitate Sancti Pauli vadit Pontifex illuc cum omnibus Scholis, facit Veſperas -- intrat ad Vigilias, Monachi eccleſię legunt tres lectiones --- in quarta lectione ſurgit* D *Pontifex & intrat ad Arcam Altaris Sancti Pauli, vbi eſt foramen in fundo archæ ſuper corpus Apoſtoli diſcooperto, mittit manum deorſum & apprehendit thuribulum pendens in vnco plenum carbonibus, & attrahit foras incenſum, & carbones dat Archidiacono; Archidiaconus autem dat populo hac ratione, vt quicunque febricitans deuotè in fide Apoſtoli ex ijs biberit, ſanabitur. Iterum replet thuri-*

*ribulum de carbonibus, & ponit ſuper eos candelam vitream plenam incenſo, accendit carbones, & candela incipit bullire, & reponit thuribulum in prælibato vnco, & cooperitur foramen archæ a Pontifice ſuper corpus eius, &c.*

## SS. PAVLI ET IOANNIS

In cliuo Scauri: Vide ſupra Verbo, Ioannis, & Pauli & adde conſtitutionem Sancti Gregorij Magni Pontificis à Conſtantino in Pontificatu ſucceſſore confirmatam, quæ adhuc legitur in marmore ibi, vt vides hic.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei. Dilectiſſimis in Chriſto filijs Deusdedit Cardinali, & Ioanni Archipresbytero tit. Sanct. Ioannis, & Pauli, & per vos in eodem titulo in perpetuum.

*CReditæ ſpeculationis impellimur cura, & ardore Chriſtianę religionis, etiam ſtudio diuini cultus promouemur pro venerabilium, piorùmque locorum præcogitare ſtabilitate, atque Deo ſeruentium ſecuritate, vt hoc prouentente pio labore, & animæ Chriſto dicatæ, eique ſe illi diebus vitæ eorum ſeruire decreuerunt, perſeuerent & imperturbatè: nec non in illa maneant finetenùs firma, quæ à Chriſtianis in Dei laudem conſtructa ſunt.*

*Quia igitur dilectio, atque religioſitas veſtra petijt nobis, quatinùs hos fundos in integros ſitos territorij Bellitrinenſis mill. XXII. ac in alijs locis,*

*Ter-*

NOTITIA FVNDORVM TITVLI HVIVS

CONTANTINVS SERVVS SERVORVM

*† Territor. Bellitr. mill XXII.*
*Fundus* Mucianus *in integro*
*Fundus Coſconis in integro, vbi ſupra*
*Fundus Pręgoriolus in int. vbi ſupra.*
*Fundus* Caſacatelli *in int. vbi ſupra.*
*Fundus Proclis in int. Via Appia M.* XIII.
*Fundus Virg. in int. Via Ap.* M.II. *cũ partano*
*Fundus Capitonis Via Ardeatina M.* III.
*Fundus Fonteianns in int. Via ſupraſc. M.V.*
*Fund. Forauſian. in int. Via ſup.* M.P M.XII.
*Fundus Lauſianus in int. Via ſup.* M. *ſupraſc.*
*Fundus Carbonarior. in int Via ſup* M.*pl* IX.
*Fundus Publica in int. Via Lat.* M.*pl.*M.XI.
*Fundus Caſaquin in int. Via Lat.* M *pl* M.XI.
*Fundus Lacitianus inint.* Via *Lauic.* M XV.
*Fundus* Sergianus *in integ vbi ſupra.*
*Fundus* Septiminis *in int* Via. .
*Fundus Cæſarianus in int V Praneſt* M.XXX
*Fundus Stagnis in int.* Via Lat. *M pl* M.XXX.
*Fundus Caſaluci in int. vbi ſupra.*
*Pundus Caſacellenſis* Via *Appia* M. XIII.

*Veſtræ eccleſiæ confirmaremus, & nos ita confirmamus, vt ſiquis* D. *temerator extiterit, anathematis vinculo ſubiaceat in perpetuum.*

## S. PEREGRINI

In Burgo poſt Pålatium Pontificium propè portam Ciuitatis Angelicam. Anaſtaſius Bibliothecarius illud ponit in hoſpitali Dominico ad Naumachiam à Leone III. ædificatum, & à Paſchali Primo reſtitutum. Eſt iuris Baſilicæ S. Petri in Vaticano.

# S. PETRI
## In Carcere

In radice Capitolij ſubtus templum S.Ioſephi, in Campo, vt dicitur, Vaccino: olim Carcer Anci Martij, Seruij Tullij, & Mamertinus. Hìc SS.Petrus & Paulus carcere tenti, vbi fons erupit eorum interceſſione, cuius aqua baptizati fuerunt SS.Proceſſus, & Martinianus. Hìc S. Petrus, vbi per nouem menſes vltimos vitæ ſtetit cum S.Paulo, ſcripſit epiſtolam ſecundam, & S. Paulus epiſtolas ad Philippenſes, Epheſios, Coloſsenſes, Hebræos, Philemonem, & ſecundam ad Timotheum ex Cornelij à Lapide obſeruatione. Hìc Sapricium Præfectum tribunal ſibi præparari feciſſe ad inquirendum contra chriſtianos Acta Martyrum teſtantur. Hìc recepti Sancti Abundius, Abundantius, Sixtus II. Pont. cum Feliciſſimo, & Agapito Diaconis; Palmatius item & Siſinnius, nec non Chryſantus, in cuius vita hæc de huiuſmodi carcere. *Interea Chryſantus iuſſit infernali retinere cuſtodia.* & infra. *Erat igitur ima cuſtodia in carcere Tulliano, vnde putor horribilis aſcendebat, quia Cloacarum cuniculi digeſta domorum ſtercora illic iugiter decurrebant: & in hoc decurſorio, vt diximus, erat ima, & lutea, & ita tenebroſa cuſtodia, vt penitùs luciſluus aer nec ſignum ibi diei, nec veſtigium aliquod lucis oſtenderet.* Acta quoque Sanctæ Luciæ viduæ mentionem facere exiſtimamus d. carceris, illis verbis: *Prothaſi vade in carcerem Capitolij, & purifica eos*, & paullò infra. *Et omnia fundamenta carceris commota ſunt, & fons aquæ inundauit.* Item S. Martinam huic carceri mancipatam fuiſſe arbitramur, perpendendo totum Paſſionis textum, & ex vicinitate fori, in quo ſæpisſimè

ſimè Tribunal parari ſolebat ad cõſtituendos martyres iudicialiter, & ex ijs verbis; *Præfectus in equo ſedens vſque ad collum carceris eã ſecutus eſt*. Alios martyres & Confeſſores huic carceri mancipatos, quia longum eſſet recenſere, omittimus.

## Montis Aurei

Vulgariùs, Montorij, in Ianiculo à Ferdinando, & Iſabella Catholicis Regibus an. 1502. vbi vetuſta monialium ædes colebatur, erectum, picturis inſigne: apud quod Sacellum rotundum à ſexdecim columnis rectum (Bramantis opus) vbi crucifixus putatur S.Petrus. Illud incolunt fratres reformati Sancti Franciſci.

## In Vaticano.

Omnium in Vrbe, & orbe celeberrimum: à Conſtantino Magno ſumptuosè primò extructum: quod antiquitate obſoletum Iulius Secundus à fundamentis renouare cœpit, ſubſequentes Pontifices proſecuti fuerunt, & Paulus V. abſoluit: intrinſecus, & extrinſecus admirationem præſeferens. Ingentem æneam portam habet ab Eugenio IV. fabreſactam: ante templum ingentem porticum auro ſplendidiſſimam, columnarum quantitate, & magnitudine ſumptuoſiſſimam, in qua eſt porta Sancta ex marmore Chij. In templo æneum antiquiſſimum, ac miraculis illuſtre ſimulacrum D.Petri, & quattuor ænea ſepulcra nobiliſſima Sixti IV. Innocentij VIII. Pauli III & Vrbani VIII. Altare maius, quod olim à Gregorio III. ornatum fuerat columnis volubilibus onychinis, nunc ænea machina à quattuor æneis ingentibus columnis volubilibus ſuffulta, ornauit Vrbanus VIII. Principis Apoſtolorum Confeſſionẽ publicæ piorum commoditati aperuit, marmoribusq; omnium ferè

gene-

generum colorumq; pretioſis ornauit Paulus Quintus. Minores Aræ ingentibus columnis, alijsque minoribus ornatæ picturis, & muſiuo refertę. Celebris eſt etiam in loco, vbi Canonici Sacra peragunt, Statua B. Virginis Mariæ filium è cruce depoſitum habentis, a Michaele Angelo Bonarota efficta; nec non aliæ S. Longini, S. Andreæ, S. Veronicæ, & Sanctæ Helenæ ſtatuæ à celebrioribus prę̨ſentis ſeculi artificibus iuſſu Vrbani VIII. locatę circa apoſtolicum Sepulcrum, à Bartholomæo Tortoletto ſequentibus carminibus laudatæ.

*Longini obtutus mœrens, quod funere ab ipſo*
*Diuinum inſando violarit vulnere corpus,*
*Et ſacro Lateri ſceleratam infixerit haſtam.*
*Mox Helenæ pietas, & Ligni grata reperti*
*Cura ſalutiferi. Tùm dira ad fata, crucemq;*
*Andreæ tendentis amor, quo clauderet æuum*
*Egregiè exactum, plenoſq; laboribus annos.*
*Indè ingens ſtudium Berenices paſſibus æquat*
*Quę mentem, ac Dominum, neglecta morte, requirit.*
*Singula clarorum Artificum, pro viribus iſta*
*Gelatos ornant lapides, ſimulacraq; Diuum,*
*Quæ Vaticanum ad tumulum noctuq; diuq;*
*Excubias agitant. Tù qui vel ab Vrbe, vel orbe*
*Semoto accedens æternũ hic Numen adoras,*
*Contemplare operum ſpeciem, magis intima verò*
*Conſilia, & Sanctos expende in marmore mores,*
*Ac diſce à ſaxis animi perrumpere ſaxa.*
*Si ſapimus, quauis in re latet aurea virtus,*
*Atq; Poli tellus iter explicat ægra perennis.*

Baſilicæ ornamenta ingenti ſplendentiq; opere auxit SS. D. N. Innocentius Papa X. in ſequenti inſcriptione ſupra interiorem portam maximam explicata.

# BASILICAM

PRINCIPIS APOSTOLORVM

In hanc molis amplitudinem multiplici Romanorum Pontificum ædificatione perductam

# INNOCENTIVS X. PONT. MAX.

Nouo cælaturæ opere ornatis Sacellis, interiectis in vtraque templi ala

Marmoreis columnis, ſtrato è vario lapide pauimento magnificentiùs terminauit.

In eo corpora SS. Petri, Simonis, & Thadæi Apoſtolorum, S. Io: Chryſoſtomi, S. Gregorij Nazianzeni pluriùmque Sanctorum Pontificum. Nec non Sudarium Sanctiſſimi D. Noſtri Ieſu Chriſti, quod Veronicam appellant; lancea, quæ latus Chriſti transfixit caput S. Andreæ Apoſtoli, & inſignes quamplurimæ Reliquiæ, quas longum eſſet recenſere. Ante templum campi ingens ſpacium, in quo ægyptiacum obeliſcum maximum à quattuor ęneis leonibus fultũ magno ſumptu, & artificio erexit Sixtus V. In eodem fontem duxit Innocentius VIII. olim apud antiquarios celebrem: at Paulus V. eo amoto excellentiorem red-

reddidit. Plura huius Sacroſanctæ Baſilicæ monumẽta vetera collegit Onuphrius Panuinius ms. libello. Cæterum Baſilica habet Archipresb. Cardinalem Canonicos, Beneficiatos, & Clericos; eſtq; ibi Parochia, & fons baptiſmalis.

## Ad Vincula

In ea Exquiliarum parte, quæ Carinæ nuncupantur à doctis, & le Carra à vulgo. In domo aurea Neronis ædificatum ab Eudoxia Auguſta Valentiniani Imperatoris vxore, & adhuc in hortis ruinæ apparent: in ijſdem fornices, & Caſtellum Thermarũ Titi, quod vulgò appellatur, Sette Sale. Templum habet duos columnarum ordines, ex vnaquauis parte decem; Altare ſub organo habet duas columnas porphyreticas à Nicolao Card. de Cuſa extructum, in quo claudebantur Vincula S. Petri valuis æneis à Sixto IV. additis. De eius ædificatione, & conſecratione hæc olim inibi extabant carmina.

*Hoc Domini templum Petro fuit ante dicatum,*
*Tertius Antiſtes Sixtus ſacrauerat olim,*
*Ciuili bello deſtructum poſt fuit ipſum.*
*Eudoxia quidem totum renouauit ibidem.*
*Pelagius rurſus ſacrauit Papa beatus,*
*Corpora ſanctorum condens ibi Machabęorum.*
*Appoſuit Petri pretioſa Ligamina ferri,*
*Illuſtris mulier quę detulit ab Hieruſalem,*
*Et quibus eſt Petrus, Neronis tempore, vinctus.*
*Auguſti menſis celebrantur feſta calendis.*
*Huc accedenti purgantur crimina cuncta.*

Templum ab Hadriano I. renouatum, vocatur Apoſtolorum à Bibliothecario, eſtq; ante illud magna por-

porticus à Sixto IV. extructa: Eſt in eo Iulij Secundi cenotaphiũ, celeberrimis Moyſis, aliorũq; statuis pulcherrimum, Michaelis Angeli Bonarotæ opus. Idem Iulius in Cardinalatu ædem in præſentem dignitatem euexit, Cœnobium, Titularemq; domum refecit. Hic electus eſt Gregorius Septimus. In eo Altare Imagini S.Sebaſtiani, miraculo inſigni, erectum. Eſt Titulus Presb. Card. ſub cura Canonicorum regularium S.Saluatoris.

In eo hæc præ cæteris leguntur epitaphia.

*Antonius Pullarius patria Florentinus, pictor inſignis, qui duorum Pontificum Sixti & Innocentij ærea monimenta miro opificio expreſſit; re familiari compoſita ex teſtam. hic ſe cum Petro fratre condi voluit.*

*Vix. an. 72. obijt an. Sal. 1498.*

*Ioanni Ciotto Senen. qui cum eius animi magnitudinem Vrbs vna non caperet, terrarum orbe longè, lateq; peragrato, totum hunc vniuerſum ambitum pro patria ſibi conſtituit, amici viro laborioſiſſimo, atq. amabiliſſimo M. Poſ.*

*Vix. ann. 77. menſ. 4. die 26. Obijt 1563.*

D. O. M.

*M. Antonio de Zannis Bononienſi, qui ob eximias animi dotes, reique maritimę peritiam à Gregorio Decimotertio Pontifice Maximo in Vicem Præfecti creatus, quoad vixit, Claſsem maritimam ſtrenuè, ac fideliter gubernauit. Bartholomæus & Io: Paulus fratres, Ioannes, Alexander, & Angelus fil. monumentum poſ.*

*Vix. ann. 58. obijt id. Feb. 1581.*

SS.PE-

## SS. PETRI & PAVLI.

### In Via Iulia

Eſt Oratorium Archiconfraternitatis Confalonis pi-cturis ornatum.

### In Via Oſtienſi

Paruum inter portam Vrbis Trigeminam, & Baſili-cam S. Pauli, proximum vineæ Sanctæ Franciſcæ Romanæ. Hic glorioſi Apoſtoli ad martyrij palmam properantes ſeiuncti fuerunt. Eſt ſub cura SS. Trini-tatis Conualeſcentium.

## SS. PETRVS & MARCELLINVS

In Regione Montium iuxta Lateranum à Gregor. III. à nouo fabricatum: à Benedicto III. nouo tecto, & porticibus reſtauratum: antiquiſſimum ab Alexan-dro IV. Papa conſecratum an 1206. à Paulo Quarto Pont. & Mariano Perbenedicto Card. Camerinenſe reſtitutum. Eſt Titulus S.R.E. Card.

## PIETATIS

Nationis Florentinorum, vide v. SS. Thomas, & Vrſus.

## S. PRAXEDIS

In capite Suburę, paulò poſt conſecrationem tituli Paſtoris in Vico Patritio, erectum in Vico Lateritio in thermis Nouati à Pio Papa ſub regimine S. Praxedis Virg. ob idque titulus Praxedis nuncupatus. Hic S. Praxedes multos Chriſtianos in Domino occultabat, quibus & corporis, & animæ pabula miniſtrabat: Hic conuentus Chriſtianorum fiebant: Hic tentus gladiòque percuſſus Simetrius Presb. cum alijs 22. propter fidem Chriſti. Huiuſmodi titulum ex par-te ruentem Hadrianus I. Papa in integrum renoua-uit. Paſchalis I. eundem in alium non longè demu-

tans

cans locum in meliorem erexit ſtatum; abſidem muſiuo opere exornauit; quam plurimis martyrum corporibus ditauit; cœnobium, & Monachorum Congregationem adiunxit, amplis redditibus attributis. Ab vna parte aſcenſus eſt per gradus 24. In templo columnæ octo marmoreę, & quattuor porphyreticæ circa ſummum Altare. S.Carolus Borromæus, & Alexander Medices Cardinales huius templi titulares in pluribus illud reſtituerunt. Hìc requieſcunt plurima SS.MM. corpora. Hìc in s.Zenonis capella extat columna, ſeu pars columnæ, ad quam D. Noſter Ieſus Chriſtus alligatus fuiſſe dicitur, & verberatus. In media eccleſia ſub crate ferrea eſt conditorium, in quo repoſitus fuit ſanguis SS MM Romæ occiſorũ. Habetur etiam hìc Capella familiæ Olgiatæ nobiliſſimè à Ioſepho Arpinate depicta. Eſt Parochiale, & titulare Presb. Card. ſub cura monachorum Vallis Vmbroſæ.

## Extra Portam Portuenſem

Vulgariter dicitur S.Paſſera. Eſt in Ripa Tiberis, reſpicitque baſilicam Sancti Pauli Viæ Oſtienſis: à quadam Senatrice religioſiſſima vidua, nomine Theodora, ſanctæ Praxedi dicatum, cuius brachium à Summo Pontifice obtinuerat, & in eo condidit corpora Sanctorum Cyri. & Ioannis, temporibus Innocentij I. Hoc templum fuiſſe dicatum Saluatori Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſanctæq; eius Genitrici, ac Michaeli Archangelo, ex eo patet, quod in faſtigio Altaris ipſe S. Michael eſt ad ſiniſtram B. Virginis cum filio ſedentis ad dexteram. Hoc eſſe, quod Anaſtaſius Bibliothecarius appellat Diaconia ſancti Archangeli in vita Leonis Tertij; & alibi in qua fuiſſe altare ſanctorum Abbacyri, & Ioannis colligitur, pro

cer-

certo affirmare poſſumus. Hoc idem appellari in Gregorio Quarto Eccleſia B. Abbacyri atq; Archangeli ad Alephantum exiſtimamus. Eſt ſub cura Canonicorum ſanctæ Mariæ in Via Lata.

## S. PRISCAE

In Colle Auentino Orientem verſus, olim Herculis tùm ſanctorum Aquilæ, & Priſcæ ſeù Priſcillæ Domus, poſteà Sanctiſſimæ Trinitati conſecratum, in quo etiam Baptiſterium perpetui fontis ædificatum fuit: Poſtremò ſanctæ Priſcæ Virg. & Mart. dicatum, vbi eius corpus requieſcit ab Eutychiano Papa delatum. Antiquiſſimum eſt titulare presb. Cardin. ab Hadriano I. tum à Calliſto Tertio, poſtremò à Benedicto Card. Iuſtiniano magno ſumptu reſtauratum. Eſt ſub cura fratrum ſancti Auguſtini Prouinciæ Lombardiæ. Plura de hac Eccleſia leges in opere à nobis edendo de s. Mariæ in Via Lata.

## S. PVDENTIANAE

Ad radices Viminalis Collis in ea parte, quæ Vicus Patricius cognominatur, in propria Pudentis Senatoris domo à Pio I. erectum in titulum presbyteralem, & primò cuidam Paſtori conceſſum, ob idque alibi Pudentis, alibi Paſtoris titulus appellatur. Priſcillæ quoque cœmeterium aliquando nuncupatur, eò quod quam plurima, vt creditur, Sanctorum corpora ex eiuſdem cœmeterio Viæ Salariç hùc translata fuere. Hic exceptus hoſpitio Sanctus Petrus, vbi miſſam celebraſſe dicitur in capella, quam hodieque religioſiſſimè colimus. Ab Hadriano I. nouiter reparatum; à Benedicto, Petro Saſſone, Rainulpho de Monteruco, & Henrico Caietano Cardinalibus vetuſtate conſumptum inſtauratum; vocatis ad eius cu-

curam fratribus B. Mariæ Fullien. à Sixto Quinto, vbi ſub Hadriano Quarto Canonicorum regularium, & ſub Vrbano Sexto viguerat ordo Camaldulenſis. Ibi ſpectabilem, ornatiſſimàmque capellam Chriſto à Magis adorato dicatam Caietana familia erexit.

## SS. QVADRAGINTA MARTYRVM Tranſtiberim

Paruum, & antiquum Archiconfraternitatis Confalonis.

## In Regione Pineæ

Olim parochiale, ſub titulo Sancti Marci; nunc appellatur Stigmatum S. Franciſci à Confraternitate huius nominis hic inſtitutę. inibi hęc legitur inſcriptio.

VNIVERSIS CHRISTIFIDELIBVS IN VRBE CONSTITVTIS

Fr. Lambertus miſeratione diuina Epiſcopus Aquinas, ac Sanctiſſimi Patris, D. Noſtri, D. Bonifatij diuina prouidentia Octaui Papæ in ſpiritualibus in Vrbe Vicarius generalis, ſalutem in Domino ſempiternam.

*Sanctorum meritis inclyta gaudia fideles Chriſti aſſequi minimè dubitamus, qui eorum patrocinijs per condignę retributionis obſequia promereantur; illorùmq; venerentur in ipſis, quorum gloria eſt, & retributio meritorũ. Nos igitur, ad conſequendum prædicta gaudia, cauſam dare fidelibus cupientes, omnibus verè pœnitentibus confeſſis, qui ad eccleſiam Sanctorum XL. Martyrum de Calcararo de Vrbe in die conſecrationis ipſius Eccleſię, & Altaris Beata, &*

*glorioſæ Virg. Mariæ, in ipſa eccleſia exiſtentis, cui Virginis Mariæ eſt inſignitum vocabulo, per nos die dominico octauo menſis Decembris 11. Indictione ſolemniter celebratæ: Necnon in die conſecrationis Altaris dictorum Sanctorum XL. Martyrum in ipſa Eccleſia exiſtentis, quorum eſt vocabulo inſignitum die Dominico nona menſis Martij conſecrati cum reuerentia, & deuotione acceſſerint annuatim de omnipotentis Dei miſericordia, B. M.V. eius Matris, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, C. & XL. dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer in Domino relaxamus. Dat. Romæ apud S. Marcum anno Dom. 1298. indictione vndecima Pontificatus pręlibati D.N.PP. Anno 4. menſis Martij die 22.*

*Hæ ſunt Reliquiæ, quæ ſunt in Altaribus Eccleſiæ Sanctorum XL. in primis de Ligno S. Crucis, S. Agnetis, ſancti Saturnini, ſancti Laurentij, ſanctorum Proti, & Hyacinthi, ſancti Bartholomæi Apoſt. ſancti Alexandri, ſancti Chriſtophori, & Simphoriani, ſancti Superantij, ſancti Blaſij Epiſcopi, ſancti Demetrij; de veſtimento B.Virg. Mariæ, de veſtimento D. N. Ieſu Chriſti, de oleo ſanctæ Catharinæ Virginis, & ſancti Ciriaci, & Mariani, ſancti Martiniani, ſanctæ Felicitatis, S. Augeniæ, ſancti Pudentij, & aliorum multorum, quorum nomina hic ſunt. Hoc opus fieri fecit Blaſius de Saxolinis pro anima ſua, & parentum ſuorum d. eccleſiæ.*

## SS. QVATVOR CORONATORVM

In Monte Cœlio (vbi olim Caſtra peregrina fuerunt) à Melchiade, ſeu alio Pontifice erectum; ab Honorio I. perfectum. Ab Hadriano I. Leone IV & Paſchale II. nouiter ædificatum: tùm ab Alphonſo Carillo

rillo Card. deinde à Pio IV. Pontifice reſtauratum. Plurima SS. corpora, & reliquias continebat, quarum inuentionem peculiari libello edito cõprehenſus eſt Decius Memmolus an 1628. typis Ludouici Grignani. Præ cæteris inſignitur capite S. Sebaſtiani mart. quod honorificentiſſimæ Card. Vidonus cuſtodiæ mandauit, nobili ara erecta, vbi hæc legitur inſcriptio.

D. O. M

*In honorem capitis S Sebaſtiani mart. quod à Greg. Quarto in theca argentea reconditum; à S. Leone IV. in hac eccleſia collocatum; à Ioanne Garſia Card. Millino huius eccleſiæ Titulari inuentum, hoc loco Hieronymus Card. Vidonus eiuſdem eccleſiæ Titularis decentiùs collocauit a. 1632. ſedente Vrb. VIII. P.O.M an. eius 9.*

Extât ibi aliquæ ſepulcrales inſcriptiones, quas affero.

D. O. M.

NICOLAO ALEMANNO ANCONITANO BIBLIOTHECAE VATICANAE, ET ARCIS HADRIANI PRAEFECTO

Eximia pietate, & illuſtri græcæ, ac latinæ eruditionis laude, editis etiam præclaris ingenii monumentis conſpicuo, qui dum æquè præclara propediem edenda, & à doctioribus expetita moliretur, non ſine Romanæ Curiæ dolore, ac magno apud omnes omnis ordinis viros, ex morum etiam ingenuorum ſuauitate, ſui deſiderio relicto humanis Cœlo dignus eripitur, Georgius Tromba Laſcareus Anconitanus cariſſimo

ex Sorore nepoti mœrens meritiſſimo poſ. Vix. ann. 43. menſ. 6. die 12. Obijt anno Domini 1626. die 24. Iulij tribus Summis Pontificibus, quibus fideliſſimè ad 16. plus minus annos inſeruiuit acceptiſſimus.

ΠΡΟΣΔΟΚΩ. ΑΝΑΣΤΑΣΙΝ. ΝΕΚΡΩΝ

*D. O. M.*

*Tib. Franc. Gallus presb. Romanus Sacris Sanctorum Quattuor Coronatorum, aliorumq: in hoc Sacrario Martyrum quieſcentium pignoribus & perquirendis nauiter, & exhumandis, religioſè & cuſtodiendis munificè Eminentiſſimi Card. Millini beneficio creditus ſuam hic mortis memor cuſtodiri voluit ſarcinam mortalitatis, vt ad immortalitatis lucem cum Laureatis martyribus reuiuiſcens illorũ in Cœlo propiùs ſequatur gloriam, quod in terris dormiens proximè conſecutus eſt tumulum.*

*D. O. M.*

*Apud Sanctos Quattuor Coronatos, & alios Chriſti martyres Ludouicus Fattorinus Presb. Rom Canonicus S. Marci, Antonij Mariæ Card. Saluiati à veſte 5. id. Aprilis ipſo natali die ætatis 34. an. completo locum ſepulturæ viuens elegit an. Iub. 1600. obijt die 23. Feb. 1634. ætat. ſuæ 68.*

Habet annexam Capellam S. Siluestro dicatam, antiquiſſimis picturis ornatam, quæ eſt Confraternitatis Lapicidarum, in cuius altaris parte dextera hæc eſt inſcriptio.

*Ad laudem Dei omnipotentis, & honorem B. Silueſtri Papæ & Confeſſ. dedicata eſt Capella per D. Rainaldum Oſtienſem Epiſcopum ad preces D. Stephani ſanctæ Mariæ Transtiberim presb. Card. qui Capellam & domos ædificari fecit † Anno Dom. 1246. Indict. 4. fer. 6. ante palmas tempore D. Innoc IV. Papæ ann. 4. Hæ ſunt reliquiæ Sanctorum. De Ligno Crucis, ſancti Bonifatij Papæ, & Confeſſ. S. Sixti Papæ & mart. S Tiburtij mart. S. Theodoti mart. S Simplicij mart. S. Marij & Marthę mart. Sanctorum trium puerorum MM. ſanctorum Nerei, & Achillei martt.*

In altera parte ad læuam ſub feneſtra.

*Item eſt in Altari de Reliquijs SS. Papię, & Mauri m. S Silueſtri Papa, & Confeſs. S Lini Papæ & Conf. S. Alexij Confeſſ. S Luciæ Virg. & m. S. Praxedis V. ſanctæ Pudentianæ Virg. ſanctæ Dorotheæ V. & m. ſanctæ Exuperiæ V. omnibus Chriſti fidelibus ad dictam Capellam venientibus in dicta feria 6. & ſeptem diebus ſequentibus vnus annus, & 40. dies de iniunctis ſibi pœnitentijs relaxantur.*

Cęterum in magno Chronico Belgico relato inter Germanicos Scriptores folio 84 hęc legimus.

*Theodoricus Pontifex Treuirenſis ſub Leone VIII. Cellam Sanctorum Quattuor Coronatorum, cum omnibus appenditijs ſuis ſibi, ſuiſq; ſucceſſoribus in perpetuum acquiſiuit.*

In pręſens eſt Archiconfraternitatis Orphanorum, Orphanarùmque Vrbis.

## SS. QVIRICI & IVLITTAE

In Regione Montium, quæ antiquitùs appellabatur Suburana propè fori Neruæ ruinas. Antiquum, quod Sixtus IV. reſtaurauit, Reliquijs ditauit, presbyteri

Cardinalis titulo cohoneſtauit, ſtationemq; ex Sancto Ciriaco in Thermis,ruinis obruto, in idem tranſtulit: hi verſus inibi olim extabant.

*In ſtaurata vides Quiricus cum matre Iulitta*
*Quæ fuerant longa diruta templa die.*
*Principe ſub Sixto delubris nulla vetuſtas,*
*Hic reficit Pontes, mœnia, templa, vias.*

Ab Alexandro Mediceo Card. reſtitutum, & à Paulo V. in meliorem formam redactum, vt indicat ſupra portam hæc inſcriptio.

PAVLVS V. PONT. MAX.
Eccleſiam hanc titulo vacante ex depreſſiori loco, & aquarum inundationibus expoſito, iactis fornicibus, ſtrato pauimento, in altiorem melioremq; formam reſtituit. ann. Sal. humanæ 1606. Pontificatus I.

Olim erat mollegiata Canonicorum, nunc eſt parochiale, in eòque eſt erecta Confraternitas Sanctiſſimi Sacramenti.

## S. ROCCHI

Et Martini in Regione Campi Martij à Laicorum Societate erectum; cum hoſpitali virorum in ruinis Mauſolei Auguſti, vulgariter nuncupati, Mons Auguſtæ: habet etiam hoſpitale mulierum ab Antonio Maria Card. Saluiato inſtitutum.

SS. RVFINAE & SECVNDAE

## In Laterano

In porticu S.Venantij apud Lateranenſem Baptiſterium ab Anaſtaſio IV. erectum, in quo eorundem ſacra corpora recondidit, & SS.Cipriani, & Iuſtinæ; à Clemente Octauo reſtauratum.

## Trans Tiberim

In propria earumdem domo excitatum. Erat Capituli S.Mariæ transTiberim, quod eius Canonici conceſſerunt an.1600. quibuſdã pijs mulieribus in cõmuni viuentibus, vbi hoc fundatricis extat epitaphium.

D. O. M.
FRANCISCA PARISIENSIS
CLAVDII MONTIOVX FILIA.
Familia nobilis, pertinaci morum candore nobilior, animique virtutibus virgo ſpectabilis 3. non. Martias 1598. Romam venit à Sancta Sede Apoſtolica Eccleſiam hanc ſibi, ſociabuſque impetrauit obiens 3.Kal. Martias 1628. anno ætat. ſuæ 50. hic iacet.

## S. SABAE

In Colle Auentino, & iuxta portam Vrbis appellatam S Pauli: olim dicebatur in Cella noua. Antiquiſſimum monachorum græcorum; tum Cluniacenſium ſub Lucio II. & Ciſtercienſium ſub Iulio II. monaſterium. Gregorius XIII. conceſſit Collegio alumnorum Germanicorum. Septum chori ex porphyretico, & praſſino lapide; quattuor ibidem inſignes columnas nigras albis diſtinctas maculis extitiſ-

ſe fertur; has vidiſſe non meminimus. Inibi in porticu ſepulcrum lapideum ingens, quod Titi, & Veſpaſiani fuiſſe aliqui aſſerunt; ſupra quod hæc extitiſſe carmina.

*Conditur hic tumulo Titus cum Veſpaſiano*
*Patre è felici, ſed eminent proſpera Titi,*
*Vrbem Hieruſalem preſſit, Dominiq; rebelles,*
*Vtq.aper in ſylua crudelis ſolus in hoſtes*
*Expurgat Vineam Sabaoth ſpernendo laborem,*
*Reddidit & populo pro factis congrua nequam.*

In ſuperiori portæ marmoreæ limine muſiuo ornatæ hæc leguntur.

*Ad honorem D.N.Ieſu Chriſti An. 7. Pont. D. Innoc. Tertij Papę hoc opus nomine Iohanne Abbati V. bené factum eſt per manus magiſtri Iacobi . . , .*

## S. SABINAE

In Colle Auentino, ſupra Tiberim occaſum verſus, olim Dianæ; Templum ſatis ſplendidum, in vno ordine columnas tresdecim, in altero decem habens; olim Pontificum Sedes; habuit Bibliothecam nobilem, quæ capta Vrbe à milite barbaro cremata eſt. A Petro Illyrico Card.an 425. ædificatum, à Leone III renouatum, ab Eugenio II. ad meliorem cultum perductum & picturis vndique decoratum, atque corporibus Alexandri, Theoduli & Euentij martyrum, vt indicabant hi verſus extantes in pauimento ſub crate ferrea.

*Summa Papatus Eugenius arce locatus*
*Corpus Alexandri Præſulis egregij,*
*Nec non Theodoli ſimul & te martyr Euenti*
*Iuxta Sabinam, Seraphiamq; piam*

*Aede*

*Aede ſub hac poſuit, quam Petrus presb. Aedis*
*Sub Cœleſtino presbyt. Roma tuo.*
*Illis & cunctis ſacro baptiſmate lotis,*
*Vos Sancti Dominum eſſe rogate pium.*

A Iuliano Card. de Cæſarinis reparatum; Fatius Sanctorius Card. hortorum amœnitate eleganti præcinxit, ædibus inſtauratis. Poſtremò à Sixto V. in pręſentem ſpeciem redactum; ſub cuius altare maiori plura Sanctorum corpora requieſcunt. Eſt Titulus Card. ſub cura fratrum ordinis Prędicatorum. Plura extant hic epitaphia, inter quę affero ſequentia.

*Anno Dom. 1313. die 22. Ianuarij hic requieſcit ſanc. mem. Domina Stephania de Inſula generalis Hoſpita Ordinis Prædicatorum an. 43. Req. in pace.*

† *Anno Dom. 1312. die 17. menſis Iunij obijt nobilis armiger Gozo de Husbergen. de Teutonia, cuius anima req. in pace Amen.*

Ex Io: Franciſco Scardoua deſumpſi ſequens Auditoris Rotæ Romanæ.

*Antonius de Sanzes Capellanus Papæ hic ſe condi iuſſit, & pro eius, ſuorùmque animabus certa pecunia huic templo attributa tres ſingulis hebdomadis Miſſas diebus lunę, mercurij, & ſabbathi, in menſe anniuerſarium ab huius templi ſacerdotibus perpetuò celebrari reliquit. Vix. anno 96. obijt prid. non. Iul. 1577.*

## SS. SACRAMENTI

Oratoria ſunt parua templa pro exercitijs ſpiritua libus Societatum laicorum, quæ hic ſufficiens erit enumerare.

| | |
|---|---|
| S.Andreæ de Frattis. | S. Laurentij in Damaſo. |
| S.Auguſtini. | S.Laurentij in Lucina. |
| S.Cæciliæ transTiberim. | S.Mariæ transTiberim |
| SS.Celſi & Iuliani. | S. Nicolai in Carcere. |
| S.Chryſogoni. | S.Petri in Vaticano. |
| S.Iacobi Coxæcaballi. | SS.Quirici, & Iulittæ. |

## Capuccinarum

Templum in Quirinali à Societate Sanctiſſimi Crucifixi piorum eleemoſynis fabricatum an. 1575. ibiq; eſt Monaſterium Monialium.

## S. SALVATORIS

## In Campo

In Regione Arenulæ contiguum Monti pietatis eundo verſus Pontem Sixtum. Parochiale. Aliqua epitaphia refert Fr.Suuertius inter delicias orbis Chriſtiani. Anno *1639.* ſolo æquatum fuit pro ampliando palatio Montis Pietatis, & à fundamentis aliud in plateola dicto Monti proxima excitatum eſt.

## De Cupellis, ſeù de Cappellis

In Regione Columnæ, aliter Pietatis nuncupatum, vetus, & exiguum à Cęleſtino Tertio an. 1195. ædificatum. Cui à Paulo Tertio fuerunt vnita iura eccleſiæ S. Nicolai de Ceraſa aliàs de Pino regionis Columnæ, demolitę ad ornatum Vrbis an. 12. Pontificatus dicti Pontificis. Parochiale. Ibi eſt erecta Societas Ephippiariorum. De eo Fanuc lib. 4. cap. 22. oper. pior.

## De Curte

TransTiberim. Antiquiſſimum. Parochiale. A Curia olim hic exiſtente creditur ſic dictum. Curiam enim

Trans-

Transtiberim fuiſſe colligimus ex lege 12. tab. quæ iubet, debitorem in carcere conſtitutum, qui intra præſcriptum carceris tempus non ſatisfecit, capitis pœna puniri, vel Transtiberim peregrè vendi; Et ex Pomponij Lęti cap. 24. de Magiſtrat. Rom. cuius hęc ſunt verba. *Et quia Magiſtratibus veſpertinis temporibus in publicum eſſe inconueniens erat, quinque viri conſtituti ſunt cis Tiberim, & vltra Tiberim, qui poſſent pro magistratibus fungi:* eademq; repetit Lucius Feneſtella de Magiſtra. Rom. cap. 19. Item ex Actis Sanctorum Marij, Marthæ, & Sociorum, in quibus habetur. *Venerunt in caſtrum Transtiberim ad carcerem, & inuenerunt ibi hominem religioſum, nomine Quirinum &c.*

## In Laterano

In Cœlio ad Scalas ſanctas, vide ſupra Verbo, Sanctus Laurentius ad Sancta sanctorum.

## In Lauro

In Regione Pontis, propè Montem Iordanum à Cardinali Latino Vrſino cum Monaſterio à fundamentis ędificatum, & dotatum, quod ſub Innoc. Nono ab igne conſumptum in præſentem formam reſtitutum fuit; Idemq; Latinus eius regimen tradidit Canonicis S. Georgij in Alga.

## In Platea Iudæorum

paruum, & antiquum.

## Iuxta Pontem

Quod dicitur ſanctę Mariæ Aegyptiacæ trans Tiberim quattuordecim habens in duobus ordinibus columnas; antiquum, & parochiale. Hinc ad S. Ioannem

nationis Florentinæ tranſlata corpora SS. Proti, & Hyacinthi, quorum confeſſionem ornauerat ex argento Symmachus Papa. Vocabatur Pedepontis; eiq; eſt vnita Eccleſia S.Andreæ de Scaphis, vt in Bulla Greg.XIII. Dat.5.Kal.Martij 1574.

## In Primicerio

In Regione Pontis anno 1113. conſecratum:eſt parochiale. Sic dictum fortè ab aliquo in Primicerij dignitate conſtituto.

## In Subura

Paruum, & antiquum. à Cardinali Fr. Antonio Barberino Vrbani Papę VIII. fratre noua fabrica reſtitutũ: parochiale. forte eſt id, quod dicebatur Corneliorum, cuius meminit And. Fuluius lib.2. cap. de Monte Quirinali.

## In Thermis

Non procul ab Agonis Campo, & platea Madamæ, è Regione S.Ludouici Gallorum olim, vt aſſerunt, Pietatis; à S.Silueſtro dicatum Saluatori, & à Sancto Gregorio conſecratum. Ad illud quotidie maximus populi concurſus deuotionis cauſa.

## Ad tres Imagines

In platea Suburæ è conſpectu Vici Patritij, ferè ſemper, vt vidimus clauſum. Poſtremis Vrb.VIII. annis profanatum. Et anno 1651. religioni reſtitutum, conceſſũmque Confraternitati Sancti Franciſci de Paula nouiter inſtitutæ.

## In Turrione

Eſt proximum Palatio Inquiſitionis ſub eiuſdem cura.

In

## In Via Oſtienſi

Acta paſſionis S. Pauli dicunt, Plautillam Clementis Primi Papæ amitam, ni fallimur, nobiliſſimam matronam ad Portam Vrbis Trigeminam obuiaſſe Sãcto Apoſtolo. qui ab ea mutuò vittam petijt, reſtituturus poſt mortem, & ſic non longè à porta. cùmque ſciremus portæ proximius fuiſſe templum S. Eupli à Theodoro I. excitatum, ſeù potius ornatum, eodẽque à templo habuiſſe principium porticum ducentem ad Baſilicam dicti Apoſtoli, vt colligitur ex Anaſt. Bibliothec. in Hadriano I. & idem ſentiant aliqui recenſentes in Via Oſtienſi primò portam, tùm Sancti Eupli, poſtea S. Saluatoris templa, firmiter credidimus in S. Eupli huiuſmodi factum eueniſſe. At dum Pancirolus teſtatur, ſe vidiſſe in templo Sancti Saluatoris ſcalam, per quam velociter deſcendit ad occurrendum Apoſtolo, neceſſe eſt dicere, hoc vel idem fuiſſe cum templo S. Eupli, vel extincto S. Eupli ſua iura, ſcalam, & alia ad S. Saluatoris fuiſſe tranſlata.

## In Vnda

In Regione Arenulæ pauimento teſſellato; duodecim columnis in duobus ordinibus habens; recta à Sixti Ponte eundo ad Conualeſcentium Sanctiſſimam Trinitatem, à ſiniſtris occurrit. Eſt parochiale ſub cura Procuratoris generalis fratrum Conuentualium Sancti Franciſci. Plures conſtitutiones Pontificum Romanorum agentes de hoc templo edidit Fr. Lucas Vvadingus in Annalium Minorum tom. 5.

### S. SCHOLASTICAE

In Regione S. Euſtachij Archiconfraternitatis ſancti Benedicti. Vide ſupra Verb. Benedictus ad Ciambellam.

S Se-

## S. SEBASTIANI

### In Catacumbis

Extra portam Appiam in Agro ſanctæ Lucinæ iuxta Cœmeterium Calliſti ædificatum ſecundo ab Vrbe milliario, in loco, qui vocabatur ad Arenas, quia cryptæ arenarum illic erant, ex quibus Vrbis mœnia extruebentur. Eſt vnum è ſeptem, quod maxima populi frequentia viſitatur, & toto terrarum orbe celeberrimum. Eſt Abbatia commendari ſolita, ſub cura monachorum Ciſterciensſium Congregationis Fullienſis. Vide ſupra Verb. Fabiani, & aebaſtiani.

*D. O. M.*

*Io: Bodier Cenomano Philoſopho, ac Medico inſigni, cuius opera cum Iul.II.P.M. vteretur, illum huic ſacro D.Sebaſtiani monaſterio Abbatem præfecit. Vix. ann.75. m. 3. d.8. obijt 7. Cal.Iul.1517. Ioannes Lunelius Epiſcopus Sebaſtian.eiuſdem Monaſt. Abbas auunculo benemer. Poſ.*

Cęterum exactam huius templi, eiuſq; Reliquiarium, Indulgentiarum, & priuilegiorum deſcriptionem impreſſit Iacob de Albericis in Compendio hiſtoriarum S. Mariæ de Populo Vrbis pag. 79.

### In Palladio

In Monte Palatino, vbi Elagabali templum, imperatoriumq; Palatium, in cuius Hippodromo Sanctum Sebaſtianum ſagittis confoſſum, fuſtibuſq; cæſum ad vltimum vitæ ſpiritum acta Martyrum teſtatur. in huius rei memoriam à fidelibus excitatum in Palladio; infra olim domos Leonis, & Cencij Fraiapani, ſitum; & in Pallaria corrupto vocabulo dictum: Sanctæ Mariæ, & S.Zotici etiam appellatum, vbi Gelaſius

ſius II. electus fuit in Pontificem. A quodam Petro profeſſione medico reſtauratum. Andreas Fuluius lib. 3. tit. de cęteris Vrbis antiquis foris, ſcribit, ſe vidiſſe in hoc templo ſepulcrum Ioannis Papæ VIII. & Hieronymus Ferruccius in notis ad illum inquit, quadraginta abillinc annis templũ fuiſſe cultu deſtitutum, Sanctorumq; reliquias cum dicto ſepulcro ad ſanctæ Sabæ fuiſſe translatas. Certè Fuluius lapſus circa ſepulcrum fabuloſæ Papiſſæ Ioannis; Sepulcrum verò fuiſſe Titi, & Veſpaſiani cum pluribus credimus, cuius ſupra in ſancti Sabæ meminimus. Anno 1352. templum cum Monaſterio ſpectabat ad Montem Caſinum, vt refert Secundus Lancellottus in hiſtoria Oliuetana. Multis abhinc annis ruinis obſitum, cultùque ac veneratione publica deſtitutum à Thadæo Barberino Præneſtino Principe, Vrbis Præfecto, & Vrbani Papæ VIII. nepote noua fabrica, nouiſque ornamentis & cultu reſtitutum; quod etiam Bagliuiatus titulo decorauit cum amplis redditibus, Militiæ Hieroſolimitanæ vniuit, ac de iurepatronatus Barberinæ familiæ conſtituit; eiuſdèmque primus Bagliuius eſt Card. Franciſcus Barberinus.

## SS. SERGII & BACCHI

In Regione Montium; parochiale, conceſſum Collegio fratrum Minimorum nationis Calabriæ primũ, poſtea monachis Ruthenis:

## S. SILVESTRI

## De Capite

In Regione Columnæ à Stephano Papa in domo Patris ſui ædificari cœptum in honorem ſanctorum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, à Paulo I. eius fratre per-

perfectum. Erat antiqua Vrbis Abbatia vocata Inter duos hortos. Eſt ſub cura Monialium. De eo eruditiſſimam hiſtoriam edidit Ioannes Giacchettus anno 1629. typis Romanis.

## In Lacu

In Foro Romano; propè quod olim Regia Numi. Vide ſancta Maria Liberatrix.

## In Montibus

Vide, ſanctus Martinus in Montibus.

## Ad SS. Quattuor

Lapicidarum Confraternitas. Vide ſupra V. SS. Quattuor Coronati.

## In Quirinali

Olim Parochiale fratrum Dominicanorum, à Paulo Quarto conceſſum Patribus Theatinis: elegantiſſimum, nobilium illuſtriumq; virorum capellis & ſepulturis ornatum. Eſt in ingreſſu à dextris ſepulcrum primarij iuris criminalis in Vrbe conſulti cum hac inſcriptione.

OSSA PROSPERI FARINACII I. C. ROM.
NATVS DIE XXX. OCTOB. M.D.XLIV.
OBIIT IPSO DIE OBEVNTIS ANNI
M. DC. XVIII.

Item:

*Io Angelo Papio Salernitano Iuriſconſulto celeberrimo, Politioris doctrinæ elegantia excultiſſimo, Qui ius ciuile ſupra annos XL. in Patria, Auenione, ac Bononiæ*

*niæ primo loco glorioſæ docuit. E cuius domo & diſciplina Principes viri, quamplures prodierunt, vtriusque ſignaturæ Referendario, SanctæVniuerſalis inquiſitionis conſultori. Sub Gregorio XIII. & Sixto V. Pontifice Conſultæ auditori, vitæ innocentia, præſtanti morum ſuauitate, in extrema etiam ſenectute, iucundiſſimo. Vixit vegeta ſemper valetudine Obijt octogenario maior IV. non Sept. CIↃ. ꟾↃXCV. Auguſtinus Card. Cuſanus Præceptori optimè merito.*

SS. SILVESTRI & DOROTHEAE

Transtiberim

Vide S. Dorotheæ.

S. SILVIAE

Magni Gregorij matris à Cæſare Card Baronio huius loci Abbate Commendatario ornatum. Eſt apud templum ſancti Gregorij in cliuo Scauri.

S. SIMEONIS

In Regione Pontis apud Cęſiorum Palatium. Parochiale.

SS. SIMONIS & IVDAE

In Monte Iordano ab Vrſina familia excitatum& dotatum. Eſt Parochiale de Iurepatr. dictæ familiæ.

S. SIXTI

Via Appia ad infimam Piſcinam in Valle; oppoſitum Thermis Antonini: non inde procul fuit templum Iſidis, & Palatium Senatorum. Pompeius Vgonius exiſtimat hic fuiſſe templũ Martis Antiquiſſimus Tigridis Titulus ab Hadriano I. & Innocentio III. renouatus, apud quem Monaſterium Corſarum Leo IV. inſtaurauit.

Ibi in lapide.

I N H A C B A S I L I C A
REQVIESCVNT CORPORA
SANCTORVM MARTYRVM
IN PRIMIS
B. SIXTI PAPAE. FELICIS PAPAE
ZEPHYRINI PAPAE. ANTHEROS PP.
LVCII PAPAE. SOTHERIS PAPAE,
LVCIANI PAPAE, ET SOTHERIS
CALOCERI, ET PARTHENII
NILI EPISCOPI. ET LVCII
EPISCOPI. MAXIMI MART.

Olim erat monialium monaſterium, quarum Prioriſſa adhuc habet ſepulcrale epitaphium in ingreſſu Conuentus his verbis.

*Hic requieſcit corpus Ven. Dom. ſororis Catharinæ Iacobinæ Prioriſſæ huius Monaſterij ſancti ---- an. Dom. 1350. die . . . . menſis Februarij, cuius anima requieſcat in pace.*

Eſt ſub cura fratrum Prædicatorum S. Dominici.

## Ad Balnea Pauli

Vide ſupra V. ſanctus Dominicus.

## SPIRITVS SANCTI Monialium

In Regione Montium propè locum, qui dicitur Macellum Coruorum, à Petronilla Capranica Romana anno 1432. excitatum. Eſt ſub cura Monialium ſub regula Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini.

Aſſeruatur inter illas imago Saluatoris miraculo inſignis,

## Neapolitanorum

In Regione Arenulæ, in Via Iulia, olim S.Aureæ dicatum, cui erat annexum Monaſterium Monialium ad S.Sixti tranſlatarum.Eſt ſocietatis nationis Neapolitanæ.

## In Saxia

In Burgo, ornatiſſimum, religioſe, & eleganter cultum: à Leone IV. ſub inuocatione B. Mariæ ſcholæ Saxonum excitatum;cui adiunctum eſt Hoſpitale ampliſſimum ab Innocentio III. ędificatam, in quo Reges aliquot ex Anglo Saxonibus, & Reginam Cypri decubuiſſe leguntur: à Sixto IV.iterum conſtructum, dotatum, & maximis priuilegijs munitum. In eo aluntur infirmi, pueri puellæq; proiectæ, moniales multitudinis ferè innumerę ex ampliſſimis redditibus ſub cura fratrum,S.Auguſtini regulam profitentium. In eo plura ſunt epitaphia; hæc tantùm accipe.

*I. C. R.*

*IVLIA COLVMNA EX PRAENESTINOR. Principum ſobole, Catharinæ Sabellæ filia, Petri Margani olim, & Proſperi Columnę Marſię Ducis poſtea coniux hoc marmore tegitur, quæ nullis ſuſceptis liberis inſigni adeò religione, & pietate ann. 42. cœlibem vitam duxit, vt ſumma cum laude omnium lumina in ſui admirationem conuerterit, liberali munificentia Virginibus collocandis, ornandis, augendiſq. templis, cęnobijs, pijſque locis ſupra quam credi poſſit grandi pecunia erogata, ſacrã hanc Hoſpitalem Aedem ſancti Spiritus in Saxia hæredem inſtituit, Chriſtianæ pietatis officijs probè functis, honoribus, & ſanctis ope-*

*operibus conſpicua 8. Cal. Aprilis peculiari ſibi Virginis Annuntiatæ die publicis pauperum deplorata lacrymis octuogenaria migrauit ad Dominum, ſalutis anno 1571. B. Cirillus Aedis eiuſdem Præſul grati animi monumentum poſuit.*

In vltima Capella à dextris.

*D. O. M.*

*D. Andreas Veſpinus patria Almennus in Bergomis, humilis ac voluntate pauper, mira in egenos, ægroſq; pietate, nec ſine ſanctitatis de ſe opinione hic ſpiritum Deo reddens breui contegitur humo 8. Id. Iunij an. Dom. 1620.*

## S. STANISLAI

In Regione Pineæ, in loco vulgariter dicto, le Botteghe oſcure, à Natione Polona an. 1580. à fundamentis erectum ex legato Card. Stanislai Hoſij. Habet annexum Hoſpitium pro natione.

## S. STEPHANI

### In Ægypto

In Vaticano; templum Aegyptiorum, ſiue Abaſſinorum, qui vulgò dicuntur, Indiani. Ibi.

*D. O. M.*

*Hic iacet Muſa Franciſcus Afferia filius Principis Libiæ, qui diſceſſus è domo ſui peregrinatus eſt Hieruſalem, & Romam, vbi egregia opera huic domui fecit. Vixit an. 40. mortuus eſt an. Dom. 1616 menſ. Nouemb.*

Ibi Aluntur aliquot Aegyptij ſumptibus Palatij Apoſtolici.

## De Cacco

In Regione Pineæ, prope Collegium Romanum, ſic dictum à Cynocephalo marmoreo, aliàs Oſiride, vulgò Cacco nuncupato, hìc olim exiſtẽ cum Nilo, Sphyngibus, & alijs in Capitolium, & aliò translatis. Paruum, & antiqunm, nec non parochiale ſub cura Monachorum Silueſtrinorum.

## Alle Carrozze

Vt vulgò dicitur, olim Herculis, antiquiſſimum, paruum, & rotundum habens in circuitu viginti columnas. Eſt familię Sabellæ in Regione Ripæ in Platea S. Mariæ Scholæ Græcæ. Idem appellatur in columnis Ripæ ad radices Auentini, ab Albertino cap. de nonnull. Eccl. & cappel. p 83. Paucis abhinc annis in eodem cœpit veneratio Imaginis B. Virginis, miraculis inſignis.

## Hungarorum

In Burgo apud S. Petrum S. Stephano Hungarorum Regi dicatum, ſub cura Collegij Germanici; olim Procur. Generalis tertij ord S. Franciſci, vt in conſt. 103. Martini V. in Annal. Vuadingi tom. 5.

## In Piſcina

In Regione Parionis ad S. Luciæ cloacam: fit de eo mẽtio in Chronicis Martinianis, quod olim ornatum aureis, & chriſtallinis operibus fuiſſe aſſeritur. Eſt Parochiale.

## Rotundi

In Cœlio, olim Fauni, vel Claudij Secundũ Vgonium forma circulari, in primò ambitu columnæ 20. cum dua-

duabus pilis in orbem diſpoſitæ. In II. qui in muri partem ceſſit 43. Tertius ambitus dirutus eſt, qui quaſi murus illud totum ſpacij occupauit, vt in hortis ex ruinis apparet. A Simplicio Papa dedicatum, ab Hadriano Primo, & Nicolao V. ferè renouatum. A Gregorio XIII. conceſſum Collegio Germanico, quod ornatiſſimum reddidit triumpho martyrum, circumquaque, pictura Nicolai Circiniani expreſſo. Eſt in medio Altare ingens ligneum ædificium maxima arte elaboratum pro cuſtodia Sanctiſsimi Sacramenti.

## In Trullo

Quod & S Iuliani nunc dicitur, in Regione Columnæ in platea dicta, di Pietra, vbi Porticus antiqua Antonini; olim parochiale; tum vnitum à Pio IV. Hoſpitali Dementium; poſtea Religioni Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum. Nunc Tabernariorum ſocietatis.

## STIGMATVM S. Franciſci

Vide Sanctorum Quadraginta Martyrum.

## SANCTISSIMI SVDARII

In Regione S.Euſtachij, in platea Senenſi, ſeù Piſtorũ an.1597. à Natione Sabauda excitatum.

## S. SVSANNÆ

Dictum ad duas domos, in Colle Quirinali ſitum, in Vico olim dicto Mamuri, prope Salluſtij forum, nunc in Thermis. In propria S.Gabinij patris S. Suſannæ,

excitatum domo,apud quam erat alia S. Caij Papæ fratris dicti Gabinij in templum verſa,ob idque Statio deputata fuit in duabus Domibus. Antiquiſſimum à Ioanne Sexto. cibotio marmoreo ornatum: Ab Hadriano I. nouo tecto reſtauratum, à Leone Tertio à fundamentis nouiter ædificatum, vt ſequens inſcriptio in abſide muſiua indicabat.

*Dudum hæc B. Suſannę martyris Aula coanguſto, & tetro exiſtens loco marcuerat: quæ* D. Leo III. *Papa à fundamentis erigens, & condens corpus B. Felicitatis mart. comptè ędificans ornabit atq; dedicabit.*

Quod ſub Clem. VIII. vetuſtate deformatũ Hieronymus Card. Ruſticucius ferè totum renouauit, picturis vndèquaque decoratũ monaſteriũ pro monialib. conſtruxit, templi proſpectum ex tiburtino marmore à fundamentis pulcherrimum erexit. Franciſcus Scottus ſcripſit in ſuo Itinerario, habuiſſe pulchrã Ciſternam, & vas æneum aquæ luſtralis. Eſt titulus Presb. Card. Parochialis ſub cura Confraternitatis S. Bernardi, quæ Monialium hìc exiſtentium curam habet.

## S. TECLAE

In Burgo, Monialium S. Spiritus Sacellum.

## S. THEODORI

Sub Palatino, & Hortis Farneſiorum. Olìm Romuli Rotundum & antiquum. Fortè hìc Ara Accæ Laurentiæ nutricis Romuli, & fratris, ac eius ſepulcrum: Vel hìc fuit ficus, ſub qua in ſpelunca expoſiti fuerunt ad Tiberim Romulus, & Remus. Vocabatur huiuſmodi ficus Ruminalis, eo quod mamma, quæ infantibus lac dedit, rumis appellatur à Sex. Pompeio. A Nicolao Quinto renouatum. De Nicolai ſtructura hæc Stephanus Infeſſura in Diarijs.

*Fece di nuouo la Chieſa di S. Theodoro doi volte: la prima acconciò la vecchia, la quale, acconcia che fu, caſcò da fondamenti, & lui la riſece vn poco più in là, & poco minore, che non era.*

Huc pueri incurabilibus infirmitatibus detenti accedunt valetudinem recuperaturi interceſſione S. Theodori, quem vulgus appellat S. Totum.

## S. THOMAE

### Cinciorum

In Regione Arenulæ apud Palatium familię Cinciæ à Franciſco Cincio an. 1575. renouatum, & dotatum. Eſt parochiale.

### In Formis

Quia apud Aquæ Claudiæ formam. olim fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis redemptionis Captiuorum; tùm Poncello Vrſino Card. Commendatum ex Bonifatij IX. indulto; nunc eſt Baſilicæ Sancti Petri in Vaticano.

### In Parione

Anno 1139. ab Innocentio II. conſecratum, vt habebatur in inſcriptione huius tenoris.

*Anno Dominicæ Incarn. 1139. an. 9. Pont. D. Innocentij Papa II. menſ. Decemb. die 21. conſecratum eſt hoc templum & Altare ad honorem Dom. Dei Ieſu Chriſti & B. Mariæ ſemper Virg. & B. Thomę Apoſt. per manus eiuſdem Dom. Innoc. II. Papę, & Fulgerij Turentis Eccleſię Archiepiſcopi & Conradi Sabinen. Epiſcopi, & Cluſien. Epiſcopi. Reliquię verò, quas in dicto Altare recondidit hę ſunt. Brachia Damaſi*

Pa-

*Papę, Silueſtri Papæ, Greg. Papæ, De Veſtimento B. M. Virg. De Pane hordaceo, de lapidibus ſancti Stephani, de ſanguine ſanctę Luciæ Virg. ſancti Nicolai & Valentini Epiſcopi, Sebaſtiani mart. Tranquillini, Phocæ mart ſanctorum Quattuor Coronatorum. ſanctorum Ioannis, & Pauli, Sanctorum Chryſanthi & Dariæ Sanctorum Coſmæ & Damiani, ſanctarum Nymphę V. & M. Sophię, Balbinę V. & M. Marthæ & Petronillę Virg.*

A Mario, & Cammillo de Cerrinis an. 1582. magno ſumptu reſtauratum. Parochiale.

## Florentinorum

Sancto quoque Vrſo dicatum in Regione Pontis: nũc dicitur Oratorium Pietatis nationis Florentinæ.

## S. THOMAE CANTVARIEN.

In Regione Arenulæ inter Palatium Farneſiorum, & Carceres Sabellorum, ab Offa Anglorum Rege anno 630. ędificatum, in quo Gregorius XIII. Seminarium Anglorum inſtituit ſub cura Patrum Soc. Ieſu qui templum eleganti pictura Nicolai Circiniani ornarunt.

## SS. TRINITATIS
## Anglorum

Idem cum antecedenti.

## Conualeſcentium

In Regione Arenulę, olim S Benedicto dicatum, & à familia Scotta. Scottorum dictum, vt Grimaldus arbitratur; quod ſi verum eſt, fuit antiqua Vrbis Abbatia relata à Panuinio. A Paulo IV. an. 1558. Conſra-

fraternitati Laicorum conceſſum. magnum, pulchrum capellis ornatum. Habet imaginem B. Mariæ Virginis exiſteñ olim in pariete domus DD. de Capranicis, hùc translatam 11. Iulij 1562. quamplurimis illuſtrem miraculis. In adiuncto Xenodochio hę extant inſcriptiones.

S. PHILIPPO NERIO
CVIVS CONSILIO ATQVE OPERA
ARCHICONFRATERNITAS SANCTISSIMAE
TRINITATIS INSTITVTA EST.

*CLEMENTI VIII. PONT. MAX.*
*Quod Xenodochium paterna charitate inuiſerit, ſingulariq; liberalitate ſuſtentauerit Sodalitas oportune eius ope conſeruata Poſ. M. DXC. VII.*

VRBANO VIII. PONT. MAX.
*Cœleſtis, humanæque rei diſtributori liberaliſſimo, quòd anno Iubilei 1625. apertis vtriuſq; munificentię valuis Xenodochium hoc ære plurimo iuuit, noua ſupellectile auxit, præſentia ſæpius illuſtrauit, Sodalitas grati animi monumentum poſuit.*

INNOCENTIO X. PONT. MAX.
QVOD INSIGNI EIVS LIBERALITATE
DIFFICILLIMIS XENODOCHII TEMPORIBVS
VETVS IN EXCIPIENDIS PEREGRINIS MOS,
ET LAVS
RETINERI ATQVE FLORERE POTVERIT
BENEFICII MONVMENTVM SODALITAS
POSVIT.

ANNO IVBILEI M. DC. L.

*Al-*

*Alexandro Peretto S.R.E. Card. Montalto V Cancellario huius Xenodochij Patrono, cuius interea inopiam, ingenti ſuppeditato ęre, ſæpe ac ſubinde leuauit, vt ſua fructum munificentiæ communi peregrinorum hoſpitio largiter impartitum cumtoto terrarum orbe cõmunicaret Sodalitas ad grati animi teſtificationem Poſ. an. 1624.*

*Franciſco Contarello nobili Gallo Ciui Romano, Matthæi Card. Contarelli nepoti Sodalitas Sanctiſſimę Trinitatis ex aſſe abſq; vllo onere hæres in oculis confluentium ad Vrbem vndiq; populorum homini ob beneficentiæ amplitudinem de vniuerſis nationibus optime merito, grati animi monumentum Poſ. Anno Iubilei 1625.*

## Hortulorum

In Colle, ſeù Pincij, cœptum à Carolo Octauo Galliæ Rege cum cœnobio Minimorum fratrum, admonitu S.Franciſci de Paula eius familiæ fundatoris tum viuentis, & multorum impenſa; nec non Pontificia liberalitate perfectum, & ornatum. Vtrinque Sacella habet elegantibus picturis. amœnitate loci pulcherrimum. Eſt religionis dicti S. Franciſci.

D. O. M.

*R.D. Laurentio Scorzino Florentino, qui huic eccleſię eleemoſynam cum ſuo corpore reliquit, vt pro anima ſua, & omnibus in Domino defunctis qualibet hebdomada ſacrum fiat exceſſit ſexagenarius 4. Cal. Nouembris 1589. Executores poſ.*

Viſſi

*Viſſi molt'anni, anzi poch'anni viſſi*
*Ardiſco dir non viſſi pochi, ò molti,*
*Poiche ogni dì in quel dì moriamo, e tolti*
*Ne ſono gl'anni, che poi in Ciel ſien fiſſi.*
*Idem compoſuit.*

D. O. M.

*Liuiæ Poſterulæ Romanæ pietate erga Deum, ſingulari corporis forma, morumq; venuſtate admirabili, partus acerbitate aſſumptæ teſtamenti executores poſ.*
*Vix.an.27.obijt die 7 Maij 1581.*
*Plaudite vos ſteriles, quæ ob prolem mater, & ipſam*
*Quæ ob matrem proles viueret, interijt.*

## S. TRIPHONIS

Contiguum ſancti Auguſtini templo Societatis Sanctiſs Sacramenti Laicorum.

## S. VALENTINI

Et ſancto Sebaſtiano dicatum in Platea Matthæiorū ea parte, quæ vulgò dicitur, all'Olmo: olim Parochiale, nunc Confraternitatis Laicorum merciariorum, vt aiunt, Vnguentariorum, Sericariorum, &c.

## S. VENANTII

A Ioanne IV. iuxta fontem Lateranenſem ss. Martyribus Venantio, Anaſtaſio, Mauro, & alijs martyribus, quorum reliquiæ de Dalmatia, & Iſtria adductæ hic reconditæ ſunt. Vocatur etiam Theodori Papæ Baſilica, quia idem perfecerat quod Ioannes prædeceſſor inchoarat; ob idque in Apſide ex muſiuo ambo repræſentati. Ab anno 1575. vocatur ſancta Maria ſancti Ioannis ab Imagine miraculis illuſtri

hic

hic exiſten. Eſt Baſilicæ ſancti Ioannis Lateranenſis ibiq; in pariete hoc legitur epitaphium.

*Hic tumulatus adeſt Ranaldus nomine condam,*
*Robarius dictus, quem clara Placentia geſſit,*
*Qui vir lætus erat, prudens, multumq; benignus*
*Gregorij Deni Cuſtos ſecretus, & actor.*
*Ille ſuæ vitæ numerum prędixit eidem.*
*Huic fuit Ottobonus genitor, qui iure refulſit*
*Qui tumulo ſtatuit hoc illius oſſa reponi.*
*Hic cum migrauit, mundique reliquit habenas,*
*Mille ducenteni fuerant ſeptemq; decenæ*
*Nec non ſex anni, menſis dum Martius iret*
*Ipſius intrante ſeptena luce per orbem.*

## SS. VINCENTII ET ANASTASII

Extra Vrbem ad Viam Oſtienſem in Villa, quæ in actis SS. Gordianæ & Marinæ vocatur, Aqua Saluia: Eratq; poſſeſſio, quam Maſſam vocabant, iuris Monaſterij Sancti Pauli ex B. Gregorij Papæ conceſſione. Hadrianus I. templum huiuſmodi, Baptiſterium, Egumenarchium, cęteraq; ædificia, nocturno ſilentio exuſta à nouo in meliorem ſtatum renouauit. Ab Honorio Tertio conſecratum, cuius conſecrationis eſt adhuc lapis à dexteris Altaris maioris. Innocentius Secundus an. 1140. ſancto Bernardo Abbati Claræuallenſi tradididit, qui Congregationem monachorũ Ciſtercienſium ibidem inſtituit. Idem adhuc Cirſtercienſes prouinciæ Thuſciæ incolunt. A centũ quinquaginta ferè annis Cardinali S.R.E. commendari ſolet: eſtq; Abbatia ditiſſima, ibique caput ſancti Anaſtaſij monachi, aliæque inſignes reliquiæ extant. Vide etiam ſupra V. ſancti Anaſtaſij, Maria ſcala Cœli

Cœli, & Paulus ad Aquam Saluiam.

## Coquorum

In Regione Arenulæ ſupra Ripam Tiberis. Vide ſupra V.S.Anaſtaſius.

## In Triuio

Quod Iulius S.R.E. Card. Mazarinus à fundamentis reſtituit: Parochiale conceſſum fratribus S.Hieronymi à Paulo V. ann.1612. locò ſancti Saluatoris è conſpectu ſancti Silueſtri in Quirinali ſolo æquati Hic eſt Altare SS.Hippolyto, & Caſſiano erectum ad retinendam religionem templi huic proximi ſolo æquati.

## S. VITALIS

In Valle Quirinali. Olim hìc fuiſſe Attici domum, quidam antiquitatis non ineruditus ſcripſit. Ab illuſtri fœmina nomine Veſtina, ſanctis Geruaſio, & Prothaſio fabricatum tempore Innocentij I. A Leone III. reſtauratum; poſtremò à Soc. Ieſu, quæ illud poſſidet, picturis elegantiſſimis ornatum, ibìque olim Canonici extiterunt.

## S. VITI

In Exquilino, vbi fuit Macellum vetus, ob idq; in Macello appellatur. A Sixto Quarto reſtauratum. Ex huius loci Monaſterio aſſumptus fuit in Pſeudo Pontificem, tempore Stephani IV. Philippus Presb. Ignoramus an locus iſte diceretur ad Sardas, vel in vico Sardorum, vt colligitur ex Anaſt.pag. 202. nam pag.284. circa finem, Vicum Sardonum (quem alij duo Codices Marquardi Freheri legunt Sardorum) conſtituit idem Anaſtaſius trigeſimo ab Vrbe milliario

rio. Hùc à rabidis admorſi canibus confugiunt, panemq; in oleo ſancti Viti tinctum comedentes, ſanitatem ſe impetraturos ſperant. Eſt huius rei teſtimonium in marmore ſupra portam interiorem his verbis.

*FEDERICVS COLVMNA*
*PALIANI PRINCEPS*
*A rabido cane admorſus Beato Vito liberatori ſuo Aedem reſtaurauit anno ſal. M.DC XX. Olim erat Confraternitatis ſancti Bernardi, quæ monialium monaſterium ibi inſtituerat ſub Sixto V. At ob anguſtiam loci ad monaſterium ſanctæ Suſannę iiſdem translatis, locum hunc penès Ciſtercienſes monachos reliquerunt.*

## S. VRBANI

In Campo Caroli Leonis in Regione Montium anno 1264. erectum, vt indicat hæc ſupra portam inſcriptio.

*† Anno ab Incarn. D 1264. Ind. 7. menſ. Aug. die 25 Vrbanus Papa Quartus hoc monaſterium fieri fecit ad preces Iacobę filiæ Petri Blanci in domo patris ſui.*
*Aue Maria gratia plena.*

Credimus hanc inſcriptionem fuiſſe in antiquo monaſterio & eccleſia ſita poſt abſidem noui templi, eaq; adhuc viget profanata & in fœnile redacta, & inferiùs ſub eadem inſcriptione legitur.

*S. Vrbano Papæ, & mar. antiquę memoriæ reſtitutę monaſterioq; ſacrarum Virginum iterum auctę an. Iubilei 1600.*

Ex-

Extincto primo Monaſterij inſtituto, vnitum fuit templum Baſilicæ S.Laurentij extra mœnia Vrbis, quod poſtea ad inſtantiam Cæſ. Card. Baronij, & Fuluiæ Sfortiæ conceſſit Clemens VIII. puellis, quas vulgus appellat, Sperſę S Euphemiæ, ad erigeń ibi ordinem monialium Sanctæ Claræ obſeruantiæ Capuccinarum.

## Ad Viam Appiam

Seù potius inter viam Latinam, & Appiam in Vinea quadam abſconditum, vſuiq; profano addictum quod Franciſcus Card. Barberinus publicæ venerationi expoſuit ac reſtituit, via aperta, templi muris ſacriſq; picturis reſtitutis, Sacrario cubiculisq; Sacerdotis commoditati extructis. Huiuſmodi fabricam eſſe illam, quam ſupra corpora SS. Vrbani, aliorũq; Martyrum feciſſe B. Armeniam, ſeu Marmeniam Acta martyrum teſtantur, ex pluribus poteſt argui; ſed hic non eſt locus veritatem indagandi. Cæterum templum eſt quadratum firmiſſimæ fabricæ, picturis antiquiſſimis circumquaque ornatũ Sanctorũ Vrbani, Ioannis, Chromatij, Dionyſij, & trium Diaconorum Martialis, Eunuchi, Luciani martyrum, & aliqua S.Cæciliæ geſta repræſentantibus. Sub eodem deſcenditur per aliquot anguſtos gradus, vbi paruum cubiculum cum alijs ſuperioribus, quæ videtur eſſe ſepulcra diſturbata, quorum ſuper vnum eſt imago parieti picta antiquiſſima B. Virg. Mariæ, cui à dextris alia S. Vrbani Papæ, à ſiniſtris alia S.Ioannis. Hic aderat Ara marmorea à ſolo ſeiuncta, in qua inciſus ſerpens caudam ſibi mordens, & hæc græca inſcriptio.

ΕΣ ΤΙΑΙΔΙΟΝΤΣΟΥ
ΑΠΡΩΝΙΑΝΟΣ ΙΕΡΟΦΑΝΤΗΣ

Quæ

Quæ latinè ſic explicatur *Aræ Dionyſij, ſiuè Bacch Apronianus Sacerdos.* In Eccleſia erat marmorea tabula cum hac inſcriptione.

ALDEFORA ELPIDIA
INLAESI GENITALIS THORI
Fœmina ſingulari pudicitia, rari exempli
fœmina, quæ bene bibendo maritali
ſecuta eſt diſciplina.
Quæ vixit annis 34. menſes 11. dies 6.
quieſcit in pace,
Quæ fecit marito ſuo Heterio ann. 18.
compari mœrenti fecit.

## DE PYRAMIDIBVS, ET COLVMNIS veris Numinibus in Vrbe dedicatis.

## CAP. X.

OBELISCVM Aegypto aduectum, & in Vaticano Caij, & Neronis Principum Circo olim locatum (qui propè ſacrarium templi Sancti Petri ante Sixti V. Pontificatum erectus, totuſq; baſi, & vltra obrutus erat) DIVO CAESARI D. IVLII F. AVGVSTO TIB. CAESARI D AVGVSTI F. AVGVSTO SACRVM altitudine cubitorum centum Sixtus V. P M. in plateam Principis Apoſtolorum transferri curauit anno 1586. à Dominico Fontana, Architecto è pago Mili agri Nouocomenſis, Sanctiſſimæq; Cruci dicauit, in

ſummitate hac inſcriptione inciſa:

SANCTISSIMAE CRVCI SACRAVIT SIXTVS V. P.M. E PRIORI SEDE AVVLSVM, ET CAESARIBVS AVGVSTO, ET TIBERIO I.L. ABLATVM

Et in baſis parte boreali.

*SIXTVS V. PONT. MAX.*

*Cruci inuictæ obeliſcum Vaticanum ab impura ſuperſtitione expiatum iuſtiùs, & feliciùs conſecrauit anno 1586. Pont. II.*

Et in parte meridionali.

*SIXTVS V. PONT. MAX.*

*Obeliſcum Vaticanum Dis gentium impio cultu dicatum ad Apoſtolorum limina operoſo labore tranſtulit Ann. 1586. Pont. II*

Omnibus autem vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus in perpetuum per dictam plateam quaquà verſum, die noctuq;ac vltrò citroq;tranſeuntibus dictam Crucem ſemel orationem Dominicam,ac ſalutationem angelicam recitando,adorantibus decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis,aut debitis pœnitentijs idem Sixtus relaxauit. Datis literis prid. non. Nouembris Pont.an.II.

Alium omniũ maximum ægyptiacis characteribus inciſum locauit Conſtantius Auguſtus in Circo Maximo: eundem prolapſum, ac' fractum Sixtus V. inſtaurandum, & in area Lateranenſi ſtatuendum curauit, ſuperimpoſita Sanctiſſima Cruce, & in baſi hac inciſa inſcriptione.

*SIXTVS V. PONT. MAX.*

*Obeliſcum hunc ſpecie eximia, temporum calamitate fractum Circi Max. ruinis humo, limoq; altè demerſum multa impenſa extraxit, hunc in locum magno labore tranſtulit, formæ priſtinæ, accuratè reſtitutum Cruci Sanctiſſ. dicauit Ann. 1588. Pont. IV.*

Mi-

Minorem eiuſdem Circi Maximi Obeliſcum, quem *Imp. Cæſar Diui F. Auguſtus Pont Max. Imp. XII. Coss. XI. Trib. Pot. XIV. Aegypto in poteſtatem Populi Romani redacta Soli donum dedit.*

Idem Sixtus Cruci conſecrauit in area Populea, & in aditu Flaminiæ Portæ. In baſi huiuſmodi legitur inſcriptio.

*SIXTVS V. PONT. MAX.*
*Obeliſcum hunc à Cæſare Aug. Soli in Circo Maximo ritu dicatum impio, miſeranda ruina fractum, obrutumq; erui, transferri, formæ ſuæ reddi, Crucią; inuictiſſ. dedicari iuſſit An. 1589. Pont. IV.*

Quartum, quem in Exquiliarũ colle videmus iuxta Baſilicam Sanctę Mariæ Maioris.

*SIXTVS V. PONT. MAX.*
*Obeliſcum Aegypto aduectum Auguſto in eius Mauſoleo dicatum, euerſum deinde, & in plures confractum partes in via ad S Rocchum iacentem, in priſtinam faciem reſtitutum ſalutiferæ Cruci felicius hic erigi iuſſit An. Dom. 1587. Pont. III.*

Columnã cochlidem rebus Dacicis inſculptam ad radices Collis Quirinalis eò, quò dicitur, Balnea Pauli, à Senatu Populoq; Romano antiquitùs Traiani cineribus ſtatutam, Sixtus V. in eius faſtigio ſancti Petri inaurato ex ære ſimulacro poſito, eidem dicauit, & ad eius pedes hanc inſcriptionem incidi fecit.

SIXTVS V. B. PETRO APOST. PONT. AN. III.

Antonini Pij columnã cochlidem in eius foro erectam à S.P.Q.R. ruinoſam, & incendijs ac vetuſtate vndiq; exeſam, Sixtus V. refectis ſigillis, & baſi, atq; in ſummo ex ære inaurata D. Petri ſtatua poſita reſti-

ſtituendam curauit. Res habetur in baſis hiſce inſcriptionibus.

In parte meridionali.

*SIXTVS V. PONT. MAX.*

*Columnam hanc cochlidem Imp. Antonino dicatam, miserè laceram ruinoſamq; primę formæ reſtituit*

*Anno* 1589. Pont. IV.

Ad Orientem.

SIXTVS V. P. MAX. COLVMNAM HANC AB OMNI IMPIETATE EXPVRGATAM S. PAVLO APOSTOLO AENEA EIVS STATVA INAVRATA IN SVMMO VERTICE POSITA DD. ANNO M. D. LXXXIX. PONT. IV.

Paulus V. beneficentiam Sixti in Rempublicam, eiusq; religionem in Baſilicam Liberianam æmulatus Columnam præ foribus collocandam ſtatuit, & in baſi ante Baſilicæ frontem hæc legitur inſcriptio.

*PAVLVS V. PONT. MAX.*

*Columnam veteris magnificentię monumentum informi ſitu obductam neglectàmque ex immanibus templi ruinis, quod Veſpaſianus Auguſtus acto de Iudæis triumphq, & Reipublicæ ſtatu confirmato, Paci dicauerat, in hanc ſplendidiſſimam ſedem ad Baſilicæ Liberianæ decorem augendum, ſuo iuſſu exportatam, & priſtino nitori reſtitutam*

BEATISSIMAE VIRGINI

EX CVIVS VISCERIBVS PRINCEPS VERAE

P A C I S

G E N I T V S E S T

*donum dedit, æneamq; eius ſtatuam eius faſtigio impoſuit.*

*ANNO DOMINI M. DC. XIV. PONT. IX.*

# DE SACRO ROMAE SVBVRBIO
## CAP. XI.

PRAESENS Caput ex Mombritio, & ex pluribus manuſcriptis Codicibus Bibliothecarum Vaticanę, Vallicellanę, & Barbarinę congeſſimus. Cumq; poſtea in lucem prodierit opus Antonij Boſij inſcriptum, Roma Sotterranea italicè; tùm latinè labore Pauli Aringæ, in quo forſan eadem, & numeroſiora (legantur), nos indubiam codicum à nobis excurſorum fidem ſecuti, illud amplius omiſimus, ne actum agere quoque videremur.

APPIA VIA extra portam Vrbis, quæ hodiè dicitur, S Sebaſtiani, primo ab Vrbe milliario erat Arenarium, vbi frequenter Chriſtiani perſecutionũ temporibus conueniebant, ibiq; plura martyrum Cæmeteria.

In eadem, milliario ſecundo, ſepulti SS. Marcus, & Marcellianus. Hùc è Scarabatenſi Vrbe translatum S. Quirini Epiſcopi corpus, ibìque ſepultum in loco, qui dicitur Catacumba, olim Lucinæ matronæ religioſiſſimæ agro, vbi item S. Tarſicius, ac S. Euſebius presbyteri ſepulti.

In eadem, milliario tertio, inter ſepulcra Martyrum latitabat Vrbanus Papa, qui demùm extra Dianę templum decollatus, eademq; via ſepultus.

In eadem comprehenſi Græci ſacra Apoſtolorum Petri, & Pauli corpora deferentes extra Vrbem Nec non paſſi ſunt SS. Marcellus presbyter & Decoratus Diaconus.

Per hanc viam ductus B. Sixtus Papa ad templum Martis, cuius pars comminuta fuit. Hoc templum fuiſſe ſitũ in loco montuoſo conijcitur ex Actis mar-

tyrij S. Sixti, eiuſq; Diaconorum Feliciſſimi, & Agapiti, qui decollati fuerunt ante templum in cliuo Martis. Idem fuiſſe ſitum in loco, qui dicitur S. Maria de Palmis ſcribit Seueranus in 7. Eccleſ. fol. 456. De Cliuo Martis in planitiem redacto extat inſcriptio apud Celſum Cittadinum fol. 35. in tractatu de origine linguæ vulgaris; & repetita à Grutero fol. 152. n. 7 item alia in eod. Grutero d. fol. n. 6.

Ante idem templum Lucilla filia S. Nemeſij gladio iugulata fuit. Tertullinus iuſſu Sapricij Præfecti ibidem decollatus fuit: Necnon S. Cornelius Papa cum ſocijs. Ad idem ductus Sanctus Stephanus Papa.

In eadem via erat Palatium Veſpaſiani, vbi tyrannorum tribunali plures SS. Martyres ſiſtebantur.

In eadem erat locus, qui dicebatur Pagus, quarto ab Vrbe milliario, in quo per templi ianuam tranſitus erat; ita vt omnis, qui ingrederetur, ſi Ioui thura non poneret, puniretur: Ibiq; erant templa Iouis, Saturni, Iunonis, Veneris, Mineruæ, & Dianæ: Hùc ducti S. Vrbanus cum ſocijs.

Iuxta hunc pagum erat locus, Trucidatorum nuncupatus in Actis martyrum.

IN VIA ARDEATINA ſepultus S. Damaſus Papa iuxta matrem ſuam in Baſilica à ſe conſtructa.

In eadem, Baſilica ſancti Marci, & Cœmeterium Balbinæ, cui dona, & prædia contulit Conſtantinus Auguſtus.

Eadem via, milliario vno, & ſemis ab vrbis mœnibus Domitillæ prædium. Eadem via ſeptimo ab vrbe milliario ſancti Nicomedis caſella, in qua ſepulti plures martyres.

IN VIA AVRELIA, quę à Ciuitate Aurelia diſtante ab Vrbe & à mari milliario octauo, forſan ducit

ducit denominationem; in Actis enim ſancti Baſilidis apud Mombritium tom. 1. fit de ea mentio, ſed copioſiùs in actis ss. Baſilidis, Tripodis, & Magdalis in Codice, olim Fanenſis Eccleſiæ (nunc Barbarinæ Bibliothecæ) plures occiſi ob fidem chriſtianam ſancti viri, inter quos Antonius carnifex, qui factus chriſtianus capitis ſententiam ſubiuit eadem Via iuxta Viam Traianam. In eâ ſepultus S. Petrus Princeps Apoſtolorum. In eadem erat cœmeterium Calepodij, in quo ſepulti Iulius Senator, dictus Antonius, ſanctus Calliſtus Papa: Itẽ Felicis Papæ Baſilica, in qua ipſius corpus ſepultum à Damaſo Presbytero, poſt quam fuerat capite truncatus iuxta formas Traianas.

In Arenario ſexto ab Vrbe milliario inter VIAM AVRELIAM ET TRIVMPHALEM in nobilis matronæ prædio Rufinus presb. ſepeliuit corpora SS. MM. Pontiani, Euſebij, Peregrini & Vincentij.

IN CORNELIAE VIAE, milliario ſecundo ab vrbe, Hilariæ fuit ſepultura, quam eadem ſibi, ſuiſq; conſtruxerat, ibiq; conditum S. Aphræ mart. corpus: ſupra eandem poſtea ædificata eccleſia, ibìque plures ſancti paſſi, & ſepulti.

Milliario ab Vrbe decimo in ſylua eiuſdem Viæ martyrio coronatæ ss. Rufina, & Secunda in fundo proprio, qui dicebatur *Buxo*, aliàs *Buxeto*, nũc Bucea: ibique Plautilla religioſiſſima fœmina ſepulcrum Virginibus fabricauit.

Milliario decimotertio erat locus in eadem Via nuncupatus Nimphæ Catabaſſi, vbi Martha necata, ibiq; verò ſub arenario Marius, Audifax, & Abbacum item necati: Nympha Catabaſſi erat Caſtrum Bucceiæ à s. Leone IV. Monaſterio Sancti Martini, ſpectanti ad Baſilicam Vaticanam, donatum, quòd ho-

hodie opulentum eſt prædium rubrorum *terræ* 750. vt inquit Grimaldus.

IN FLAMINIA VIA decollatus, & ſepultus ſanctus Valentinus; in eademq; milliario ab Vrbe decimoquarto comprehenſæ SS. Virgines Rufina, & Secunda, & ad Vrbem reuocatæ.

IN LATINA VIA (in qua prædium & ſepulcrũ S. Eugeniæ, erat non longè ab Vrbe milliario, plus minùs vno, crypta, vbi SS. Martyres conderentur, in qua ſepultus S. Gordianus Martyr.
In eadem Via, milliario primo, ſepulti Simpronius, Olympius, Exuperia, & Theodolus. In eadem iuxta formam aquæductus decollati aliquot S. Stephani Papæ Clerici, quorum corpora Tertullinus condidit iuxta Sanctos Iouinum, & Baſileum. Idemq; Tertullinus eadem Via, milliario ſecundo, capite truncatus, vbi in arenario ſepultus, in quo etiam conditi Sulpitius, & Seruilianus; quorum erat prædium.
In eadem, ad ſtadia Vrbis quinque, Aglaes repoſuit corpus S Bonifatij mart. ædificans ei domum dignam eius paſſioni: *Inter viam Latinam, & Appiam* decollatus S. Nemeſius Diaconus, cuius corpus ſanctus Stephanus Papa, in via Latina, iuxta decollationis locum, non longè ab Vrbe ſepeliuit.

IN VIA LAVICANA, milliario tertio ab Vrbe in Vico Drepani à Conſtantino Imperatore ædificato, & ex nomine ſuæ matris Helenopoli appellato, ſepulta fuit S. Helena, in loco, vbi dicebatur *inter duos lauros* in Mauſoleo porphyretico vndiq; precioſè ſculpto, quod poſtea Anaſt. IV. in Baſilicam Cõſtantinianam intulit. In eiuſdem viæ milliario tertio mortuus & ſepultus S. Tiburtius Martyr. Ibidem à Lucilla ſepulta corpora SS. Petri, & Marcellini, ſupra quæ Conſtantinus Imp. Baſilicam ædificauit, & à

S. Mel-

S. Melchiade Papa vnà cum ſancto Sebaſtiano condita corpora ſanctorum Quattuor Coronatorum.

IN VIA NVMENTANA ſepulta S.Agnes nobiliſſima Virgo, & mart. Nicomedes autem presb. in Iuſti Clerici horticello iuxta muros.

In eadem, milliario plus minus ſecundo, capite truncati Saturninus, & Siſinnius.

In eiuſdem milliario ſeptimo Seuerina, ſeu Seueriana vxor Aureliani in prædio ſuo ſepeliuit ſanctos Alexandrum, Euentium, & Theodolum: Eiuſdem predij S. Sixtus Papa ordinatus eſt Epiſcopus (ideſt ſuperintendens, ſiue Dominus) à dicta Seueriana; ſic inquit antiquus Barberinæ Bibliothecæ Codex.

Ad eiuſdem milliario decimotertio carcerem ducti ſancti Primus, & Felicianus iuxta forum Ciuitatis Numentanæ, ibidemque iuxta amphitheatrum decollati ſunt: quorum corpora condita fuerunt ad arcus Numentanos intra Arenarium; eſtque inibi 14. ab Vrbe milliario illis erecta Baſilica.

Sextodecimo ab Vrbe milliario Eutyches damnatus ad terram fodiendam per totum diem in eadem via.

IN OSTIENSI VIA milliario ſecundo duo ſorores nobiliſſimæ Digna, & Merita in antro iuxta ſanctum Paulum latuerunt: quarum domum Pontifex fecit Eccleſiam, & in ea ordinauit presbyterum Zoſimum auunculum Aphræ. Eædem in cœmeterio Commodillæ ad ſanctos Felicem, & Adauctum poſt glorioſum agonem ſepultæ.

In eadem milliario plus minus octauo Lucinæ prædium, in quo ipſa recondidit ſancti Cyriaci, & aliorum plurimorum martyrum corpora. Milliario autem plùs minus decimo amputatum fuit caput ſanctarum Martinæ & Priſcæ virginum.

In eadem Via milliario decimo ſepultum S. Concordij corpus.

IN VIA PORTVENSI iuxta ripam fluuij reperta corpora s. Pigmenij presb. & pueruli ſui, quæ ſepulta fuerunt in cœmeterio Pontiani.

Felix Papa de Papatu depoſitus habitauit in prædiolo ſuo Viç Portuenſis, & martyrio coronatur.

In eadem Via erar locus, qui vocabatur *Sextus Philippi*, in quo inuenta, & ſepulta corpora ſanctorum Simplicij, & Fauſtini è ponte lapideo in Tiberim proiectorum.

In eadem Via, milliario ſecundo, erat Fanum, iuxta quod ſtabat excelſiſſima ârbor Dœmonibus conſecrata; Ad id ductus fuit ſanctus Felix ſenior presb. ad ſacrificandum; Verùm ſanctus inſufflaui t in arborem, & ſtatim radicitùs euulſa eſt cum fano, & ſimulacro, quod intus erat. Ibi decollatus vir ſanctus & ſepultus in eo loco, in quo arbor fuerat, cuius euerſio nimiam terræ multitudinem aperuerat. Sicq; factum fuit, vt petrę templi ſepulcro deſeruirent, vbi pacis tempore fabricata eſt Eccleſia.

IN CLIVO CVCVMERIS, qui erat VIA SALARIA veteri ante templum Solis ductus S. Ioannes presb. ibique erat crypta, in qua plurimi martyres ſepulti.

Extra portam Salariam ductus B. Paſtor, & ad collum equi indomiti ligatus, aç per ſaxa, & ſpinas tamdiù tractus eſt, donec Domino ſpiritum reddidit. cuius corpus noctu Ioannes Presbyter tulit, & iuxta Cliuum Cucumeris ſepeliuit.

Ante Thermas Salluſtij extra muros Vrbis, eadem Via plures decollati ſancti viri; & præcipuè Cyriacus, Largus, & Smaragdus. Nec non s. Romanus miles, in quo lo-

loco ſedata perſecutione chriſtiani paruam eccleſiam ędificauerunt.

Eiuſdem Vię milliario ſecundo capite truncatus Apronianus commentarienſis. Milliario tertio in cœmeterio Noellę habitauit Damaſus Papa. Huic proximum fuit aliud cœmeterium appellatũ Oſtrianum, vbi S. Petrus baptizauerat: ibidẽ Liberius Papa baptizauit promiſcui ſexus 4012. Eodem milliario in cœmeterio Priſcillę conditum S. Marcelli Papę corpus; nec non Creſcentiani.

In prędio Traſonis eiuſdem vię ſepulta corpora ſanctorum Saturnini, & Siſinnij.

Antimus presb. non longè ab Vrbe circa Piniani prędium latitabat; ibi tentus, & ſacrificare renuens in Tiberim proiectus. Sepultus autem fuit in oratorio, vbi orare conſueuerat, via Salaria milliario ab Vrbe 28. territorij Sabinenſis.

Eadem via corpus ſancti Hermetis ſepultum à ſorore Theodora: Chryſanthus verò, & Daria in arenario viui terra, & lapidibus obruti.

In eadem via Claudius Imp. teneri iuſſit 262. Chriſtianos ad arenam fodiendam damnatos, ibiq; ſagittis ſunt confoſſi, & ſepulti.

In his locis Maximus, Baſſus, & Flauius puniti, vbi orare conſueuerant, iuxta Salariam, quæ mittit ad Picenum.

In Via Salaria Iaſon, & Maurus filij Claudij decollati, & ſepulti fuerunt. Hilariam, poſt obitum, duę eius ancillę ſepelierunt diligentiſſimę ſepulturę, & ſuper eam breuiſſimam Eccleſiam fabricauerunt, quia locus, in quo defuncta fuerat, eiuſdem erat hortus, & ex quo ſancti paſſi fuerunt, ibidem ſibi manſionem collocauerat.

In eadem Via iuxta Ciuitatem Tribulanam mora-

batur ſanctus Eutyches auus ſancti Concordij.
In ſexageſimo ab Vrbe milliario eiuſdem viæ damnatus S. Victorinus ad terram fodiendam.

IN VIA TIBVRTINA, milliario ab Vrbe, eſt Ager Veranus ſanctę Ciriacę matronæ Romanę nobilitate & martyrio inſignis, in quo ſepulti ss. Laurentius, & Stephanus, Iuſtinus presbyter, Romanus miles, Hippolytus, Concordia, alijq; Chriſti Martt. vbi eſt inſignis baſilica. Septimo ab vrbe milliario erat s. Nicomedis cellula, in qua ſepulta ſancta Felicula.

Inter VIAM TRIVMPHALEM, ET AVRELIAM ſepulti ſancti; quos commemoraui in via Aurelia.

## DE TEMPLIS SANCTORVM OBSOLETIS in Vrbe. CAP. XII.

SANCTI ABBACYRI Oratorium *in Xenodochio* recenſetur à Bibliothecario in Leone III Codex Vaticanus n. 3764. pag. 201. t. addit, *A Valeris*; Iacobus Grimaldus, de Canonicis Baſil. Vatic. ms. in Bib. Vat. hunc Bibliothecarij locũ ſic interpretatur. *Iſta eccleſia ponitur, ſicut eſt, a Benedicto Canonico S. Petri in ſuo Rituali, ad Militias Tiberianas, vbi eſt Turris militiarum: Imminet huic eccleſię monaſterium ſancti Sixti in cliui deſcenſu, eundo verſus ſanctum Quiricum ſiniſtrorſum; extat ad cliui medium, nunc profanata, & in domum conuerſa. quę domus habet in fronte Imaginem antiquam Saluatoris; nam noſtro tempore vocabatur ſanctus Saluator; cernitur ibi & campanile ad Balnea Pauli*. Hæc Grimaldus Adhuc extat domus cum imagine præfata Saluatoris à dextris domus q. Acchillis Venerei ſpectantis ad Sac. Congregationem Propagandæ Fidei. Vide quæ dicam V. S. Albicyrus ad Tur-

Turrim Militiarum? Cæterum credimus hanc eccleſiam fuiſſe, quæ dicebatur S. *Saluator de Militia*, quia è conſpectu Turris Militiarum, cuius meminit Taxa Leonis X. & Auctor anni 1587. & in libris S Viſitationis Apoſtolicę agebatur de vnień Parochia ſãcto Quirico, & eccleſia Monialibus S Sixti, eàmque ſolo æquare. Nunc redacta eſt in domum S. Sixti, eſtq; ibi inter duas feneſtras antiquiſſima Imago Saluatoris.

ss. ABDON & SENNEN Eccleſia extra Vrbem *Via Portuenſi* in prędio Candidæ, ſanctæ nobiliſque matronæ, in quo ſepultus fuit S. Pontianus martyr. non in prædio Pontiani. Sic arbitramur intelligeń verba Codicis Panthei relata à Boſio lib.2. ca 17. ibi *Quorum corpora collecta ſunt de fluuio à quadam matrona, nomine Candida, iuxta litus fluuij Porta Portuenſe, & ſepeliuit eum in crypta in Cœmeterio Pontiani in prædio ſuo ad Vrſum Pileatum iuxta corpora ſanctorum Abdon, & Sennen.* Verba *in prædio ſuo*, referuntur ad *Candidam*, non *ad Pontianum*; & Cæmeterium non eſt prædium, ſed ſepulturæ locus in prædio; licèt, quando agitur de fundatoribus Cœmeteriorum in proprijs prædijs, veniat appellatione cæmeterij etiam ipſum prædium, vt Cæmeterium Lucinæ, Priſcillæ &c.

ss. ADELBERTI & PAVLINI in Inſula Lycaonia, nunc S. Bartholomæi.

s. AGAPITI *in Agro Verano*. Bibliothecarius de eo in Felice III. *Hic fecit Baſilicam ſancti Agapiti iuxta Baſilicam ſancti Laurentij mart.* Idem fuiſſe extra Vrbis mœnia conſtat ex eodem in Hadriano I. Qui *Baſilicam B. Agapiti mart. foris muros iuxta ſanctum Laurentium poſitam reparauit*. Leo Tertius eiuſdem ſartatecta, quæ præ nimia vetuſtate emarcuc-

cuerant, noviter reſtaurauit ex eodem.

s. AGAPITI Monaſterij apud Titulum Eudoxiæ fit mentio à Bibliothec. in Leone Tertio. Perijt forſan in conſtructione templi S. Petri ad Vincula.

S. AGATHAE VIRGINIS & MARTYRIS *Ad Colles iacentes, in Colle Pinu, in introitu vrbis, in Lardario, in Monaſterio*. De his vide, quæ diximus in libello edito de imagine B. Mariæ Virginis vindicata contra Franciſcum Mariam Torrigium anno 1642.

s. AGATHAE *de Poſterula*. Proximum fuiſſe ſancto Laurentio in Lucina conſtat ex Bibliothecario in Nicolao I. *Tiberis &c. ingreſſus eſt per Poſterulam, quę appellatur ſanctæ Agathæ in vrbe Roma, & ingreſſus eſt in Eccleſia B. Laurentij, quæ appellatur Lucinę*. & in Bened III. *Tiberis alueum egreſſus eſt ſuum, & per campeſtria ſe dedit, intumuitq; inundatione aquarum multarum, & ingreſſus eſt per Poſterulam, quæ appellatur ſanctæ Agathæ in Vrbem Romam.* Poteſt etiam eſſe, hoc loci nullum fuiſſe templum, ſed tantùm imaginem, à qua poſterula nomen ſumeret. Sed Grimaldus ſępe citatus inquit *Hęc eccleſia vel eſt ſancta Maria in Poſterula, hodie de Vrſo, vel erat alia eccleſia ſub Clem. Octauo profanata, & ad domum traducta paullò vltra Hoſpitium Vrſi ſub nomine ſancti Blaſij*.

s. AGNETIS *ad duo Furna*. Sic Bibliothecarius in Leone Tertio. *In Oratorio ſanctæ Agnetis, quod ponitur in Monaſterio, quod appellatur ad duo Furna, fecit caniſtrum ex argento penſ. lib duas, & vncias octo*. Putat Grimaldus eſſe quod eſt in Agone.

s. AGNETIS *in Monaſterio*, Fuiſſe capellam intra fines eccleſię, & monaſterij Sanctę Praxedis colligi-

ligitur ex Bibliothecario in Paſchale I. pag.220.

s. AGNETIS *trans Tiberim* meminit Taxa Leonis X.

s. ALBERTI Eccleſia erat in Exquilijs ſub ſancta Maria Maiore prope Vicum Patricium. De eo Cam. Fanuccius cap. 3. lib. 3. op.pior. & alij.

s. ALBICYRVS *ad Turrim militiarum* reperitur apud Andream Fuluium lib. 2. cap 8. de Monte Quirinali his verbis. *Turris autem militiarum à militibus Traiani Imp. nomen, vt aiunt, accipit, qui illic olim ſtationem habebant: imminet autem locus hic foro Traiano, vbi adhuc extant triplici concameratione fornices, & cryptoporticus, ex veteri ſtructura curuata forma in morem hemicycli reddentes à fronte theatralem caueam, vbi in altero cornu viſitur profunda, ac vetuſta ędes ſancti Abbacyri*. In editione italica hęc addidit Hieronymus Ferruccius, *Hoggi vi è vna antica immagine del Saluatore, che fà miracoli* Hęc vocabatur ſancta Praxedes, aliàs Pacera, de qua infra V. Pacera.

De eadem loquitur Benedicti canonici ſancti Petri Rituale, dum recenſendo equitationem Pontificis à Laterano ad ſanctum Petrum dicit, *Tranſiens per arcum Aureę ante forum Traiani, vſque ad ſanctum Baſilium* (nunc Neophytarum monaſterium) *aſcendit per montem circa militias Tiberianas deſcendit per ſanctum Abbacyrum, & tranſiens ante ſanctos Apoſtolos, manu læua deſcendens in via lata, &c.* Certè confunditur hęc cum alio ſancti Abbacyri Oratorio à Iacobo Grimaldo. Cęterum à Gammuccio lib. 3. de Quirinali, & Colle Hortulorum appellatur ſanctus Albinus, dicendus ſanctus Abbas Cyrus. In monumentis Baſilicæ duodecim Apoſtolorum legimus hanc eccleſiam fuiſſe collegiatam, & ſitam in

Via

Via Bibaretica; eandemq; conceſſiſſe dictæ Baſilicę Anacletum Papã II. vt in conſtit. Vniuerſos.Dat.ann. Incarn. 1130. 8. Kal. Maij Pontif. I.

s. ALBINVS vide ſanctus Albicyrus

s. ALEXANDRI Papę *Via Numentana* ſeptimo ab Vrbe milliario. Bos.lib.3. cap.45.

ss. AMANTII & ZOTICI in Palladio, nunc sãctus Sebaſtianus in Pallara ſupra Montem Palatinum.

s. ANASTASII *de Pinea*, vel de regione Pineę. Vide teſtamentum nob. viri Andreę Vallerani eiuſdem Reg.an.1348. 15. Iulij, in quo ſit mentio dictę eccleſiæ, cui reliquit quoſdam hortos in loco, qui dicebatur, Palatium & Comitiſſa.

s. ANDREAE *iuxta Baſilicam Apoſtolorum*, id eſt duodecim Apoſtolorum, conſtituitur à Bibliothecario; eidemq; Leo Tertius dona contulit. Grimaldus ſirmiter tenet, fuiſſe propè columnam Antoninam, demolitum ſub Paulo Tertio, cuius redditus in cappellaniam perpetuam ſub eodem tit. in eccleſia ſanctę Marię in Via, conuerſi fuerunt. Alibi appellatur, *Regionis Bibaretice*, vt ſupra cap. IV. de Regionibus.

s. AND. *ad Apothecas obſcuras*, legitur in taxa Leonis X.

s. AND. *Aquarenariorum* nunc S. Maria de Pace Pancirol.

s. AND. *in Aurifario* legitur in vita S. Reſtituti M. Vocatur etiam de Piſcina, vt in Romę Subterraneæ lib.3. cap.47.

s. AND. *de Columna* reperitur in taxa Leonis X. forſan eſt illud, cuius meminit Ioannes Giacchettus in hiſt. ſancti Siluestri de capite c. 11. n. 7. & 8. quodq; dicitur iuxta Baſilicam Apoſtolorum.

s. AND. *ad Curiam Sabellam*, dicebatur *de Ania* nunc S.Maria Montis Serrati. Panciro l. Hic cœpta fuit Sodalitas Charitatis de Vrbe, vt in Bulla Leonis X.

s. AND. *de Cuſto carcere*, vel *in Vnda* erat prope familiæ Capitis ferrei domum. Caſtal. Metallinus, qui etiam meminit S. Andreæ *de Imperio Carcere*.

s. AND. *in Eudoxia*, meminit Bibliothecarius in Leone III. *In eccleſia B. Andreæ Apoſt. qui appellatur Eudoxiæ eodem modo fecit coronam de argento penſ. lib. nouem*. fortaſſis idem, quod vocabatur *in Montibus*, quodq; iuſſu S. Viſitationis fuit ann. 1564 vnitum S. Saluatori in Subura.

s. AND. *Funariorum* legitur in taxa Leonis X. & alibi.

s. AND. *Hoſpitale* Teutonicorum, dependens ab Eccleſia ſanctę Marię de Anima, fuit intra fines parochię ſancti Blaſij de Anulo.

s. AND. *apud S. Marcellum*. De hac eccleſia Ordo Romanus impreſſus à Georgio Caſſandro Colon. 1561. pag. 65. his verbis. *Fertur, quod antiquitùs nutriebantur candidi agni ſine macula per moniales albas Monaſterij S. Andreę prope S. Marcellum de Vrbe, & Dominica in Albis, dum canebatur Agnus Dei, circuibant Agni huiuſmodi Altare ſancti Petri*.

s. AND. *de Marmorarijs*, nunc S. Yuo. Grimald. & alij.

s. AND. *de Mortarijs*, ſiue *de Mortararijs*, cum cura animarum eccleſia erat iuris monaſterij, & monialium S. Mariæ Campi Martij, vt in Bulla Cæleſtini III. in Chronica Hyacinthi de Nobilibus. Forſan idem cum alio de Marmorarijs.

s. AND. *in media via Regione*, meminit Ioannes

 Pau-

Paulianus in fine lib.3. de Iubil. & Indulg.

s. AND *Nazareni* legitur in taxa Leonis X. Dicitur in Nazareno apud Gruter. pag.873.inſcrip 2. & pag. 936. inſcript.4. erat in Regione Areolæ parochiale ſub tit. S.Laurentij in Damaſo.

s. AND. *in Notomia* Regionis Areolę meminit Caſtallus Metallinus in 11. familia.

s. AND. *in Palladio*, & corrupto vocabulo, in *Pallara*, de quo cap. Quam ſit 9.de Exceſſ. Prælator. nunc dicitur S.Sebaſtianus in Palladio in Monte Palatino.

s. AND. *ad Pręſepe*, apud Sanctam Mariam Maiorem. Baronius in Appendice ad tom.6. inquit, Penitùs dirutum perijſſe. Verùm intra clauſtra monaſterij ferè integrum conſpicitur; habetq; Abſidem, in qua è muſiuo ſunt ſex Sancti candida toga,ſuperq; pallio induti, nudo capite cum ſandalijs in pedibus, & in veſte tale ſignum L. In medio Saluator Mundi, cum hoc ſigno H.in veſte;infra quem quattuor Paradiſi flumina. Circumquaque habet parietes pulcherrimè incruſtatos ex lapidibus ſerpentinis, & aliorum colorum ad diuerſos flores, & factorum argumenta elaboratos. Grimaldus ſcripſit,vidiſſe teſtudinem, & equum à leone diſcerptum: vidimus & nos animalia, venatores, & his ſimilia, quæ S.Nilus in epiſtola ad Olympiodorum Proconſulem recitata in ſeptima Synodo Act. 4. reprehendit. Sub Abſide hæc adhuc leguntur carmina.

*Hæc tibi mens validè decreuit prædia Chriſte*
*Cui teſtator opes detulit ille ſuas.*
*Simpliciùſque Papa ſacris cæleſtibus aptans*
*Effecit verè muneris eſſe ſui.*
*Et quod apoſtolici deeſſent limina nobis*
*Martyris Andreæ nomine compoſuit.*

Vti-

*Vtitur hæc hæres titulis eccleſia iuſtis,*
*Succedensq; domo myſtica iura locat.*
*Plebs deuota veni, perq; hæc commercia diſce*
*Terreno cenſu regna ſuperna peti.*

In fra fuiſſe fragmentum cum nomine fundatoris teſtatur Vgonius in Shedis mſs. in Bibliotheca Barberina.

Literæ ænigmaticę in pallio ſanctorum Apoſtolorum delineatæ Apoſtolorum dignitatē ſignificare vidētur tùm quia hìc, tùm in apſide S. Mariæ Maioris extant. Huic opinioni ſuffragatur epiſtola Iuliani Apoſtatæ contra Antiochenos, inſcripta, Miſopogon, qua quæritur de ipſorum vſu literarum ænigmaticarum & ſubdit: *Hoc ſapientiæ veſtræ ænigma quale ſit, difficile eſt intelligere, nos tamen quoſdam veſtrum interpretes nacti didicimus his literis, nominum quorundam initia ſignificari, altera litera Chriſtum, altera Conſtantium declarari.* Epiſtola recitatur à Baronio an. 362. Sic Ieſus Chriſtus in medio dictorū Apoſtolorum habet in veſte H ideſt, Ita græcum, quod latini pro faciliori intellectu cum I à dextris, & S à ſiniſtris ſcribunt: Sic ſanctus Simeon in abſide S. Marię Maioris ſignificatur prima nominis litera, quæ eſt Sigmá græcum Σ & alij alibi. Cæterum muſiuum opus exprimens Saluatoris, & Apoſtolorum imagines pictoribus non diſplicet. At mixturæ glutinum, quo incruſtationes parietum tenentur, miniſtri deſtruunt ad febres & fluxus ſanandos.

Gregorius II. Monachos ibi inſtituit, vt ſcribit Bibliothecarius pro canendis horis canonicis in Baſilica S. Mariæ Maioris: & aduertendum eſt mēdum Bibliothecarij ibi. *Poſt abſidam* corrigeñ *iuxta eccleſiam* vt legitur in authographo melioris notæ ſignato numer. 3761. in Bibliotheca Vaticana, nam monaſtariū

à Gregorio II. extructum non eſt poſt Abſidam, ſed iuxta eccleſiam S.Marię Maioris.
Vocatur à Bibliothecario, *Barbaræ*, in Gregorio II.& *Catabarbaræ Patritiæ* in Leone III.
Idem Bibliothecarius in Leone III, meminit monaſterij S.Andreæ, quod appellabatur *Maſſa Iuliana*, & credi poteſt eſſe pręcitatum Barbarę, quia inter duo monaſteria ſita iuxta S. Mariam Maiorem illud inſerit.
Hic, vbi à tempore Gregorij II. fuit Gerontocomium hoſpitatus fuit S Franciſcus Aſſiſias tempore Innocentij III. ex chronic. Minor.
De huiuſmodi templo hæc ſcripſit Franciſcus Albertinus tit. de Domibus Card. pag.87. *Domus S. Antonij Abbatis non longe à præfata, quam Reu. Fatius tit. ſanctę Sabinæ collabentem reſtituit cum eccleſia ſancti Andreę penitùs deſtituta, ac pauimentum cum tecto renouauit, & alia quamplura cum hoſpitali, & horreis addidit in augmentum & ornatum d. eccleſię*. Iacobus Mazochius in ſuo epigrammatario recenſet tres inſcriptiones hic olim exiſtentes.
Cæterum Grimaldus vocat *in Aurifario* hoc S.Andr. templum; eiuſdemq; ſic And. Fuluius lib.2. c. de Exquilijs. *Hinc eundo verſus arcum sancti Viti occurrit à ſiniſtris templum & hoſpitale ſancti Antonij Abbatis, quod Petrus Cardinalis de Capotijs Romanus vnà cum hoſpitali excitauit, iuxta vetuſtam Aedem ſancti Andreę Apoſtoli à Simplicio Papa fundatam marmoreis circumquaque interiùs incruſtationibus inſignitam, extat in abſide ex muſiuo authoris nomen*. Habuiſſe Stationem pridie Kal Decembris patet ex Cencio Camer. relato à Panuin. in Cod. ms. Vaticano pag.100. ſic Die *ſancti Andreæ Statio ad ſanctum Andream in Exquilijs*.

ſ. AND. *delli Scacchi* in regione Tranſtiberina legitur in taxa Leonis X. Alibi legitur de Scaphi apud ripam tiberis iuxta cellas vinarias. fuit vnitum ſancti Saluatoris Pedepontis.

ſ. AND. *in Silice* meminit Panuin. lib. 2. cap. 1. ms. de Baſilica Lateraneñ, cui, inquit, Innocentium Tertium donaſſe dictam eccleſiam.

ſ. AND. *de Strada* in Regione Montium eſt in dd. Taxa.

ſ. AND. *de Subura*, vt in Panuin. in Cod. Vatic. ms. 4973. pag. 151. Pancirol. Eccleſ. 7. Regionis Campitelli.

ſ. AND. *de Tabernola* inter Eſquilias & Cœlium montem meminit Scottus in Itiner.

ſ. AND. *in Vaticano* excitatum à Symmacho Papa an. 498. Eidem ambonem fecit Ioannes VI. Tectum & Camerã Gregorius III. Dona contulerunt Stephanus III. & IV. Hadrianus I. Leo III. & IV. vt Bibliot. Idem vocatur oratorium ab eodem, *Leo Quartus fecit in Oratorio B. Andreæ Apoſtoli, quod ſancti Petri cohęret eccleſię veſtem &c.* Hodie eſſe Sacrarium Baſilicæ Vaticanæ ſcribit Iac. Grimaldus.

ſ. AND. *in via Cratica*, vbi nunc S. Vrbanus de Vrbe Monialium.

ſ. AND. *de Vincolo* eſt in dicta Taxa in libro Anniuerſariorum Sanctiſſimi Saluatoris: dicitur de Viculo, & alibi, *ad Turrim ſcuram*.

ſ. AND. *de Vrſis* in Regione Areolæ meminit d. Taxa. Erat apud hoſpitale Dementium, cui cum alio S. Stephani in Trullo fuerat vnitum. Fuit ordinatum rectoribus hoſpitalis, quòd reparetur, & ſeruiat pro Cœmeterio hoſpitalis Dementium. Credimus fuiſſe, quod noſtris temporibus dicebatur S. Vrſula d. hoſpitalis.

s. ANGELI *in Fabiano* meminit Bibliothecarius in Leone III.

s. ANG. *Hoſpitale* in Regione Areolæ legitur in taxa citata.

s. ANG. *Hoſpitale* in Regione Pontis legitur in taxa Leonis X.

s. ANG. *in Ianiculo monte aureo*, vbi Capella crucifixionis ſancti Petri Apoſtoli, vt ex lapide in parochiali S.Dorotheæ huiuſmodi tenoris. *Lapis hic, ſuper quo viſi ſunt Angeli genuflexi in martyrio Beati Petri, de ruinis S.Angeli in Ianiculo erutus, à Iuliano de Dathis, loci huius Antiſtite, pietati veſtræ expoſitus An. Iub.* 1500. Legendum putamus, *lapis hic qui fuerat in loco, ſuper quo, &c.*

s. ANG. *in Macerello*, vel *Mincinello*, vel *de Mozarella*. Nunc S.Iulianus ad radices Montis Iordani. Pancirol. & Cam. Fanuc. lib. 3. cap. 21. opinior.

s. ANIGRI Regionis tranſtiberinæ legitur vna cum S.Iacobo de Altopaſſo in Taxa cit.

s. ANNA *Albanenſium* ſub Viminali an.1587. deſertum.

s. ANTONIVS *in Campo Vaccino* propè locum, qui dicebatur Infernus, vbi nunc S.Maria Liberatrix. Martinus Polon.

s. ANT. *de Forbitoribus*; Vide S.Nicolai ad Sanctum Mautum.

s. ANT. *de Maſſima* legitur in d. taxa.

s. ANT *in Schiauonia* in Valle Martia, vbi alebantur ex liberalitate bonorum aliquot ægrotæ mulieres. Auct.an.1587

s. APOLLINARIS *ad Palmata* in Porticu B.Petri Sic Bibliothecarius in Honorio I *Fecit Baſilicã Beati Apollinaris mart. in Vrbe Roma in Porticu Beati Pe-*

*Petri Apoſtoli, quę appellatur ad Palmata* (alius Codex legit, *Palmaria*) *à ſolo, vbi dona multa largitus eſt.* & infra. *Litania exeat à B. Apollinare ad B. Petrum Apoſtolum.* De ea hæc ſcripſit Grimald. *Eccleſia S. Apollinaris, ab Honorio I. ædificata, erat in loco, vbi nunc eſt ſtabulum cum pluribus domibus pertinentibus ad Archipresbyteratum S. Petri, iuxta Scalas Baſilicę, quę domus inſulam faciunt ante forum; ab vno latere vicus tendens ad S. Officium; ab alio via tendens ad portam Turrionis; retro via publica ſancti Spiritus. Ab iſta eccleſia, inquit Anaſtaſius, Honorij decreto ſingulis Sabbathis Litania ad Baſilicam ſancti Petri exibat, & dicebatur ad Palmata, retinens antiquum nomen Circi ob victores palmatos in Circi ludibus, donis ibi honeſtatos. Nam Circi finis vel caput ibi erat ex quodam muro, quadratis lapidibus fabrefacto, qui in ſemicirculum vergebatur. Anno* 1616. *dum ſcalæ ſancti Petri amouerentur, apparuerũt muri antiqui reticulati craſſi, qui videbantur fuiſſe è ruinis turrium Circi: ibi repertus fuit ęreus nummus Agrippinę Aug. Dum fundaretur hęc altera Vaticani templi pars ſub Paulo Quinto inſpectum eſt, Circi longitudinem fuiſſe palm.* 720. *[romanorum; latitudinem* 400. *Area, vbi ludi edebantur, lata p.* 230. *Incipiebat ab infimis gradibus Baſilicę; deſinebat vbi nunc eſt Eccleſia S. Marthę retro abſidam ad occaſum. Obeliſcus erat in medio, qui locus nunc eſt retro Sacellum chori. Extremus Baſilicæ paries & duplex columnatum ſanctiſſimi Crucifixi, & ſancti Andreæ fundatum erat ſupra tres magnos parietes Circi Caij, & Neronis ſupradicti: ſimilis erat circo Caracallæ, qui hodie pro maiori parte extat; altis vtrimq; parietibus cinctus erat, ternis ab vna parte ſuper quibus extabant dictæ naues Crucifixi, & ſancti*

*Andreę, & ternis ab altera, vbi nunc eſt Cœmeterium Campi ſancti, qui ſe in longum trahentes lateritij ſuſtinebant olim arcuatos fornices, in quibus ſedilia extabant pro ſpectatoribus. Inter vtrumque parietem ſpacium latum p.42: ſemis erat. A capite ad pedes nullum impedimentum, ſed tanquam ambulationes, & curritoria è ruinis ipſis, conſpiciebatur. Horum parietum poſtremum in* Circum *reſpicientem, dum terra fundamenti chori egereretur, menſurandum curaui. Altus erat paries ipſe ab area palmis 31. ſemis latus p.14. fundatus p. 30. Antiquæ Vatic. Baſil à* Conſtantino *Max. fabrefactę facies anterior, Apſis & muri extremi, ac illi ſuper columnis ſurgentes, qui tecta graui pondere ſuſtinebant è laterum tophorumq; fragmentis,* Circo, *adiacentibuſq; ędificijs euerſis, celeri opera, rudiq; arte ædificati fuerunt. Baſilicam ipſam breui tempore à* Conſtantino *acceleratam fuiſſe fides oculata teſtabatur.* Capitella *partim abſoluta partim imperfecta: baſes multę columnis abſimiles: Feneſtræ arcuatæ, lateritiæ primùm, poſtea germanico opere marmoreæ effictæ. Limina ex magnis marmoribus, quæ ablata eſſe ex Circi, vel alterius ædificij ruinis pars inferior terra obruta indicabat, cum ſub vno ex his modicè arcuato Roſæ ſculptę erant; in altero literæ legebantur* CVM SPECVLATOR, *quas, iudicatum eſt, arcum, ſeù locum ſpeculatorium ipſius forſitan Circi ſignificaſſe. Hæc de Circo. Eccleſia S. Apollinaris dicebatur in porticu, nam Porticus ducens ad Baſilicam S. Petri incipiebat ab Eccleſia ſanctę M. Traſpontinæ ad præfatam eccleſiam S. Apollinaris deſinebat.*

S. APOLLINARIS iuxta Portam Appiam ad Prætextati Cœmeterium Boſius lib. 3. c. [illegible].

SS. APOSTOLORVM DVODECIM [illegible] at Sacellum

lum in Vaticano prope Sacrarium, & Obeliſcum an. 1587. Prope erat domus, in qua ſingulis diebus victus prębebatur duodecim pauperibus.

APOSTOLORVM *Baſilica* vocatur ab Anaſtaſio templum S.Sebaſtiani Via Appia, quia aliquandiù iacuerũt ibi corpora SS. Petri, & Pauli. Item templum Lateranenſe, quia in eo recondita ſunt ſacroſancta eorum capita.

s. ARCHANGELI *Oratorium*, quod Leo Papa conſtituit, & conſtruxit. Sic Bibliothecarius in Paschale I qui dona eidem contulit.

s. ARCH. *ad Alephantum* eſt idem cum S.Abbacyri; Bibliothecarius in Greg. IV. *Hic in eccleſia Beati Abbacyri, atq; Archangeli ad Alephantum.* In Leone III. pag.212. B. vocatur, ni fallimur, Diaconia, examinata Bibliothecarij locutione dicentis: *In Diaconia S.Archangeli poſuit veſtem albam holoſericam habentem periclyſin de tyrio, & in medio hiſtoriã Aſcenſionis. Item ipſum ſuper Altare S Abbacyri ſimilem veſtem obtulit.* Ergo huiuſmodi altare erat in proxime citata Diaconia. Idem Bibliothecarius in eodem Leone III. pag.190. B.200. C. 206. B. meminit Diaconię S.Archang.& ignoramus an ſit diuerſa à præcitata. Vtcumq; ſit, duplex erat Eccleſia Sanctorum Cyri, & Ioannis; Vna via Portuenſi, vulgariter nuncupata S Paſſera, latinè S.Praxedes de iure Canonicorum S.Marię in Via Lata. Hanc fuiſſe Diaconiã S. Archangeli, & S. Abbacyri procul dubio tenemus; Nam vidimus Eccleſiam & ſupra maius Altare in medio fuiſſe imaginem S.Archangeli; à dextrix Mariæ Virg. tùm S. Iacobi, poſteà S. Franciſci, à ſiniſtris Sancti Cyri, tùm Sancti Saluatoris, poſtremò Sancti Ioannis. Dicitur etiam Diaconia Sanctæ Mariæ in Cyro. Alia erat eccleſia Sancto-

ctorum Cyri, & Ioannis in Regione S. Mariæ in Campo Caroli Leonis profanata ſub Sixto Quinto, qui iura tranſtulit ad d. S. Mariæ, & in Bulla translationis vocatur ſancta Pacera. Bullam vidimus ex gratia D. Benedicti Geracis Rectoris d. ſanctę Mariæ. Vide V. ſanctus Abbacyrus & ſancta Pacera.

s. ARCH. *in Septimo*. Bibliothecarius in Leone Tertio.

s. ARCH. *in Vico Patritio* meminit Bibliothecarius in Leone Tertio. Idèmque fuit cum ſanctæ Euphemiæ. Vicus hodie dicitur, Via Vrbana in Subura. Vide V. ſancta Euphemia.

s. AVREAE monaſterium, nunc ſanctus Spiritus Neapolitanorum, Cam. Fanucc. lib. 4. c. 16. op. pior. Vocatur à Mazocchio, Regionis Arenulæ.

s. AVRELIAE in Regione Areolæ. Auct. an. 1587. forſan idem cum ſancta Aurea.

s. ATHANASII cum cura in Regione Triuij erat pro medietate ſuppoſitū Baſilicæ duodecim Apoſtolorum ex monumentis d. Baſilicæ.

s. BALBINAE templi Via Ardeatina meminit Boſius lib. 3. cap. 18 ex Damaſo in vita ſancti Marci. Verùm legimus Marcum ædificaſſe duas Baſilicas, non autem ſanctæ Balbinæ.

s. BARBARAE *Anglorum* templum in ruinis theatri Pompeij. forte eſt quod dicitur Bibliopolarum. De eo etiam Albert. c. de nonnullis Eccleſ. & cap: pag. 82.

s. BARB *in Subura*. Bibliothecarius in Stephano Quinto.

s. BARTHOLOMAEI & ANDREAE vide ſupra S Andreas, & S. Bartholomæus in Laterano.

s. BARTH. *Capocani* legitur in Caſtallo Metallino.

S. BAR-

s. BARTH. *in Merulana* habetur in ſupplicatione per Innocentium III. lib.3. regeſt. 15. Rinald. in Annal.Eccleſ. an. 1212. n.8.

s. BARTH. *in Subura* monialium Ordinis ſancti Benedicti eſt apud Paulum de Angelis de Baſil. Liberiana, pag. 125. A B.

s. BASILIDIS ſitum *in Merulana* nouiter reſtauratur à Leone III. Bibliothecar.

s. BENEDICTVS *in Clauſura*, vel *in Clauſula* reperitur in Bonifarij IX. Bulla: At in Leonis X. Taxa in Regione Areolæ. In libris S. Viſitationis conſtat eſſe Parochiale ſub tit. S. Laurentij in Damaſo. Aliud, vel idem erat, vbi nunc Sanctiſſima Trinitas Conualeſcentiũ. Credimus eſſe quod coſimus apud S. Carolum Barnabitarum.

s. BENED. *de Ferro*, reperitur in Inſtrumento; an. 1241. mihi exhibito à Cl. V. Gabriele Naudæo, cuius hæc ſunt verba. *Et in Turricella iuxta S. Benedictum, qui vocatur de Ferro, & in domo, quæ eſt proximior Coſſæ maioris Thermarum &c.*

s. BENED. *in Inſula Lycaonia*. Vghellus p. 105. C. & 112. D. in Italiæ Sac. vol. primo. fortè nunc dicitur S. Ioannes Calybita.

s. BENED. *in Paſiola* Transtiberim legitur in taxa Leonis X. forte eſt illud, quod dicitur in Piſcinula vltra Pontem Cæſtium. Olim Domus Aniciorum.

s. BENED. *in Platea Madamæ* reperitur apud Panciroſ. Eccleſ. 34. Reg. tranſtib. Vocatur in Taxa Leonis X. & ab alijs in Platea Lombarda.

s. BENED. *Scottorum* (Scotti erant Barones Romani) nunc Sanctiſſima Trinitas Conualeſcentium Grimald. forſan idem cum alio, quod dicebatur de *Turre perfondata* in regione Areolæ.

s. BENED. *Tagliacozij* erat eundo verſus Vicum

In-

Iudęorum à Campo Floræ an. 1587. forſan idem cum Scottorum.

s. BENED. *in Vaticano*, nunc S. Catharina Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti ſancti Petri. Fuit antiquiſſimum Sanctimonialium nobilium monaſterium, in quo vixit, & vitam finiuit S. Galla Patritia. Grimald.

s. BERNARDINI. Nunc S. Euphemia puellarum ad Columnam Traianam. Panciról.

s. BERNARDI *in Campo Martio*: Item in Orphea Scottus in Itiner.

s. BLASII *de Anulo*, aliàs Crucifixi Congregationis Clericorum regularium S. Pauli Decollati. Erat parochiale ſub collatione Titularis S. Laurentij in Damaſo prope S. Carolum ad Catinarios, & profanatum fuit, translatis iuribus ad d. S. Caroli, noſtris diebus: forſan eſt idem cum S. Blaſio de Oliua, de quo apud Nicolaum Signorilem, eo magis, quia inter huius Reliquias recenſentur aliquæ caſſettæ ſigillatæ ſigillo officialium d. S. Laurentij.

s. BLASII *de Cantuſecuto* nunc ſanctus Blaſius de Panetta in Via Iulia; Panciról. Credimus olim dictum fuiſſe inter Tiberim, & Pontem S. Petri, cuius meminit Panuin. inter antiquas Vrbis Abbatias.

s. BL. *de Mercato* regionis Tranſtiberim meminit taxa Leonis X. Aliud in regione Campitelli reperitur in libro Anniuerſariorum ſanctiſſimi Saluatoris.

s. BL. *de Montibus*, deſcendendo de Exquilino prope s. Petrum in Carcere verſus Templum Pacis, an 1587.

s BL. *in Orphea* auctor anni 1587. nomen non locum inuenit.

s BL. *iuxta Palatium Traiani Imperatoris* Abbatia legitur apud Panuin. loc. cit.

s. BL.

s. BL. *de Tenta de Gallettis* in Regione Pontis meminit Taxa Leonis X. Ad Vrſum ſub tit S. Laurentij in Lucina cum parochia ex familijs triginta in circa. Ex S.Vis. an. 1582.

s. BL. *transTiberim* meminit Taxa Leonis X, Auctor anni 1587. addit, *Prope Baſilicam ſanctæ Mariæ* poſtea SS. Criſpini, & Criſpiniani. Fanucc. lib. 4. c. 38 oper. pior. nunc Monialium Sanctæ Mariæ Montis Carmeli. Aliud & forte idem in Regione eadem legitur cum vocabulo *de Curte* in libro Anniu. Sancti Saluatoris, & in libris S. Viſitationis, quod dicitur vnitum S. Mariæ Tranſtiberim.

s. BL. *Hoſpitale* transTiberim, nunc s. Franciſcus Pancirol. in eo.

s. BL. *de Valle cupa* meminit Caſtallus Metallinus in Regione Areolæ.

s. BOEMII in Regione Pontis meminit Taxa Leonis X.

s. BONAVENTVRAE Capuccinorum, nunc ſanctæ Crux Nationis Lucenſis in radicibus Collis Quirinalis.

s. BONIFATII nunc S. Alexij.

ss. BON. & SILVANI. Boſius lib 3 c. 61.

s. CAECILIAE *de Pantaleis*, in Regione ſancti Angeli, legitur in libro Anniuerſariorum ſanctiſſimi Saluatoris, & apud Signorilem. Forſan eſt idem, quod in Itinerario Scotti appellatur, de Regione Amphitheatri.

s. CAEC. *Sabellorum in domibus* meminit citata taxa.

s. CAEC. *Trans tiberim hoſpitale*, præter notiſſimā d. ſanctæ Eccleſiam, legitur in d. taxa.

s. C. *de Turri dello Campo*, in Regione Pontis habetur in Inſtrumento pro monaſterio ad Aquam Sal-

Saluiam in Cod. Vat. 5844. pag. 132. fuiſſe Parochiale conſtat ex donatione domus Card. Antonij Calui apud Grimaldum. Aliqui credunt fuiſſe apud Montem Iordanum, quod auctor an. 1587. ſcribit à Paſchali fuiſſe extructum. Quodq; erat ſubditum S. Laurentio in Damaſo.

s. CAESAREI Monaſterium in Regione Campi Martij, legitur in taxa Leonis X.

s. CAES. *Oratoriũ*, quod ponitur in monaſterio *de Corſas* à Bibliothecario in Leone Tertio, eſſe idem cum ſancto Cæſareo apud s. Sixtum Viæ Appię conſtat ex eiuſdem pag. 264. in Leone IV. his verbis; *Monaſterium Corſarum, quod iuxta Baſilicam B Sixti mart. atq; Pontificis ſitum eſt*, &c. *reſtaurauit*. Immo Oratorium huiuſmodi fuiſſe proximum eccleſiæ ſanctæ Mariæ conſtat ex d. Leone IV. p. 265. in princip. *Obtulit in Eccleſia B. Dei Genitricis ſemperq; Virginis Mariæ Dominę noſtrę, quæ ponitur infra præfatum monaſterium, quod vocatur Corſarum, veſtem de fundato vnam; Vbi ſupra obtulit in oratorio S. Cæſarei veſtem de fundato vnam.* Grimaldus idem opinatur inquiens. *Fuit d. eccleſia reſtituta à Clemente VIII & eſt Titulus Cardinalis*. Cæterum Corſa familia erat Romæ admodum potens, & Gregorio VII. Pontifici adeò fidelis, vt eius domus ſub Capitolio poſitæ ab Henrico III. ſint exuſtę, & ſolo æquatæ.

s. CAES. *in Palatio. Eſt*, vt Bibliothecarius inquit, pag. 85. in Sergio I. *Oraculum intra Sacroſanctum Palatium Lateranenſe*; habebat Monaſterium; idem in Leone IV. pag. 267. *Et in monaſterio S. Cæſarei, quod ponitur in Palatio, fecit &c.* Diuerſum à ſancti Cæſarei apud s. Sixtum cognominatum impropriè *in Palatio*. De eo Panuinius de Baſilica Lateranẽ lib 4. c. 13. ms. hæc ſcribit. *Nouiſſimè Leo X. Papa*

*ma-*

*magna illa 31. Cardinalium creatione 1517. Oratorium hoc cum veteres Cardinalium tituli non ſufficerent, Titulum Card. inſtituit, eumq; Nicolao Pandulphino Florentino Epiſcopo Piſtorienſi Cardin. presb. tradidit; poſt quem eidem titulo præfuit Ludouicus de Goruo Allobrox Epiſcopus Maurinenſis à Clem VII. an 1529. creatus, cui à Paulo III. ſuffectus eſt Chriſtoforus Madrutius Princeps, & Epiſcopus Tridentinus an 1544. quem Pius IV. proximè ex eodẽ titulo primùm tranſtulit ad tt. S. M. Tranſtiberim, deinde Epiſcopum Albanenſem creauit: Quo verò Palatij loco aut fuerit, aut nunc ſit omnino mihi adhuc incompertum eſt.* Hactenùs Panuin.

s. CAES. *apud S. Paulum*, monaſteriũ recenſetur à Biblioth. in Leone III.

ss. CAES. & PAVLI in Regione Arcolæ meminit taxa Leonis X. Caſtallus Metallinus ſcribit fuiſſe ędificatum quoddam templum S. Cęſario prope Vndam ex quo facilè inferri poteſt fuiſſe, quod nunc dicitur ſancti Pauli Arenulę. Vocatur à Mazochio prope Tiberim.

s. CAES. & SIMETRII monaſterium in æde propria Leonis IV. habetur apud Bibliothecarium.

s. CALLISTI *in Cœlio*, humile, & exiguum erat an. 1587.

s. CASSIANI *Conf.* meminit Biblioth. in Symmaco p. 44. in fine.

s. CAS. monaſterij apud ſanctum Laurentium *foris murum Vrbis* idem Biblioth. meminit in Leone III. pag. 202. Ignoramus, an huius, vel alius meminerint acta ſancti Anaſtaſij monachi Perſę regiſtrata in Cod. Baſilicæ Vaticanæ, & in alio Abbatis Vghelli pag. 68. à tergo.

ss. CAS. & HIPPOLYTI eccleſia in Regione Tri-

Triuij, prope ss. Vincentium & Anaſtaſium erat iuris ſancti Marcelli. Pancirol. Eccl. 11. Regionis Triuij.

s. CATHARINA *in Catinaria*, nunc de Rota, prope Viam Iuliam Cam. Fanucc. de op. pijs libr. 4 cap. 34.

s. CATH. *de Cauallerottis*, erat monaſterium nobilium prope plateam Vaticanam. Grimald.

s. CATH. *de Regione Pontis*, Monaſterio Monialium vniuntur bona ſuppreſſi monaſterij monialium ſanctæ Marię de Virginibus de eadem regione Ordinis ſancti Auguſtini à Bonifatio IX. in conſt. dat. 2. id. Iulij Pontificatus An. 2.

s. CATH. *de Roſa*, nunc de Funarijs.

s. CATH. *de Sabellis* erat an. 1587. ruinoſa eccleſia, nunc dicitur de Rota.

s. CATH. *ſub Tarpeio*, vbi olim erat templum Carmentæ, dirutum an. 1587.

s. CATH. *trans Tiberim* an. 1587. erat ruinoſa, & obſcura eccleſia.

s. CATHARINAE SENENSIS *Catecumenorum* olim è conſpectu monialium ſanctæ Clarę, vbi defuncta eadem ſancta. Tranſlata capella ad S. Marię ſupra Mineruam, & Catecumenis ad S. Marię Montium locus ceſſit Archiconfraternitati ſanctiſſimę Annuntiatę.

s. CORNELII *Papę* Baſilicam fecit ſanctus Leo I. iuxta Cœmeterium *Calliſti*, Via Appia; Bibliothecarius.

ss. COSMAE & DAMIANI *prope Sanctæ Lucię Confalonis*. Adhuc apparet profanatum cum inſcriptione ſupra Portam: erat filiale Baſilicę Vaticanę Cam. Fanuc. c. 24 lib. 4.

ss. COSMAE & DAMIANI, Oratorium conſti-

ſtituitur à Bibliothecàrio in Symmacho *apud S. Mariam Maiorem*, intelligimus ex alio eiuſdem loco in Leone III. vbi dicitur, *In monaſterio SS. Coſmæ, & Damiani, quod ponitur iuxta Præſepe*. Poſtea ſanctus Lucas pictoriæ artis. Perijt ſub Sixto V. in cliui Exquilini radicibus Grimald.

ss. COS. & DAM. in Regione Pineæ, olim Parochiale è conſpectu S. Ioannis de Pinea, fuit à Gregor. XIII. vnitum, & conceſſum d. S. Ioanni Pietatis Carceratorum.

ss. COS. & DAM. *in Vico Aureo*, nunc S. Coſmatus.

ss. COS. & DAM. in Xenodochio Tucij meminit Biblioth. in Leone III.

s. CRESCENTIANAE Tituli habetur mentio in Conc. I. Romano ſub Symmacho. Ignoramus an ſit Baſilica, de qua hæc Biblioth. in Anaſt. I. *Hic fecit Baſilicam, quæ dicitur Creſcentiana in Reg. 2. in Via Mamertina, aliàs Mamurrina in Vrbe Roma*. Itinerarium Scotti, legit *S. Creſcentius in Via Mamertina*.

s. CRVCIS Oratorium *in Baptiſterio Lateranenſi* cuius meminit Bibliothecarius in Hilaro Papa, fuiſſe Capellam, vel Altare exiſtimamus.

s. CR. Oratorium *ad fontem S. Petri* fuiſſe Altare, ſeù capellam non eſt ambigendum. idem Biblioth. in Symmacho. At in Leone III. vocat Oratorium, & monaſterium Hieruſalem. In Leone IV. vocat monaſterium venerabile Hieruſalem, iuxta Eccleſiam B. Petri. Grimald. inquit. *Erat ad Septemtrionem quę ſub Alexandro III. dicebatur S. Vincentius. Iſta eccleſia an. 1611. exciſa noui gratia templi, ad cellæ vinariæ vſum iamdudum traducta, cœcatis vetuſtate picturis: ornatas tres naues fornicatas licèt anguſtas*

 *ha-*

*habebat, oſtium ad ortum Solis, ex quibus decem, & octo columnæ integræ marmoris glareati 20. ferè pal. receptæ fuerunt*

s. CYPRIANI *Via Labicana*, habetur apud Boſium lib.3. cap 36.

s. CYRIACI *Diburi*: ſic legitur in Benedicti IX. priuilegio Syluæ Candidæ relato ab Vghello tom. 1. Italiæ Sacræ fol 120. D. At eſt mendum vocabuli, Diburi, legeñ, Tiburtij, ſcilicet ad Arcum Tiburtij in Via lata, vt dicemus alibi.

s. CYR. *in Thermis* fuit prope S.Suſannam: Veſtigia cernuntur in vinea monachorum Carthuſianorum ea parte, qua, tranſactis horreis Vrbani Octaui proceditur per Viam Piam ad vrbis Portam. Dicitur etiam Quiriaci titulus, Baſilica, & eccleſia. De eo Bibliothecarius in Hadriano I. in Leone III. in Paſchale I. in Gregorio IV. & in Bened.III. Vgonius ſtatio. 25. & 35. *Titulus* (inquit Panuin. de tit. Cardd.) *cum præ vetuſtate corruiſſet, eo templo ſolo æquato titulus à Sixto IV. ad eccleſiam SS. Quirici, & Iulittæ translatus eſt*.

Cæterum de huiuſmodi templo hæc apud acta huius martyris leguntur *Cœpit Diocletianus Auguſtus habere Cyriacum Diaconum benè, & donauit illi domum, & hoc præcepit, vt ſecurus viueret in Vrbe Roma; & Sanctus Cyriacus cœpit habitare cum Largo, & Smaragdo in domum, quam ei donauerat Diocletianus iuxta Thermas Diocletianas, vbi Sanctus Cyriacus fontem ædificauit, quem conſecrauit Sanctus Marcellus Papa, vbi frequenter baptizabat Sanctus Cyriacus venientes ad fidem*. Hactenus Acta. Creſcente perſecutione, Maximiani iuſſu S.Cyriacus capite truncatus fuit, domuſq; Deo ſacra conceſſa fuit Carpaſio perfido Imperatoris miniſtro,

ſtro, *Qui* (ſequuntur eadem Acta) *ingreſſus in eadem Domo, dum introiſſet, & inueniſſet Baptiſterium fecit in eodem loco balneum, quaſi ad deridendum legem Chriſtianam, vbi frequenter lupanaribus, & ſcenicis lauacra exhibebat, turpi lucro gaudens in locum ſanctificatum. Et dum frequenter iſta fierent, & epularent cum ſceleratis, quadam die dum lauaſſent, & exirent, exeunte Carpaſio de Balneo cum multis ſceleratis, decem, & nouem cũ Carpaſio Vicario ſubito ceciderunt, & mortui ſunt. Ab eo die clauſerunt balneum, & factus eſt timor magnus in eadem regione*. Fuiſſe ad dictum S. Cyriaci templum monialium monaſterium colligitur ex Caſtallo Metallino in ſexta Fam.

s. CYR. *de Vrbe* erat in Via lata cum monaſterio monialium habetur epiſt. 75. Innoc. III. lib. 2. reg. 14. fuit vnitum Baſilicæ S. Mariæ in Via lata.

s. CYR. *via Oſtienſi* Boſ. lib. 3. cap. 6. Rom. Subterraneæ.

ss. CYRI, & IOANNIS *Portuenſis*. Extra Portam Portuenſem prope Tiberim, vulgariter dictum, S. Paſſera: Eſt Canonicorum S Mariæ in Via Lata Pancirol. in 7. eccl. Regionis Tranſtiberinæ. Bolandus ad 31. Ianuarij in 3. §. vitæ dictorum Sanctorum.

ss CYRI & IO. *Tranſtiberim* meminerũt Codices manuſcripti Biblioth. Vatic. In dicto templo erat quartæ partis omnium peccatorum remiſſio: inter fundandum Collegium D. Abbatis Conſtantini Caietani à latere ſiniſtro eccl. Sanctæ Cæciliæ fuit reperta Porticula marmorea, in cuius ſuperliminare ſcriptum erat. DOMVS SS. CYRI, & IO: De hac loqui credimus Io. Diac. lib. 4. c. 91. in vita S. Gregorij.

s. DIONYSII Baſilicæ meminit Bibliothecarius in Benedicto III. erat apud Sanctum Silueſtrum de Capite. De huius fundatione habetur in vita SS. Dignæ, & Meritæ in cod Vat. 1192. pag. 165. hęc. *Stephanus Papa cœpit infra hanc Vrbem conſtruere in Domo patris ſui monaſterium in honore ſanctorum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, vbi ſanctorum corpora reconderet, ſed dum fundamenta ipſius eccleſiæ poneret ab hac luce ſubtractus eſt. Tunc Populi Romani cum vno conſenſu elegerũt, & ordinauerunt fratrem eius virum venerabilem Paulum. At vbi ordinatus eſt perfecit atq; compleuit monaſterium, quod frater ſuus Stephanus inchoauit.*

s. DONATVS apud ſanctam Priſcam cum monaſterio legitur apud Biblioth. in Leone Tertio.

s. ELISABETH *ad Puteum album* monaſterium erat, vbi nunc eccleſia & vetus domus Presbyterorũ Congregationis Oratorij Camillus Fanuc. op. pior. li. 2. cap. 10.

s. ELIS. *Reginæ* monaſterium eſt intra moniales ſancti Iacobi *de Morattis*. Pancir. eccl. 11. Regionis Columnæ. forſan idem, quod dicitur, in Campo Martio.

s. ERASMI Monaſterij celeberrimi in Cœlio monte meminit Bibliothecarius in Adeodato Pont. in Leone Tertio, & in Gregorio Quarto. Erat proximum eccleſię ſancti Stephani Rotundi Fulu. de Monte Cœlio, Vgonius in Stat. & alij.

s. EVGENIAE Baſilicam, quam *in Cœlio Monte* fuiſſe credimus reſtaurarunt Ioannes VII. & Hadrianus I. qui adiunctum puellarum monaſterium à fundamentis ædificauit, vt illic Deo iugiter laudes canerent. Hic requieuiſſe corpus dictę ſanctæ teſtatur Bibliothecarius in Leone Tertio, qui veſtem de Stauraci

raci cum periclyſi de blatthin ei fecerat. Vocatur ab eodem Oratorium, cui aliam veſtem Leonem IV donaſſe refert. In eo antiquiſſimis temporibus erat Statio in Dominica Quarta Aduentus.

s. EVGENIAE *foris Portam Latinam* monaſterij meminit Anaſt. Bibliothecarius in Leone Tertio. Vide Boſium lib.3.c.25. In Baſilica duodecim Apoſtolorum eſt Capella cum corpore Sanctæ Eugeniæ, forſan eſt idem cum præcedenti.

s. EVPHEMIAE per multa tempora deſtructa Baſilica fuit renouata á Sergio I. De eadem Bibliothecarius in Leone Tertio. Fuiſſe in Vico Patritio colligitur ex eodem: Immo eadem cum ſancto Archangelo apparet ex dicti hiſce verbis in Leone Tertio. *Pari modo fecit & in monaſterio SS. Euphemiæ, & Archangeli, quod ponitur iuxta Titulum Pudentis, &c.* Adhuc veſtigia extant in angulo quadriuij dicti Vici. De ea Vgonius Stat.4. fol.33. Pancirol. in Eccl. 30. Regionis Montium: & nos aliqua tetigimus in hiſt. Ecc. Sancti Laurentij in Fonte edita anno 1629. & in Roma primæ noſtræ editionis fol. 190.

s. EVPH. *in Via Appia* meminit auctor anni 1587.

s. FELICITATIS Baſilicam reparaſſe Symmachũ Papam ſcribit Bibliothecarius. Forſan fuit ſupra illius cœmeterium *Via Salaria*. Boſ. lib. 3. cap. 53. & 61.

s. FELICIS *in Pincis* Presb. & martyris, á ſubulis quibus occiſus fuit, quę Pincę dicebãtur, nuncupatum. Paſſum fuiſſe Romæ iuxta Portam Pincianam, vbi etiam requieuiſſe in loco, qui dicebatur in Pincis, ſcripſit Petrus de Natalibus lib.2. cap. 73. & 74. Legimus, at auctoris nõ recordamus, eius templum fuiſſe in loco nuncupato, Muro torto; quod etiam

coniectarj poteſt, ex verbis And. Fuluij ſcribentis: *Eſt locus iuxta ædem S. Felicis in Pincis in Colle Hortulorum, vbi ſepultus fuit Nero*. De Neronis ſepultura Sueton. lib. 6. *Reliquias gentili Domitiorum monumento condiderũt, quod proſpicitur è Campo Martio impoſitum Colle Hortulorum*. Monumentum cum oſſibus peſſimi huiusprincipis fuiſſe conſtat vbi olim altare maius ſanctæ Mariæ Populi: Attamen auctor Romæ Subterraneæ editionis italicæ ſcripſit, fuiſſe intra Vrbis mœnia Eccleſiam dicatam ſancto Felici Nolano Epiſcopo; locum ignorat. Fabricius cap. vlt. meminit Eccleſię *Sancti Felicis in Valle Martia vbi olim Augusti Palatium*. Sic arbitramur dictum Auguſti Mauſoleum. Locus ab alijs Mons Auguſtus eſt appellatus; ſic etiam in Bulla Pij Quarti pro Confraternitate S. Rocchi. Hìc Pinciorum palatium fuiſſe colligi poteſt ex Anaſtaſio in vita Siluerij Papæ *Viliſarius venit Romam, & habitauit in Palatio Pinciano*, & infra. *Tunc fecit Beatum Siluerium Papã venire ad ſe in Palatium Pincis, & ad primum & ſecundum velum retinuit omnem clerum. Quo ingreſſo Siluerio cum Vigilio ſoli in Mauſole, Antonina* Patritia *iacebat in lecto, & Viliſarius ſedebat ad pedes eius*. Pinciani Palatij marmora Rauennam portari curauit Theodoricus Gothorum Rex, Tortel. de ortographia. Cætera de Pincis vide apud Bolandum tom. 1. vit. Sanctorum in vita ſancti Felicis §. 6 pag. 940, Quare vnum idemq; fuiſſe credimus, quod dicitur in Pincis, in Pincis, & in Valle Martia.

SS. FELICIS, ET ADAVCTI ſartatecta iuxta S Paulum Apoſtolum renouaſſe Leonem Tertium habetur in Bibliothecario. Fuiſſe eorum cœmeterium à Ioanne Primo renouatum, exiſtimamus. De eo viden. Boſius lib. 3. c. 5. & 10.

s. FIRMINAE meminit Gruterus epitaph.6. pagina 1013.

s. FLAMV corrupto forſan vocabulo, hoſpitalis in Regione Pontis meminit taxa Leonis X

s. FRANCERI in Regione S.Euſtachij meminit d. taxa.

s. GABINII fuiſſe in Foro Sallustij apud eccleſiam S.Suſannæ ſcribit Pomponius Lætus de Romanæ Vrbis vetuſtate, & Fr. Albertinus de foris, & Curijs p.28. Vide C. Becillum in actis S.Caij Papa.

S. GENESII martyris legitur apud Bibliothecar. in Greg. Tertio, qui eius tectum renouauit & altare erexit in nomine Saluatoris.

s. GEORGII *in Martio* meminit Pomp. Vgonius Stat. 2. fol. 18. illudq; ſcribit fuiſſe in Campo Martio, vbi olim celebre Marti falſo gentilium numini templum antiquitas ædificauerat.

s. GEOR. *ad Sedem* meminit S Greg. lib 9. Reg. epiſt 68. ad Marinianum Abbatem. Idem fuiſſe cum eo de Velabro contendunt aliqui. Vide Vgon. Sta. 2. fol. 19. de hoc differentem.

s. GEOR. *in Specis*, vbi olim Iuturnæ lacus, templum erat vaſtum, & dirutum an. 1587.

s GEOR. *in Vaticano* erat templum ad radices cliui Portæ Pertuſij. Grimald.

ss. GERVASII & PROTASII Baſilica ex teſtamēto Veſtinæ ædificata, & ab Innocentio I. dedicata. nunc dicitur S. Vitalis.

ss GORDIANI & EPIMACHI meminit Bibliothecarius in Hadriano I. Boſ. lib. 3. c. 26.

s. GREGORII *in Campo Martio* Oratorio donauit Leo Tertius, caniſtra ex argento. Eſt intra monaſterium monialium s. Mariæ cum nolario. Dicatum fuit honori s. Gregorij Nazianzeni, vnde ſacrum eius

corpus tranſlatum fuit ſolenni pompa ad Vaticanam Baſilicam, atq; in Altare Sacelli Gregorij XIII. reconditum. In dicta eccleſia S. Gregorij ſequens inſcriptio in ara, ſub qua repertum fuit idem ſacrum corpus, legebatur, vt inquit Grimaldus.

SITVM EST SVB HOC D. ALTARI
CORPVS D. GREGORII
EPISCOPI NAZIANZENI
ET
PATRIARCHAE IN CONSTANTINOPOLI
*SVB THEODOSIO SENIORE AN. D. CCCXC. OBIIT.*
Tranſlatum inde corpus Conſtantinopolim, deinde in Vrbem Romam, & in hac Eccleſia conditum eſt nuper ſub Iulio Secundo M.D V.
Poſtremò eodem anno menſe Iulij 24. ſub Abbatiſſa Martia Paloſia.

s. GREG. *in Martio* à proximo Martiæ aquæ ductu ſic dictum. De eo meminit Cencius Camerarius in ſuo Rituali. Panuinius in opere manuſcripto de Baſilica Lateranenſi lib.2. cap.1. hæc ait. *Anaſtaſius Quartus priuilegio ſuo, quod adhuc extat, donauit huic Baſilicæ Eccleſiam ſancti Gregorij in Martio, cum Palatio, in quo ſita eſt, & omnibus, qui ad eam pertinebant, redditibus* nunc dicitur s. Maria Imperatrix.

s. GREG. *in Vaticano*. Erat hoſpitale, de quo Biblioth. in Hadriano I. Dicebatur ad gradus ſancti Petri, eratq; in oppoſito Pœnitentiariæ, & fuit demolitum ſub Pio Quarto an. 1393. ampliandi fori gratia. Vocatum fuit Armenorum & poſtea ſanctæ

Ma-

Mariæ Virgariorum, vbi vide.

s. HADRIANI *monaſterium iuxta Præſepe*, Bibliothecarius. Appellatur & S. Laurentij, in Hadriano Primo, qui totum renouauerat. De eodem in Leone Tertio. Fertur perijſſe ſub Nicolao Quinto in conſtructione Palatij è Regione Capellæ Burgheſiæ. Grimald.

s. HELENAE Baſilicæ meminit Bibliothecarius in Stephano Quinto.

ss HERMETIS. BASILLAE. PROTHI. ET HYACINTHI *Via Salaria Veteri*, meminit Boſius li. 3. cap. 58. & 61.

s. HIERON. *in Quirinali* è conſpectu ſancti Silueſtri Theatinorum fuit demolitum tempore Pauli V. pro ampliando Palatio Cardinalis Burgheſij, quod poſtea fuit Ducis ab Altaemps, tùm Bentiuolorum, poſtremò Mazarinorum. Et fratres S. Hieronymi Feſularum tranſlati fuerunt ad ſanctos Vincentium, & Anaſtaſium in Triuio.

HIERVSALEM monaſterium. Vide ſancta Crux.

s. HYPPOLITHI *ſub Quirinali*, erat parua, & deſerta eccleſia an. 1587. aſcendendo ad ſanctum Saturninũ, prope Maronitarum Collegium.

ss. HYPP. & CASSIANI. Vide ſancti Caſſiani.

s. IACOBI *de Altopaſſo* in regione Ripæ meminit taxa Leonis X.

s. IAC. *apud Coloſseum*. Erat ibi, vbi eſt fœnile cum imagine B. Marię Virginis in eius angulo; habebatq; hoſpitale, quod ad Lateranum tranſlatum nunc dicitur ad Sancta ſanctorum.

s. IAC. *in Thermis* hoſpitale nunc ſancti Saluatoris prope Palatium Mag. Ducis Panciroi. Idem Lombardorum dicebatur, Camill. Fanuc. lib. 4. c. 8.

s. IA-

s. IANVARII MART. Baſilicam reſtaurauit Hadrianus Primus, quam Bibliothecar. ſcribit fuiſſe ſitam ad Portam B. Laurentij. De ea s. Greg. Dialog. lib. 4 c. 54 Boſ. lib 3. c. 36. & 40.

s. INDOLAE cum clauſtro monialium eſt apud omnes authores Mirabilium præteriti ſeculi. Erat inter ſanctam Pudentianam, & ſanctum Vitalem. Verùm arbitramur mendũ in nomine cum alicubi legatur, ſanctus Ioannes in Dola.

s. IOANNIS *in Agina* eccleſia conceditur ab L. tt. s. Laurentij in Damaſo Card. Patriarcha Aquilegieñ, & D. Papæ Camerario, ac Sedis Apoſtolicæ contra Teucros Legato, Aegidio de Horto Canonico ſancti Laurentij in Damaſo die 20. Decembris 1458. tempore Pij Secundi, fortè eſt ſanctus Ioannes in Aino.

s. IO. *in Auentino* cum monaſterio legitur in Leone Tertio apud Biblioth. Nunc Prioratus Vrbis s Ioan. Hieroſolymitani. Grimald.

s. IO. *Bertonorum* legitur in taxa Leonis X.

s. IO. *Carapullæ* in Regione Montium fuit vnitum Eccleſiæ ss. Sergij, & Bacchi à Gregorio Decimo tertio in Bulla Dat. Kal. Iunij an. 1582. Appellatur de Carapallo in taxa Gregorij Decimitertij.

s. IO. *de Ficoccia*, nunc Maronitarum prope aliud ſancti Hippolyti.

s. IO. *inter duos pontes*, videlicet in Inſula Tiberina, eſt apud Vghellum Ital. ſac. vol. 1. pag. 122. B. forſan eſt S. Io: Calybita.

s. IO. *in Mica aurea*, nunc ſanctus Ioannes de Malua. Panciro].

s. IO. *Palatij Neruæ* apud Gruterum epitaph. 9. pag. 895.

s. IO. *in Dola* Vide S. Indola.

ss. IOANN. & CYRI. Vide Cyrus, & Albicyrus.

ss. IO: & PAVLI monaſterium conſtituit s. Leo apud ſanctum Petrum; cui caniſtrum ex argento donauit Leo Tertius; lucernam argenteam Leo Quartus Biblioth. Eratq; ædificatum in loco, vbi nunc eſt Abſis ad Septemtrionem, ſeù Sacellum ſanctorum Proceſſi, & Martiniani, & fuit vna Canonica Baſilicæ Vaticanæ. Grimald. Huius meminerunt priuilegia Ioannis XIX. & Benedicti Noni relata ab Vghello tomo 1. Ital. ſac. pag. 111. D. & 123. C.

s. IOSEPHI templum in Regione Pineæ, cuius meminit auctor an. 1587. ſubdens. Quod illuſtris fœmina Victoria Columna puellabus tenuibus, quibus annuos redditus conſtituit, dicauit.

s. ISIDORI monaſterij meminit in Leone Tertio Bibliothecarius

s. IVLIANAE M. templum excitatur à quadam muliere, nomine Sophia, vt in eius vita apud Lippomanum.

s. IVSTINI *in Palatiolo*, erat in rupe ſancti Spiritus, ſubiectum Baſilicæ Vaticanæ, demolitum in conſtructione vinearum Cæſiorum, & Vercellorum. Vocatur corrupto vocabulo, *Saccorum* pro *Saxonum*. Grimald. *Modernus* (inquit) *appellatum fuiſſe ſancti Iuſtini in Portica ſancti Petri, & fuiſſe in loco Campi Sancti*.

s. LAVRENTII *Caballutiorum* ſiue *de Cauallinis de Caballis*, *Petri Leonis*, *de flumine*, *ſeu prope Pontem ſanctæ Mariæ*, erat Prope Pontem Fabritium, qui dicitur, *Quattuor Capitum*, fuitq; conceſſum an. 1572. à Pio Quarto Armenorum Nationi. Verùm à Pio Quinto, ſeiunctis Chriſtianorum ædibus ab hebræorum, illud intra horum ſeptum remanſit profana-

natum, & Armeni ad ſanctam Mariam Aegyptiacam fuerunt translati. Camil. Fanucc. oper. pior. lib. 1. cap.33.

s. LAVR. *ſupra S.Clementem* legitur in Bibliothecario his verbis. *Hic beatiſſimus Papa* (Stephanus Tertius) *reſtaurauit Baſilicam ſancti Laurentij ſuper S.Clementem ſitam regione tertia, quæ à diuturnis temporibus diruta manebat.*

s. LAVR. *ad Craticulam* templum fuiſſe idem, quod Lucinæ ſcripſit Ioannes Seueranus, diuerſumq; fuiſſe probauimus in noſtra Roma italicè edita. Verùm cum legerimus in Rituali Benedicti Canonici Sancti Petri, fuiſſe locum nominatum, Templum Craticulę in Regione Areolę, quod antiquiſſimi authores locāt ad Cacabarios: Cumq; Camillus Fanuccius lib.4. c.5. aſseueret fuiſſe aliam ſancti Laurentij eccleſiam, diuerſam à Damaſi, demolitam à Card. ſancti Georgij, pro ſui Palatij fabrica amplianda, lector iudicabit an hìc, vel alibi fuerit ſancti Laurentij eccleſia nuncupata, ad craticulam.

s. LAVR. *ad Formoſam* eccleſiam nouiter reſtaurauit Hadrianus I Baſilica in Formoſo vocatur in Leone Tertio à Biblioth, eadem cum Perpernę à Formoſo I inſtaurata, Grimald.

s. LAVR. *in Ianiculo*, de quo Scottus in Itinerario; forſan idem cum alio de Turribus.

s. LAVR. *im Mantuccia*, aliàs *Matuta*, nunc S.Andreas in Vinchi.

s. LAVR. *de Nicolanaſa* templum erat proximū ſanctæ Mariæ de Conſolatione, ad quod translatus fuit lapis, in quo recenſetur eiuſdem conſecratio facta an.1251. Eſt ibi hoſpitale mulierum.

s. LAVR. *in Palatinis*, *&* *Pallacini* monaſterium nouiter reſtaurauit Hadrianus I. & coniunxit cum

alio

alio monaſterio ſancti Stephani iuxta ipſum poſiti, quod cognominabatur Baganda, & ordinauit ibi monacos ad pſallendum in titulo ſancti Marci. De eodē Biblioth. in Leone Tertio, Gregorio Quarto, & Benedicto Tertio. Grimaldus inquit, *Iſta eccleſia erat in oppoſito palatij Matthęiorum, & perijt in conſtructione monaſterij ſanctæ Catharinæ meminit Bulla Cæleſtini Tertij, in qua vocatur, in caſtello aureo, id eſt, in Circo Flaminio. Vocatur etiam in Clauſura*.

s. LAVR. *de Papitarijs* fit mentio in inſtrumento anni 1364. 16. Septembris, quod vidimus in Tabulario, ſeù Archiuo Monialium ſanctæ Mariæ Campi Martij.

s. LAVR. *in Piſcibus* adhuc viget in Burgo veteri, Pancirol in Reg.7. Eccl xxv.

s. LAVR. *in Piſcinula* erat in Parochia ſanctæ Cæciliæ Innocentius Tertius in cap.2. de Capellis.

s. LAVR. *della Sceſa*, in regione Pineæ meminit taxa Leonis X. fortè quod nunc dicitur ſanctus Laurentiolus in Reg. Montium.

s. LAVR. *ad Taurellum* meminit Bibliothecarius in Hadriano I.

s. LAVR. *de Turribus*, in Regione Tranſtiberim meminit Taxa Leonis X. fortè idem, quod alibi vocatur *in Piſcinula*. Prope antiquum iudęorum ſepulcretum Tranſtiberim apparebat veſtigium eccleſiæ in porta vndequaquè picta cum imagine ſancti Laurentij ſupra Craticulam. De eo Mazochius pagina 153.

s. LAVR. *in Via Bibaretica* in Regione Montium erat ſuppoſitum Baſilicæ duodecim Apoſtolorum, ex huius monumentis.

ss. LAVR. & ANG. *Fabrorum Ferrariorum*

in

in Regione Tranſtiberim meminit dicta taxa.

ss. LAVR. & HADR. vide V. Hadrianus.

ss. LAVR. & STEPH. monaſterium apud Tit. ſancti Chryſogoni conſtruxit, & dotauit Gregorius Tertius ex Biblioth. idem cum ſancto Chryſogono.

ss. LEONIS & PAVLI propè ſanctæ Bibianæ ex Stephano Gallonio in Guida Angelica die 23. Auguſti.

s. LEONARDI in Regione ſancti Angeli; prope Aedes de ſancta Cruce, exiſtimamus ſuiſſe templum, quod lapicidæ poſſidebant, quodq; fuit ſolo æquatũ pro ſabrica Palatij Patritiorum, nunc de Coſtagutis, tempore Pauli Quinti. De eo Fanucc. lib 4. c. 21. forſan eſt quod appellatur, *Vetus in Apothecis obſcuris*.

s. LEONARDVS *in Carinis* apud Scriptorem an. 1587. & in Schotti itinerario, Idem in Orphea, & in Silice.

s. LEON. erat vltra Peregrini viam, quà itur ad Aelium Pontem ex eiſdem.

s. LVCAS *in Exquilijs* Societatis Pictorum à Sixto Quinto ſolo æquatum ad aream obeliſci complanandam. Olim ſanctorum Coſmæ, & Damiani monaſterium, vide ſupra. De eo Camil. Fanuc. l. 4. c. 25. op. pior.

s. LVCIAE mònaſterium apud Eccleſiam ſanctorum Petri, & Marcellini exiſtimat Vgonius ſuiſſe olim ædificatum, Stat 18. in fine.

s. LVC. *in Septem Vijs* Diaconiam fuiſse diuerſam ab eccleſia S. Luciæ in Orphea conſtat ex Bibliothecario in Leone Tertio. De ea idem in Gregorio Quarto. Eandem appellant in Septizonio, in ſepta Solis, ſeù in Septodio Lætus, Blondus, & Scriptores rerum Pontificum Romanorum. A Septizonio, quod

quod Apollini Palatino ſacrum fuerat, ſic dictum, & à Sanctis Pontificibus S.Luciæ dicatum, Roſin. antiquit Rom.lib.2 cap.7. Cæterùm templum donis opulentiſſimum, & opere magnificentiſſimum fuerat, ex eodem. Ad idem fuiſſe ductas SS.Priſcam, & Martinam nobiliſſimas Virgines, & martyres certo credimus. Titulum, ſeu Diaconiam S.R.E. Cardinal. fuiſſe indubitatum eſt, quem Panuinius in Circo, Martinus Polonus in Circo Palatij iuxta Septiſolium appellant, & in qua Gregorius Nonus ſcribitur creatus Pontifex.

s. LVC. *de Serenatis*, ſeu *de Renatis* monaſterium à præcitata Diaconia diuerſum reperitur in d Bibliothec. Grimaldus putat, eſſe Eccleſiam S. Luciæ Quattuor portarum, aliàs de Tenta, ſeù Terento, quæ olim erat collegiata, vt docet lapis muro affixus. At Gallonius in *Guida Angelica* inquit eſſe, *S. Mariam Magdalenam mulierum pœnitentium*, in die Stat. S.Apollinaris: fortè idem quod alij appellabant *S.Luciæ de Columna*, ſeu *Regionis Columnæ*, vt in conſtit. Clementis Septimi erectionis Conuertitarum Vrbis.

s. LVC. *Veteris*, nunc apothecarum obſcurarum.

s. LVC. *in Xenodochio* Oratorium legitur apud Bibliothecarium in Leone Tertio: diuerſum ab Orphea: Grimaldus putat fuiſſe iuxta nouum Oratoriũ Confalonis, membrumq; Abbatiæ S.Blaſij de Cantuſecuto in Via Iulia.

s. LVDOVICVS *nationis Gallicanæ*, nunc ſancta Helena Cuſtodum Abaci, vulgò *Credentieri*. Camil. Fanucc. lib.4. c.19. op pior. Dependebat ab Abbatia Farſen.

ss. MAR-

ss. MARCELLINI & PETRI *Via Lauicana*; Boſ lib.3.c.32.

s. MARCIANI Eccleſiæ, quæ ſita eſt in Domucella, quæ vocatur Balnearola, obtulit veſtem, & vela Leo IV. ex Biblioth. Eſt forſan extra Vrbem.

s. MARCILIANVS prope ſanctam Mariam Montis Cæli, extabat an 1587. Schotti Itiner.

s. MARCI *in Macello* Via Alexandrina, nunc ſancta Maria Angelorum Societatis Textorum.

s. MAR. *Via Appia* Baſilicam extra muros Vrbis inſtaurauit Gregor. III. fuiſſe eiuſdem S. Marci cœmeterium conſtat in Benedicto Tertio apud Bibliothecarium.

s. MARGARITAE, in radice Exquilini Montis anno. 1587. ex aduerſo Amphitheatri. Erat, vt audiuimus, familiæ DD. de Silueſtris, vbi Viridarium olim Card. Pij. Adhuc in Aedibus annexis cernuntur in marmore inſignia d. familiæ.

s. MARIAE *in Aemilia*, quæ Via Aurelia nuncupatur, Eccleſiæ meminit in Leone Quarto Bibliothecarius.

s. M. *Ambroſij*, eſt in Leone Tertio apud Bibliot. Hoc eſſe S Ambroſij de Maxima, ſcribit Pancirol. in Eccl 3 Reg. S Angeli.

s. MARIAE *Annuntiata* Collegij Romani in Regione Pineæ an. 1562. excitatum ex eleemoſynis Victoriæ Tolfiæ matris Pauli IV. Pontificis. Erat annexum Collegio Romano; profanatum translatis iuribus in nouum magnificentiſſimum templum S. Ignatij Ieſuitarum.

s. M. *Annuntiatæ* in Regione *Campitelli* à Iulia Columna nobili Romana ædificatum pro Monaſterio Monialium Neophytarum inſtituendo, vt in Bulla Pij Quarti in Bullario veteri; extinctum translatis,

Mo-

Monialibus ad Sancti Baſilij.

s MARIAE *Antiquæ*,nunc noua,in Cãpo Vaccino.

s. M. *in Arco* regionis Montium meminit Taxa Leonis X. Fortè de Arca Noe, cuius meminit Petrus de Capharellis in Chronico de Romanis familijs. Dicebatur *Arca Noe*, corrupto vocabulo ab Arcu Neruæ in eius foro. Locus nunc eſt adPantanos.

s. M. *Armenorum* erat vltra pontem inter ſanctam Mariam Trãſpontinam,& S.Catharinam Senior.

s.M *de Aſtallis*,ſiue de Strada, nunc Nominis Ieſu.

s. M *in Auguſta*, nunc S. Iacobus Incurabilium.

s. M. *in Atrio*, poſtea in Turri prope S. Petrum. Diximus plura in Imag. vindicata contra Torrigium. Vide etiam infra in V. S. Mariæ Diaconia.

s. M. *Bagnanapolis* erat Iuspatronatus Nicolai de Comite Domini caſtri Poli, vt in conſtit. Pij Secundi dat.an.1458. 4. calend. Octobris Pontificatus anno I. & in ea erat inſtituta confraternitas vtriuſque ſexus tertij Ordinis S,Dominici de Pœnitentia. fuit vbi nunc Monaſterium S.Catharinæ Senenſis ad Balnea Pauli.

s. M. *ad Buſtagallica*, nunc S.Andreas;corrupto vocabulo,in Portugallo prope Coloſſeum.

s. M. *de Campo in Puteo*. De hoc ſcripſimus in cap.3. Diaconiæ S Agathæ. Pro eodem vidimus Alexand. IV.conſtit. deſumptã ex ms.Cod.3457.Bib.Vatic. pag 43. huiuſmodi tenoris.

*ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei. Dilecto filio Presbytero Ioanni Rectori Eccleſiæ Sanctę Mariæ de Campo in Puteo Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*LIcet is,de cuius munerevenit,vt ſibi àfidelibus ſuis dignè, & laudabiliter ſeruiatur, de abundantia*

*pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit, & vota bene ſeruientibus multo maiora retribuat, quàm valeant promerere. Deſiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum ei, quaſi quibuſdam illectiuis pręmijs, indulgentijs ſcilicet, & remiſſionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuinæ gratiæ aptiores. Cum igitur ſicut nobis exponere curauiſti, feſtum dedicationis Eccleſiæ tuæ octauo Kal. Nouembris conſueuit celebrari, nos tuis ſupplicationibus inclinati feſtum ipſum & Indulgentiam conceſſam accedentibus ad idem feſtum in quartam feriam primæ hebdomadę Quadrageſimę transferentes omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui eccleſiam ipſam in die translationis huiuſmodi venerabiliter viſitauerint, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi 40. dies de iniunctis ſibi pœnitentijs, annis ſingulis miſericorditer relaxamus. Dat Laterani X. Kal. Februarij. Anno Dominicę Incarnationis 1257. Pont. noſtri An. 3.*

De huiuſmodi templo hæc ſcribit And. Fuluius in fine cap. de monte Viminali. *In Valle Quirinali fuit etiam Puteus D. Probę, quem Proba fecit ſub proximo templo S. Agathæ, & iuxta ſanctę Mariæ in Campo, vbi à fronte inciſæ litteræ huius rei indices iuxta hoſpitale Epirotarum.*

S. M. *Candeloræ* Regionis S. Angeli meminit taxa Leonis X. *In Candeloro* legitur apud Gruterum epitaph. 6. pag 835. Erat paruum & deſertum in dicta regione S. Angeli 1587.

S. M. *in Cannella*, ſiue *in Triuio* erat vnitum monaſterio S. Marcelli, & an. 1560. à Pio IV. conceſsũ Cruciferis. Idem vocatur *prope Fontem Triuij.*

S. M.

ſ. M. *in Carello* in dicta regione meminit d,taxa

ſ. M. *in Caſtro aureo*, nunc S. Petrus in Monte aureo, vt Pancirolus. Verùm credimus eſſe ſanctam Mariam de Roſa in Caſtello aureo, id eſt in Circo Flaminio, nunc S. Catharina de Funarijs; Nullibi enim legimus, Montem Aureum fuiſſe à quoquam appellatum Caſtrum aureum.

ſ. M. *in Catharina*, nunc ſancta Catharina de Rota Panciro. Alibi corrupto vocabulo dicitur S. Maria *in Catemeri*.

ſ. M. *in Catinara* in regione Areolæ meminit taxa Leonis X. Fortè in Catemiri, cuius meminit Caſtallus Metallinus; & idem cum præcedenti.

ſ. M. *de Cella* mentio habetur in Inſtrumento cuiuſdam laudi an. 1241. apud Naudæum. Taxa dicti Leonis X. recenſet in S. Aloyſio regionis Columnæ: Auctor an. 1587. appellat de Cælis prope Gallorum templum in Circo Flaminio. Liber anniuerſariorum ſanctiſſimi Saluatoris appellat idem, de Cellis.

ſ. M. *Corſarum* monaſterium erat apud ſanctum Sixtum Viam Appia, de quo etiam ſupra diximus verbo, S. Cæſareus.

ſ. M. propè aliud *de Coſmedin*, nunc S. Aniani. Pancirol.

ſ. M. *de Curte* notatur an. 1587. infra Capitolium poſt Sanctam Mariam de Sole, eratq; parochiale ſub tit. Sancti Marci. locus nunc dicitur Turris Speculorum.

ſ. M. *in Cyro* Diaconia, cuius meminit Bibliothecarius in Leone III. & IV. eſt eadem, quæ vocatur ab eodem in Gregorio IV. *Diaconia Cyri*, & alibi *S. Archangelus ad Alephantum*, *& Abbatis Cyri*, *& Ioannis*.

s. M. *in Falcone* vltra Pontem Miluium refertur in Inſtrumento conceſſionis emphytheoticæ factæ à Capitulo ſancti Euſtachij Hieronymo Baſſo Card.tt. S. Chryſogoni 12.Aprilis 1483. rogatę à Notario Antonio de Alberijs Vrbeuetano: Creditur eſſe Eccleſia in fundo Farneſiorum, eo in loco, vbi dicitur Conſtantinus caſtra poſuiſse contra Maxentium, cuius ruinas vidimus ex gratia D.Alexandri Siri.

s. M. *de Febribus* erat ædicula coniuncta cum Porticu anteriori, quæ erat ante fores Vaticanæ Baſilicę, à S Gregorio Papa ædificata, vt habet Pontificale antiquum dictæ Baſilicę, vnico fornice, octo albis, & altis columnis, Zophoro, ſex Sacellis, & apſide ornata cum porta ad Orientem à Sixto Quarto reſtituta. Grimaldus: Modernus ſcribit, eſſe Sacrariũ Baſilicæ Vaticanæ.

s. M. *de Fontana* in Monte Exquilino. Martin. Polon.

s. M. *in Fornica*, ſiue in Via Fornicata ad fontem Triuij. Donat. lib.3. c.16. in princ.

s. M. *de Fouea*, nunc S. Ioannes Decollatus Societatis Miſericordiæ Florentinorum. Camill. Fan. lib 4. cap.8.

s. M. *in Inſula* Eccleſia notatur an.1587 diruta cum aliquot columnis, & ſepulcro antiquo. Eſt ſancti Ioannis Calybitæ, nam tribus nauibus, vt aiunt, conſtabat columnis ſuffulta, quarum aliquæ extra, & intra parietes Conuentus fratrũ B.Ioannis Dei, adhuc cernuntur. Vocatur à Mazochio S.Maria monialium in Iuſula Tiberina.

s. M. *in Iordano*, nunc SS. Simeon, & Iudas in monte Iordano. Taxa Leonis X, & Panciro l.

s. M. *Iuliæ* monaſterium, Bibliothecarius in Leone Tertio: Eiuſdem in Reg. Areolæ meminerunt ta-

ſa Leonis X. & Mazochius. Nunc S. Anna Monialiũ ſcribit Grimaldus. At Iuliæ Baſilicam à Cęleſtino I. dedicatam fuiſſe in Laterano prope Oratorium Sancti Silueſtri colligitur ex Bibliothecario in Sergio pagina 85.

s. M *de Lutara* Oratorij cum monaſterio meminit Biblioth. in Leone Tertio, Grimaldus inquit; *Puto eſſe illam ſatis nominatam ſub vocabulo S. Maria in Monaſterio in Carinis, fortè vbi nunc eſt Monaſterium Purificationis.*

s. M. *in Marcello* in regione Montium meminit dicta Taxa. fortè in Macello.

s. M. *matris Dei* anguſta eccleſia Patrum Matris Dei, fuit, vbi nunc eſt Palatium Card. Carpinei. Profanata, quia Patres transmigrarunt ad S.Mariæ de Campitello.

s. M. *de Miraculis*, prope portam Portuenſem an.1587.

s. M. *in Monaſterio de Vrbe* fit mentio in prouiſione beneficij ad fauorē Iacobi q. Pauli de Tedallinis canonici huius Eccleſiæ, in 5. regeſt. an. 2. Pont. Bonifatij IX Fuit conceſſa pro habitatione Epiſcoporum Tuſculanorum ab Honorio III. Vghel. tom. 1. Italiæ Sac. fol. 266. A. Martinus V. Monachis S. Petri ad Vincula Ordinis S.Hieronymi annexuit. Nunc Sancta Maria Purificationis Pancirol. Eccleſ. 39. & 40. regionis Montium. Vide S.Maria de Lutara. Inter antiquas Abbatias enunciatas à Panuinio de Baſilica Lateran. hæc legũtur *Abbas S. Mariæ in Monaſterio iuxta S. Petrum ad Vincula.*

s. M. non longè *à monte Auguſto* meminit priuilegium Ioannis XIX conceſſum Syluæ Candidæ eccleſiæ, relatum ab Vghello tom. 1. Ital. Sac. pag. 111 fortè typographi errore, nam in alio pro eadem

eccleſia priuilegio Benedicti IX. ibid. relato pag.122. A. appellatur *S. Martina*.

s. M. *Oratorij in monaſterio Michaelis* meminit Bibliothecarius in Leone III.

s. M. *in Palatiolo* erat in ciuitate Leonina in Monte S.Michaelis, deſtructũ in ædificanda vinea Cæſiorum, vel Vercellorum. Grimald.

s. M. *in Palladio*, nunc S.Sebaſtianus in Pallata.

s. M. *de Pontica*, vbi feria 3. poſt Dominicam Palmarum fiebat collecta ad celebrandam Stationẽ in S. Priſca, meminit Stationarius ms. ſub Alexandro III.

s. M. *in Porticu* in Regione Triuij meminit taxa Leonis X.

s. M. *del Porto* in regione Montium meminit d. taxa.

s. M. *ad Præſepe* Tranſtiberim. Erat capella in Titulo Calliſti, *in quo*, ait Bibliothecarius, *Gregorius IV. ſanctum fecit præſepium ad ſimilitudinem Præſepij S Mariæ Maioris.*

s. M. *Refugij* cum monialium monaſterio erat in ſummitate montis Quirinalis è conſpectu S. Silueſtri Theatinorum. fuit ſolo æquatum pro ampliando Palatio Burgheſiorum, nunc Mazarinorum, ſub Paulo Quinto, translatis monialibus ad radices Quirinalis, vbi eſt eccleſia S.Mariæ Virginum.

s. M. *Reginæ Cæli* in Platea S.Petri meminit taxa Leonis X.

s. M. *de Roſa* habetur in Ordine Romano forte S. Maria Domnę Roſæ, nunc ſancta Catharina de Funarijs.

s. M: *in Saxia* nunc Sanctus Spiritus. Panciroł. & alij.

s. M.

s. M. *della Sbarra*. Erat Cappellania perpetua DD. de Cincijs.

s. M. *in Secundicerio* meminit Pancirolus in eccleſia 4. Regionis Pontis.

s. M *del Sole* ad Turrim Speculorum paucis abhinc annis profanatum. De eo Panc in eccl. 4. Regionis Campitelli.

s. M. *in Spaczolaria* hoſpitale recenſetur in epiſtola 150. lib.3. Regeſt.15. Innocentij III. pag. mihi 423.

s, M *de Strada* in Regione Pineæ meminit taxa Leonis X. Aliud notatur ab auctore an.1587. his verbis. *Interporticum corinthiam, & Capitolinum è regione S.Luciæ nunc euerſę*. Vide Sancta Maria de Aſtallis, & Templum Ieſu.

s. M. *in Synodo* in Regione Triuij meminit Leo X in Taxa.

s. M. *in Thermis* nunc S. Ludouicus Nationis Gallicanæ. Panciról.

s. M. *in Tuſella* legitur in libro Anniuerſariorum Sanctiſſimi Saluatoris; Eratq; in Regione Ripæ.

s M. *in Turri* in Vaticano; eadem in Atrio: Defecit ſub Paulo V. in capite graduum Baſilicæ Vaticanæ, Sic Grimald. Vide ſupra V. Sancta Maria in Atrio.

s. M. *in Via Tiburtina*, Boſ. lib.3.c.11.

s. M. *Virgariorum*, fuit hoſpitale è conſpectu Pœnitentiariæ inſtitutum à S. Gregorio. Mallius ait, *Fecit Xenodochium B.Gregorius iuxta gradus Beati Petri, & conſtituit ibi tres cantores cum Primicerio, qui iugiter officiarent Miſſam ad Altare Beati Petri, indutus pluuiali, & mitra, & virga ſtaret iuxta altare cum duobus, & tribus, & quatuor, & pro beneficio haberent, ſicut in priuilegio eius legitur*. Ab

 his

his igitur, qui virgas tenebant iuxta altare S.Petri, Virgariorum eccleſia dicta eſt. Vocabatur etiam ſanctus Gregorius Armenorum, propter Armenos ibi degentes. Grimald. Vide ſupra V. Sanctus Gregorius. Idem Grimaldus hæc alia Mallij verba refert. *In eadem platea ante ſanctum Petrum, videlicet ante eccleſiam ſanctę Mariæ Virgariorum eſt quoddam aliud cantharum* (ideſt coopertorium ſiue tabernaculum) *in quo de conſuetudine ſchola Virgariorum præparat lectum D.Papæ, in letania maiori veniendo ad ſanctum Petrum.*

s. M. *de Virginibus* de Regione Pontis vide in V. S.Catharina eiuſdem Regionis. *Aliud* eiuſdem nominis *in porticu Antonini*, vbi cęptum Orphanorum inſtitutum in platea, quę nunc dicitur, di Pietra.

s. M. *in Xenodochio* Oratorij Firmis meminit Bibliothecarius in Leone III.

s. M. & S. ALOYSII *in Campo martio* meminit taxa Leonis X.

s. MARTINAE *ad montem Auguſtum*, idem cũ ſequenti, Vide etiam V. S.Maria non longè à monte Auguſto.

s MART. *in Tribus foris* eccleſię, ſeù Baſilicæ meminit Bibliothecarius in Leone III. eandem credimus cum illa nuncupata *Regionis Campitelli*, ad quam ſpectabat eccleſia, ſeù carcer SS.Petri, & Pauli, vt in inſtrumentis quarundã receputarum an. 1390. & 1439 cuiuſdam Antonij, & duorum Canonicorum dictę eccleſiæ nobis exhibitis à cl. V. Gabriele Naudæo.

S. MART. *Viæ Oſtienſis* meminit Boſius lib. 3. cap. 9.

s. MARTINI monaſterij iuxta S.Petrum meminerunt priuilegia Ioannis XIX. & Benedicti IX. relata ab Vghello Italię Sacræ fol. 111. D. & 223. C, tom. 1.

forſan eſt idem cum aliquo ex ſequentibus.

s. MART. *de Nardonibus* à Familia ſic denominatum; extat hodie incluſum Palatio Prioratus Vrbis in platea Vaticana. Grimald. Idem appellatur de Porticu. ex eodem.

s. MART. eccleſia *iuxta Thermas Traianas* extat in Monte Exquilino ſub cura fratrum Carmelitanorum.

s. MART. *in Vaticano* eccleſia, Diaconia, ſeù monaſterium, de quo Bibliothecarius in Leone III. & IV. & Bened. III. erat, vbi nunc eſt Sacellum ſanctorũ Leonum, & ibi habitabant Canonici Sancti Petri. Vocata etiam fuit *ad*, & *iuxta ferratam*. Grimaldus.

ss. MART. SERGII. ET BACCHI erat apud arcum Seueri; Vide infra V Sergius & Bacchus.

s. MENNAE Baſilicam reſtaurauit Leo Tertius. Bibliothec. Credimus fuiſſe prope Baſilicã Sancti Pauli nam feria IV. poſt Dominicã quartã Quadrageſimæ in Statione ad Sanctum Paulum fiebat collecta in d. Baſilica S. Mennæ.

s. MICHAELIS ARCHANGELI *de Formis*, idem cum S. Thomæ. Vt in ep. 319. Honorij Papæ II. incip. Inter. Regeſt. lib 1. & 2. ſimul.

ss MVTI. ET CVPI, ſcilicet Patermuthij, & Copretis, de quibus in Martyrol. die 9. Iulij, in Regione S. Angeli meminit taxa Leonis X. Erat intra ſeptum hebræorum, & ſolo æquato, ſeù profanato, fuerunt translata iura ad S. Angelum fori Piſcarij, erecta inibi capella, quæ taxatur à dicto Leone in ſcutis decem. Erat parochiale, vt in libro Anniuerſ. Sanctiſſimi Saluatoris.

ss. NICANDRI ET ELEVTHERII *Via Labicana* meminit Bibliothecarius in vita Gelaſij Papæ, & de S Ni-

S.Nicandri foſſato, ſiuè eccleſia Via Ardeatina vide Boſ. lib.3.c.22.

s. NICOLAI *in Archionibus*, nunc ad capita Domorum. Pancirol.

s. NICOL. prope Domum *de Capite Ferreo* ſub Parochia S.Thomæ della Caten a regionis Areolæ conceſſum fuit die 30. Auguſti 1532. à Clemente VII. Confraternitati Laicorum, & hodie dicitur *S.Maria de Quercu*, Idem vocatur, *Poſt Campum Florę*, à Mazochio p.106 epig.

s. NICOL. *de Caualeryjs* Parochiale, intra cuius fines erat Monaſterium Sanctiſſimæ Trinitatis cum bizochis tertij ordinis S.Franciſci.

s. NICOL. *de Ciragia* in Regione Columnæ legitur in taxa Leonis X. Fuit Pauli III. iuſſu demolitum pro ornamento, & decore Vrbis, eiuſque fructibus erectæ Capellanię perpetuæ curatæ, ſub inuocatione eiuſdem ſancti in eccleſia S.Saluatoris de Pietate aliàs de Cuppellis, vt in eius motu proprio dato 5. Kalen. Iunij Pontif. an.12. in quo vocatur de Ceraſa, aliàs de Pino.

s. NICOL. *in Cliuo Argentario*, ſiue alla Salita, vt dicitur, de Marforio, erat proximum S.Laurentiolo, ſolo æquatum à Sixto V. tranſlatis iuribus ad d. S.Laurentioli. Pancirol.

s. NICOL. *de Colondo* in regione Montium legitur in Taxa Leonis X. fortè mendum in adiuncto, corrigen, *in Columna*, prope enim Columnam Traiani fuit templum dicto Sancto dicatum, cum cura, ſubditum Baſilicę duodecim Apoſtolorum, vt ex ſuis monumentis. Et diruto templo, quod erat contiguum Columnæ Traiani, fuit erectum Altare S. Nicolao in Oratorio S.Bernardi de conſenſu Confraternitatis. Dicebatur, etiã in *Macello Coruorum ad*

*Tra-*

*Traiani Columnam.*

s. NICOL. *de Forbitoribus* ſeù de Forcitoribus, poſtea S. Bonauentura Capuccinorum. Grimaldus. At vide S. Nicolaus in Porcilibus, & S. Nicolai ad ſanctum Mautum.

s. NICOL. *de Formis* habetur in epiſtola 197. Innoc. III. lib. 1. regeſt. 13. pag. mihi 161. & epiſt. 79. li. 3. regeſt. 15. pag 357. & ibi in alijs. Oderic. Rinald. in Annal. ad an. 1212. num. 20. erat inter SS. Ioannem, & Paulum, ac Baſilicam Lateranenſem.

s. NICOLAI Baſilicam, quam Papa Nicolaus I. à fundamentis adeò luculenter cum tribus Aquæ ductibus fabrefactis extruxerat, vt omnes Lateranenſes Baſilicas ſui pulchritudine ſuperaret, Hadrianus II. iuxta votum deceſſoris ſui, picturis varijs decorauit, vt inquit Bibliothecarius in dicto Hadriano pag. 332. Idem Bibliothecarius cum ſcribat in Nicolao I. p. 320 *Renouauit in Baſilica Dei Genitricis Mariæ, quæ dicitur Coſmedin, Secretarium, ibiq; pulchri decoris fecit triclinium cum caminatis ad honorem, & decorem eius. Pari modo iuxta idem ſecretarium porticum renouans illic conſtruxit, atq; ædificauit Oratorium in honorem S. Nicolai, & plurima dona ibi contulit almus*, anſam præbuit alicui ſuſpicandi, hoc non autem Lateranenſe fuiſſe Nicolaitanam Baſilicam

Item Platina ſcribit Calliſtum II. ædificaſſe eccleſiam S. Nicolai in Palatio; verùm nobis eſt dubium an loquatur de reędificatione eccleſiæ ſupraſcriptæ, Nicolai I. Lector iudicet. Grimaldus eam deſcribit his verbis.

# DE ORATORIO S. NICOLAI à Calliſto Papa Secundo in Patriarchio Lateranenſi, quod hodie extat, in quo Pœniteatiarij Miſſas celebrant.

*Hoc Oratorium, ſiue ædicula pulchra & longa cum tecto ligneo imbricato, retro apſidem Aulæ Leonianæ, ſcribit Panuinius ſuo tempore eſſe totam depictam, nunc Pœnitentiariorum ibi degentium ignorantia tota eſt alba, præter apſidem, cuius ſacras imagines coloribus refricarunt. In apſidis teſtudine eſt imago Deiparæ Virg. imperatricis ſimilis illi, quæ eſt in Sacello Altempſiano in Baſilica Tranſtiberina; tenet Crucem, filium ſinu geſtat, hinc inde duo Angeli virgas tenentes, coronam habet in capite. Ad pedes Deiparæ Calliſtus II. cum planeta & pallio, ac quadrato diademate, habet rotundam albentem barbam pulchroq; aſpectu in dextris: In ſiniſtris autem Anaſtaſius IV. cum planeta & pallio, & quadrato Diademate pariter proſtratus. In ipſa teſtudine a dextris S. Silueſter Papa cum planeta, & pallio cum libro, & dextra benedicens cum thiara vnius coronę; à ſiniſtris eſt ſanctus Anaſtaſius cum pallio Pontificali & rotundo diademate. In Zophoro Apſidis legitur hęc mutilata inſcriptio (corruerunt literę ex pictura ac ſpatia literarum notaui) eſt autem huiuſmodi.*

Suſtulit hoc primo templum Calixtus ab imo;
Vip . . . latè Gallorum nobilitate.
Præſidet æthereis pia Virgo Maria chorçis
. . . . . pat culmine,
Hoc opus ornauit, varijs modis decorauit.

*In parte Euangelij ſunt hi ſummi Pontifices pictura inepta, planeta & pallio induti cum orbiculari diademate, & thiara vnius coronæ ad parietem hemicycli ſiniſtra tenent librum, dextera benedicunt pollicẽ cum annulari coniũcto. ſanctus Leo Papa. ſanctus Paschalis Papa cum barba alba ſeptuagenarius S. Gelaſius Papa cum barba quinquagenarius, ſanctus Cæleſtinus Papa etiam quinquaginta annorum. In latere epiſtolæ ſanctus Gregorius Papa, ſanctus Alexander Papa Secundus, ſenex ann. 77 barba alba rotunda, extenuata facie, ſanctus Gregorius Papa VII. annorum quinquaginta ſanctus Calliſtus Papa ſenex valde, non habet regnum, niſi tantùm orbiculare Diadema, & hoc quia fuit ante ſanctum Silueſtrum, qui primus Regnum portauit;* ( coronam, ſeù Diadema ſuum ex lapillis & gemmis compoſitũ, Conſtantinus Magnus capiti ſuo detractum, Silueſtro Papæ dicauit: Coronam verò appellatam Regnum, ad Hormiſdam Papam Clodouæus Francorum Rex tranſmiſit. Buleng. lib. 1. cap. 3. & 4. de veſt Pont Epiſ. & Sac. ) *ita erat in zophoro columnarum maiorum veteris Baſilicæ Vaticanę à S. Lino, vſque ad ſanctum Silueſtrum orbicularia diademata habebant In ſingulis ſunt dicta nomina ſanctorum. Miratus ſum, quomodo Gelaſium II. Paſchalem item Secundum & alios ſanctos nominet, quos idem Calliſtus, vt inquit Panuinius, pingi iuſſit, eos ſcilicet Romanos Pontifices, qui ante ſe fuerunt, ab Alexandro II. deinceps quanquam fœdiſſima pictura. Sed in Breuiario Benedictino, vt videre eſt tom 4. Ecc. Bibl. de illuſtratione Miſſalis, & Breuiarij pag 5 pro ſanctis coluntur; vbi habentur hæc verba: Ad hæc in officio de ſanctis plurimorum Abbatum, vt Leonardi, Othmari, ipſius Benedicti, Columbani, Odilionis,*

*An-*

*Antonij, Maurini, Mauri, Bernardi, Aegidij, Galli, Hongeri, Heliæ, Scriberti, Placidi, Victoris Papæ Tertij, Paſchalis Papæ] II. Stephani Papæ III. & reliquorum &c. in Martyrologio Benedictino. Retro dictã ædiculam Calliſtus II alia duo cubicula à fundamentis fecit cum veſtiario, ſeu guardarobba: duoq; coniuncta conclauia condidit ad audientiam publicam iconijs picturis exornata Schiſmata Alexandri II cum Cadalao Parmenſe, Gregorij VII. Victoris III. & Vrbani II. cum Gilberto Rauennate, & Paſchalis cum tribus adulterinis alijs Pontificibus. Poſtremò pacem, quam ipſe cum Henrico V. Imp. fecit. In cubiculis duobus memoratis erat coronatio Lotharij Secundi. Huius pacis memoria cum Henrico V. extat in libro Longobardo ſanctę Sophię de Beneuento Biblioth. Vat fol* 215 Hactenus Grimald. De huiuſmo di Oratorio, & cubiculis Panuinius de 7. Vrbis Ecc. in Baſil. Lateran. §. Poſt Leonem IV. &c. Io: Seuer. in eadem p.562. & poſtremò Abbas Conſtantinus Caietanus in fine commentarij ad vitam Gelaſij II.

s NIC *ad* S.*Mautum* conceſſum fuit Ordini Camaldulenſi, qui illud nouiter ędificauit ſub inuocatione Sancti Antonij. Vide Auguſt. Florentin. hiſt. Camaldulen. cap.29 lib.3. Anno 1629. circiter fuit conceſſum Societati Ieſu, & ſolo æquatum ad aperiendam viam ante eccleſias SS. Ignatij, & Franciſci Xauerij. Vocabatur, ni fallimur, de Forbitoribus nam Fuluius lib 4. cap. de Obeliſcis in fine ſcribit. *Multa prætereaObeliſcorum fragmenta videtur hodie per totam Vrbem; ſed maximè inter templum S.Mabuti, & proximam ædem S.Nicolai de Forbitoribus,* fuit vnitum Ordini Camaldulenſis anno 2.Pont. Iulij Secundi, vt in lib. S.Viſitationis Apoſtolicæ, & vocatur de Forbitoribus, aliàs de Forbicibus.

s. NI-

s. NIC. *de Militibus* in regione S Euſtachij legitur in taxa Leonis X. & alibi.

s. NIC. *Molendinorum* ſeù Caualeriorum, nunc S.Helena. Fanucc.lib.4. c. 41, Vocatur à Mazochio prope Sanctum Blaſium de Anello, in regione ſancti Euſtachij. Intra fines huius parochiæ erat monaſterium monialium Sanctiſſimæ Trinitatis non ſeruantium clauſuram.

s. NIC. *del Piano* in regione Columnæ meminit taxa Leonis X. fortè quod alibi dicitur de Piccino:

s. NIC. *in Porcilibus* fuit ibi in loco Eccleſiæ ſancti Bonauenturæ fratrum Capuccinorum ad radices Quirinalis. De eo Faunus lib.4. cap.17. hęc ſcribit. (Forum Suarium, vbi ſues vendi ſolerent, quo loco D.Nicolai eſt templum cognomento in Porcilibus, ex hac parte ad Quirinalis fuit radices) Hodie ex conceſſione Vrbani VIII. vocatur S. Crux nationis Lucenſis. Pancirol. Eccleſ. 4. Reg.3. Triuij. Verùm in monumentis Baſilicæ duodecim Apoſtolorum fit mentio eccleſię S.Nicolai de Porcis cum cura in Regione Triuij, quæ erat ſubiecta d. Baſilicæ.

s. NIC. *in Statera*, vbi templum Iouis Statoris Albertin. c. de templis pag 50.

s. NICOL. *di Toffo* in Via Curſus, in cuius loco Mediolanenſes fabricauerunt eccleſiam S.Ambroſij, & hoſpitale. Cam. Fanuc.lib.4.c.7.

s. NIC. *Vrſinorum* legitur in d.Taxa.

s. NICOMEDES *Via Nomentana*. Boſ.lib.3. c.45. & 50.

s. OSANNAE in Monte Cœlio à Calliſto Secundo ædificatum eſt apud auctorem an.1587.

ss. PACERAE & SALVATORIS Eccleſia erat ſub monaſterio S.Catharinæ Senenſis in principio aſcenſus collis, qui dicitur Bagnanapoli, & adhuc à ſini-

niſtris in ingreſſu amplæ portę cernitur ædificij magni antiqui pars. Eius iura translata fuerunt ad eccleſiam Sanctæ Marię Campi Caroli Leonis, & poſtea ad altare Sancti Nicolai in eadem eccleſia. Hæc legimus in Bulla Sixti V. quæ incipit. Decet & rationi conſonum &c. Dat. an. 1585. Kal Maij Pontificatus ann. I. nobis exhibita à D Benedicto Gerace Rectore, dictæ eccleſiæ an. 1636. qui locum nobis indicauit; Vide ſupra S. Albicyrus ad Turrim militiarum.

s. PANCRATII *in Laterano* oratorij meminit Bibliothecarius in Gregorio III. Idemq; appellatur monaſterium in Hadriano I. & in Leone III. nunc eſt Sacrarium eccleſiæ Lateraneñ cum adiacentibus ędificijs antiquis. Grimald.

s. PANTALEO *in Via Iulia* nunc S. Ioannes Florentinorum PanciroI.

s. PASTORIS eccleſiuncula conſtituitur apud tit. S. Pudentianæ ab Vgonio Stat. 21. fol. 165.

s. PAVLI eccleſiam fecit Leo Secundus *iuxta S. Bibianam*, vbi & corpora SS. Simplicij, Fauſtini, Beatricis, atq; aliorum Martyrum recondidit. Bibliothecarius.

ss. PAVLI ET CAESAREI in Regione Areolæ meminit taxa Leonis X. Vide verbo Sanctus Cæſareus.

s. PETRONILLAE *Via ardeatina* meminit Boſius lib. 3. cap. 19.

s. PE TRON erat magnum templum rotundum in loco, vbi nunc eſt Abſis ad meridiem Baſilicę Vaticanę Grimald Vocatur à Biblioth. in Hadriano I. Baſilica: in Leone III. Mauſoleum: & in Leone IV. Baſilica, & Eccleſia.

s. PETRI *in Via Portuenſi* refertur à Boſio lib 2. cap. 20.

SS. PETRI APOSTOLI ET MARTINI CONF. *ſub Auentino* in regione 2. in loco, qui vocatur Horrea, Monaſterium reperitur in donatione facta per D. Balduinum Comitem an. *6.* Ioannis XII. Indict. 4. die 20. menſis Aprilis Monaſterio SS. Andreæ, & Gregorij in cliuo Scauri.

SS. PETRI & PAVLI *in Via Sacra* iuxta templũ Romuli eccleſiam fecit Paulus Primus, de qua Bibliothecarius hęc habet. *Hic fecit nouiter eccleſiam infra hanc ciuitatem Romanam in Via Sacra iuxta templum Romuli, in honorem SS Apoſtolorum Petri, & Pauli, vbi ipſi Beatiſſimi Principes Apoſtolorum tempore, quo pro Chriſti nomine martyrio coronati ſunt, dum Redemptori noſtro funderent preces, propria genua flectere viſi ſunt: In quo loco vſque hactenus eorum genua pro teſtimonio omnis in poſtremo venturæ generationis in quodam fortiſſimo ſilice licet eſſe noſcuntur deſignata.* Hanc eccleſiam non fuiſſe, vbi carcer Mamertinus conijcitur ex textu Bibliothecarij, illum ſub ſilentio prætereuntis: Præterea Via Sacra erat inter eccleſiam S. Mariæ Nouæ, & templum Romuli, quod nunc dicitur SS. Coſmę, & Damiani, vt benè præ cęteris Vgonius Statione 23. Immò hìc incipiebat cliuus Viæ Sacrę; habetur in vita S. Pigmenij presb. & mart. *Cœpit Pigmenius aſcendere per cliuum vię Sacræ ante templum Romuli cum vno puerulo &c. ecce Iulianus* (Imperator apoſtata) *procedens in regiam aulam videns S Pigmenium presb. à longè per cliuum venientem &c.*

Lapidem item, in quo Apoſtolorum genua fuerunt deſignata, in memoriam genuflexionis Apoſtolorum ſeruauit antiquitas in Aede S. Mariæ nouę, vbi conſtat Apoſtolos, deflexo poplite, oraſſe contra Simonẽ Magum. Modernus ſcripſit dictam eccleſiam Apoſto-

ſtolorum vocari SS. Coſmæ ,& Damiani; Immò eſſe eandem appellatam, S.Coſmatis in Silice, in lapide extante in eccleſia S. Martinę,quod eſt à veritate alienum, cum huius eccleſiæ Bibliothecarius faciat authorem Felicem IV. prædeceſſorem Pauli I. pluribus ſeculis, & fundatoris, vt credimus cum Pancirolo, huius nunc appellatæ, S.Mariæ Nouæ.

ss. PETRI ET MARCELLINI *de Subura* Baron. an.795. nu.29 Panuin. in Cod.Vat.ms.4973. pag.147. Item liber Anniuerſariorum Sanctiſſimi Saluatoris Lateranen. meminit SS. Petri, & Marcellini *de Secura*.

s PHOCAE MARTYRIS De huius eccleſia hæc habentur in Oratione S Aſterij Amaſeæ Epiſcopi in 2.Synodo Nicæna *In Regia ciuitate Italiæ principe & totius mundi regina celebratur Phocas martyr, & extructa eſt ei ædes inſigni pulchritudine. Non minus autem colunt Romani Phocam , quam Petrum, & Paulum.* Baron. in Martyr. ad 5. Maij, qui rhetorica amplificatione hoc dictum exiſtimat. ſed Breue Gregor. VII conceſſum monaſterio S.Pauli de Vrbe eccleſię S.Phocæ meminit,quæ olim fuerat iuris Sancti Anaſtaſij.

s. PORTOGALLI hoſpitalis in regione Columnę meminit taxa Leonis X.

ss. PRIMI ET FELICIANI ad arcus Numentanos quartodecimo ab Vrbe milliario meminit Boſ.l.3 cap: 46.

s.PRISCAE *Via Oſtienſi*. Boſ lib.3. cap. 9.

ss. PROCESSI & MARTINIANI Baſilica à Gregorio II. inſtauratur. Biblioth. Hæc fuiſſe creditur ſupra caſale, quod dicitur S.Agathæ, vbi eorumdem SS.corpora requieſcebant, propè noſtram Villam, vltra Montem Marium: Funditùs perijt ſub Vrbano

no VIII Petro Colangelo eã deuaſtante pro ſabrica ſuæ vineæ.

ss. QVADRAGINTA. MM. *in Coloſſeo* meminit d.taxa. Forſan eſt illud, quod an.1587. erat in Exquilijs, è cuius regione ad ſeptem Salas, ſeu Ciſterna, vt aiebant, capaces, erat aſcenſus. Eiuſdem meminit Radulphus Decanus Tungrenſis Propoſ. 22. de Canon. obſeruan.

ss. QVADRAGINTA MARTYRVM in Montiũ Regione meminit taxa Leonis X.

ss. QVADRAG. MM. *in pineæ* regione, nunc Confraternitatis Stigmatum S.Franciſci.

ss. QVIRIACI lege Cyriaci.

s ROMANI *in Agro Verano* inter antiquiſſima Vrbis cenſendum; de eo etenim hæc in actis paſſionis dicti Sancti. *In loco autem, vbi decollatus eſt* S.Romanus *ſedata perſecutione paruam eccleſiam Chriſticolę condiderunt, quę vſq; hodie B. Romani militis martyrij memoriam repræſentat.*

s. ROMANI MAR. Baſilicam, quæ non longe ab Vrbe *foris portam Salariam* ſita eſt, Sergius II. à fundamentis perfecit: Eandemq; titulo SS.Silueſtri, & Martini parochiam eſſe decreuit; ſunt verba Bibliothecarij. De eadem Boſius lib.3 cap.60.

ss. RVFINAE & SECVNDAE *in Laterano* adhuc extat cum ſacris corporibus.

s. SALVATORIS *in Aerario* fuit vnitum S.Mariæ de Conſolatione. Fulu.lib.2. pag.mihi 89. Albertin. c. de Aerario p.26: & c. de templis p 50. & c. de hoſpitalibus p.89. Vocabatur etiam in Statera, Fuluius vbi ſupra.

s. SAL intra clauſtrum monialium S.Annæ. ex Panciról.Vide infra S.Saluatoris in Iulia.

s. SAL. *in Aquiro* ante ſanctam Mariam. Gen-

cius Camerar. & ex eo Donatus lib.3.c.16.

s. SAL. *de Archionibus* meminit taxa Leonis Decimi.

s. SAL. *in Arco* vniti fabricæ ſancti Laurentij in Damaſo meminit dicta Taxa.

s. SAL. *circa Arcum obſcurum* in Regione Pineę.

s. SAL. *in Bordonia*. nunc ſanctus Iacobus Coxacaballi.

s. SAL. *de Cacabariјs*, nunc ſancta Maria de Planctu.

s. SAL. *de Camigliano* in Regione Triuij.

s. SAL. *de Cornelijs* in Quirinali Regionis montium, fuit vnitum Ordini fratrum ſancti Hieronymi Feſularum.

s. SAL. *de Cortillis* Tranſtiberim. forſan de Curte.

s. SAL. *Coxacaballi* nunc ſanctus Iacobus in Ciuitate Leonina. Pancirol, ſub Leone IX. vocabatur ſanctus Saluator de Bordonia propter baculos peregrinorum, quos bordones vocant: & fortaſſe etiam dicto tempore dicebatur ſanctus Iacobus, poſtea ſanctus Saluator Coxacaballi; demum ſanctus Iacobus de Portica, & Coxacaballi. Grimald.

s. SAL. *in Domo montis Fortini* meminit dicta Taxa.

s. SAL. *Dompni Campi* Regionis Arcolæ. ſic appellatum vidimus in inſtrumento rog. anno 1369. nobis exhibito à Naudęo. Aeuo noſtro vocabatur ſanctus Saluator in Campo. Eratq; eccleſia tribus diſtincta nauibus, aliquot antiquis columnis ſuffulta, ſita in conſpectu eccleſiæ ſanctiſſimæ Trinitatis Conualeſcentium, ſolo æquata ſub Vrbano VIII. pro amplianda Domo Montis Pietatis.

s. SAL. *in Iulia* in Regione Arcolæ meminit d. taxa, & Mazochius. Erat inter eccleſiam S. Caroli ad Catinarios & monaſterium S. Annæ,

s. SAL. *in Macello* aliàs de Terrione, aliàs de Oſſibus eccleſiam Carolus Magnus multis muneribus decoratam ædificauit, vt in dicti Caroli priuilegio, à quo hanc verborum ſummam barbara latinitate, qua priuilegium exaratum eſt, accepit Iacobus Grimaldus ſic *Narratur, quòd Leo Papa IV.* (id eſt III] *ædificauit vnam eccleſiam in ciuitate noua Leoniana iuxta murum in prædium, quod dicitur Magelli, non longè à monte, qui vocatur Vaticanum ad vtilitatem ſepeliendi egenos in honorem Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et idem Imperator libenti voto augeri cupiens, atq; ampliari, Altare ibi conſecrare fecit, & maxima reliquiarum congeries condiri ſtatuit in honorem Saluatoris, & Stephani* Proto-*martyris, S Laurentij, & Beatorum Ioannis & Pauli. Ibiq; condidit de veſtimentis S. Stephani Protomart. ac vnā parapſidem plenam de carbonibus, quibus vſtus fuit S. Laurentius, & duabus coſtis ſancti Ioannis, & Armilla Pauli, & duas torques de Sergius, & Bacchus Primicerius, & Secundicerius, & boiam* (id eſt funem) *de collo Alexandri V. Papæ* (id eſt quintus à S. Petro) *& de capillis eius quantum pugillo capere poteſt. Conceſſit vnam Curtem, quæ dicitur Maceranum, nouem filas ad Sale faciendum, quas emerat à Ioanne Portuenſe Epiſcopo, Cruces, Galices, coclearia, forſiculas, & alia paramenta, nec non Crucifixum argenteum lib. 60 cum ſuis gabbathis ſiue lampadibus. Voluitq; vt in dicta eccleſia forent perpetuo tres presbyteri, & duodecim Clerici tonſis comis de Aquitanio, & aliàs prout latiùs continetur in dicto priuilegio. Dat. an. 797. Iſta eccleſia S. Saluato-*

*ris extat hodie iuxta portam equitum leuis armaturæ, olim Terrionis dictam, habens aditum in Palatio ſancti Officij Inquiſitionis. Frequens illius mentio in libris Cenſuarij Vaticanæ Baſilicę. Laurentio Puccio Florentino ſanctorum Quattuor Cardinale, palatium ibi ædificante, quod poſtea in S. Officij fabricam conuerſum eſt, ipſum ſancti Saluatoris templum negligi, & diuinis carere cœpit, altero S. Zenonis templo, quod ibi proximum erat funditùs diſiecto, vtraq; Vaticanę Baſilicę ſubiecta. Fuit dicta ſanctis Saluatoris eccleſia conſtructa in loco dicto Magello, ſeu Macello, propter occiſiones martyrum ſub Neroniano gladio.* Eam vidimus in loco à Grimaldo deſcripto.

s SAL. *in Maximis*, olim Iouis Capitolini anno 1587. euerſũ. De eo Albertin. cap. de templis, & Marlian. lib. 2. cap. 4.

s. SAL. *de Militia* in Regione Montis erat è conſpectu Turris militiarum: Idem appellatur ſupra Turrim Militiarum à Mazochio pag. 52. Epigramm. Vide quæ diximus in S. Abbacyri Oratorio in Xenodochio.

s. SAL. *de Oliua* in Regione Montium legitur in d. taxa.

s. SAL. *in Paleo* in Circo Flaminio, prope S. Catharinam, vbi etiam anno 1587. torquebantur funes: forſan eſt quod dicitur S. Saluatoris, & S. Stanislai Polonorum Regionis Pineæ.

s. SAL. *de Pedepontis* Tranſtiberim fuiſſe teſtatur Albertinus cap. de eccleſ. & Cappellis. forſan dicendum in Pede Pontis. Vide ſupra, iuxta Pontem.

s. SAL. *in Penſili* fuit inter domos Petri Margani, & Ludouici Matthæi; Nam Fuluius lib. 4. cap. de Circo Flaminio inquit, (longitudo eius Circi ab ædibus nunc D. Petri Margani, & S. Saluatore in Penſili,

vſq;

vſq; ad ædeã D.Ludouici Matthæi iuxta Calcaranum vbi caput Circi) forſan erit idem cum denominato in Paleo. In libro anniuerſariorum Sanctiſſimi Saluatoris annotatur eſſe templum S.Stanislai Polonorũ Alibi dicitur ad Apothecas obſcuras parochiale ſub titulo S.Marci.

s. SAL. *de Pietate* in Campo Martio intra Monaſterium S.Mariæ. Antiqua Vrbis mirabilia referũt, hic fuiſſe imaginem Saluatoris, quæ dicebatur Pietas.

s. SAL. *de Pinea* nunc S.Mariæ in Cappella trans Tiberim: Pancirol.

s. SAL. *in platea Iudæorum* olim habebat curã animarum, à qua fuit exemptũ, & à Pio V. applicata vt in S.Viſit.Apoſtolica an.1574. S. Mariæ de Planctu De ea Pancirol. & Camill. Fanuc. cap 26 lib.3.

s. SAL. *in Porticu* nunc Sanctus Homobonus Pancirol.

s. SAL. *in Quirinali* è conſpectu S.Silueſtri, erat fratrum Ieſuatorum; fuitq; demolitum ſub Paulo Quinto.

s. SAL. *in Regula* pauimento teſſellato, duodecim columnas, & quattuor pilas in duobus ordinibus habens. Sepulcra antiqua duo marmorea. Recta à Xyſti ponte eundo in campum Floræ à dextra occurrit. Sic author an.1587. Eſt idem quod ſupra S.Salu. Dompni Campi.

s. SALV. *in Domna Roſa* meminit taxa ſupracitata.

s. SALV. *de Statera* erat iuris SS.Sergij & Bacchi vt in epiſtola 96. Innoc.III. lib.2. tom.1. pag 334. Romæ impreſſ.a.1543. Idem cum alio in Aerario: de quo vide ſupra.

s. SAL. *de Subcubo* in Regione Areolæ prope domum DD. de Boueſchis legitur apud Caſtallum Metallinum.

s. SAL. *in Subura*, cuius, vt arbitramur, meminit taxa citata, perijt paucis abhinc annis, niſi ſit idem Trium Imaginum: erat parochiale ſub titulo S. Petri ad Vincula. Aliud ſub eadem appellatione reperitur, cuius mentionem fecimus in Diaconiæ S. Agathæ c. 7. fortè idem cum alio de Secura.

s. SAL. *in Tellude*, ſiue Telluris erat non longè ab ædibus Conſeruatorum in loco, vbi olim fuit templum Telluris. Albertinus de Templis pag 46.

s. SAL. *de Thermis* ſpectans ad tit. S. Suſannæ cap. querela 24. de elect & electi poteſt. erat in Diocletiani thermis ſecùs S. Cyriacum, ex Schedis ms. P. Vgonij.

s. SAL. *in Thermis* notatur à ſcribente an 1687. in initio Suburæ ante Vallem Eſquilinam: olim Telluris. forſan eſt idem nuncupatum in Subura.

s. SAL *trium Imaginum* cum parochia erat in Regione Montium iuris S. Mariæ Maioris, vt ex Bulla Innoc. IV. dat. an. 1244. fuitq; vnitum à Gregor XIII. eccleſiæ ss. Sergij, & Bacchi, eiuſdem Regionis, vt in eius Bulla dat. Kal. Iunij 1582. Eiuſdem meminit taxa cit. Leonis X. pro ſubuentione pauperum edita an. 1562. Pancirol. eccleſ. 37. Reg. Mont. Idem tempore Alexandri VI. à Stephano Copo ſua impenſa instauratum, vt in ſuperliminare legebatur. Vrbano VIII profanatum. Vide etiam V. S. Saluator de Subura. Aliquis credit eſſe idem cum alio appellato ad Vlmos. His temporibus vidimus priſtinæ religioni reſtitutũ hoc templum à Confraternitate Laicorũ erecta ab Innoc. X. quæ præ foribus Titulum fixit ſancti Saluatoris trium Imaginum, eſtque ſupra

clo-

cloacam in platea Suburę.

s. S A L. *in Xenodochio*, Vide ſupra V. Abbatis Cyri in Xenodochio.

s. SATVRNINVS *in Quirinali* apud Equos marmoreos meminerunt Vrbis antiquarij, noſq; vidimus ſolo æquatum tempore Pauli V. ad aream ampliandam. Incolebant illud Monachi Sanctæ Iuſtinæ.

s. SATVRNINI *Via Salaria* Baſilicæ meminit Bibliothecarius in Felice IV. in Hadriano I. & Gregorio IV. & Boſius lib. 3. c. 57. & ſeqq.

s. SEBASTIANI, ſeu s. Silueſtri Oratorium *intra Epiſcopium Lateranenſe* fecit Martinus Primus. Bibliothecarius.

s. S E B. *ad Velum aureum* idem cum ſancto Georgio.

s. SEB. *in Via Papę* Alexandri VI. in Burgo, nunc ſancta Maria Puritatis Caudatariorum Cardinalitiorum.

s. SEB. *in Via Papæ* erat ſupra cloacam *in Via Vallenſium*, habebatq; Porticum, in qua rixauerunt Columnenſes, & Vallenſes, vt ait Stephanus Infeſſura in Diario, eratq; parochiale ſub tit. ſancti Euſtachij. Eiuſdem meminit Nicolaus Seniorilis. Hanc Eccleſiam excitatam fuiſſe ſupra cloacam, in qua ſancti Sebaſtiani corpus, tempore ſuæ paſſionis, repertum fuerat à Lucina Matrona, moderni contendunt innixi tantũ traditioni, cuius nullibi, quod ſciamus mentio reperitur apud antiquum, vel alicuius notæ ſcriptorem. Immò huiuſmodi traditionem habuiſſe principium anno 1625. à ſecunda editione Theſaurorum abditorum Octauij Panciroli Regień facilè deprehenditur eo, quod in prima viuente authore non firmatur aliqua huius rei traditio, ſed tantùm autoris

ris opinio ; & Io. Baptiſta del Tufo in hiſtoria Religionis Theatinorum cap. 56. recenſet conceſſionem eccleſiæ ſancti Sebaſtiani, eiuſq; demolitionem abſq; traditionis mentione, his verbis.

*Nella Piazza* (loquitur de eccleſia ſanctæ Andreæ de Valle) *era vna picciola chieſa parochiale di ſan Baſtiano, che per l'iſteſſo riſpetto, e perche ell'era d'impedimento alla nuoua chieſa di ſant' Andrea, con autorità di Papa Sixto V. fu ſpianata, e gettata à terra, inſieme con la ſua caſa, e la cura, e le Cappelle, ſepolture, e rendite furono trasferite per Breue dell'iſteſſo Pontefice ſotto il di 18. Agoſto l'anno 1590. e volle, che quella chieſa ſi profanaſſe con conditione, che tanto l'Altar maggiore, quanto gli altri due della deſtra, e ſiniſtra parte doueſſero entrar dentro al ſito della nuoua Chieſa, che ſi doueua fabricare in honore di S. Andrea Apoſtolo: nella quale foſſe dipinta così dalla parte deſtra l'Imagine di ſant' Andrea, come dalla ſiniſtra quella di ſan Baſtiano, come ſi è fatto, e che'l rimanente reſtaſſe per le ſcale, e piazza dell'iſteſſa chieſa, e non ad altr'vſo, come è ſeguito.*

Eandem traditionē comprobaſſe credidit aliquis Maphæum Barberinum SS R.E. Cardinalem, poſtea Vrbanum VIII. inſcriptione appoſita in ſuo Sacello huiuſmodi tenoris.

*Sanctus Sebaſtianus miles Chriſti fortiſſimus ſagittis, Diocletiani iuſſu, configitur, virgis cæditur, in cloacam deijcitur, inde à Lucina Matrona Romana, eius in ſomnis monitu, eximitur, & in Calliſti cœmeterio conditur, facti indicem plebs olim venerabunda Aediculā excitauit, cuius hic nuper Altare maius cum apſide ſtetit. Hanc Sixtus V. P. M. ea lege æquari ſolo permiſit, vt illius*

lius

*lius pars nouę ędis ambitu includeretur ad retinendam loci religionem, reiq; memoriam. Maphæus S.R.E. presb. Card. Barberinus Signaturæ Iuſtitię Præfectus hoc voluit extare monumentũ An. Sal. M. DC. XVI.*

Verùm huiuſmodi Vrbani VIII. verba innuere volunt, ſanctum Sebaſtianum, qui Romæ ſagittis configitur, Romæ virgis cæditur, in cloacam Romæ deijcitur, indeq; a Romana Matrona eximitur, & ſepelitur, à Romanis meruiſſe ædiculam intra Vrbem ſibi excitari; (certum eſt enim hoc loci non fuiſſe ſagittis confixum, nec virgis cęſum, nec in cloacam hìc exiſtentem proiectum) Huius autem ædiculæ ſolo æquandæ, voluit Sixtus V. vt pars illa, in qua Altare maius, & Apſis ſteterat, includeretur in eccleſia noua, vt & veteris eccleſiæ, maioriſq; Altaris cum Apſide religio antiqua conſeruaretur, & reſtitueretur in noua Aede; & hanc conſeruationem, & reſtitutionem pręſefert lapis, & inſcriptio Barberina.

Igitur aſſerta traditione non firmata, non videtur probari poſſe ſancti corporis ex hoc loco extractio, niſi cum aliquo aliorum ſancti Sebaſtiani actorum fidei periculo; præſertim cum eadem huiuſmodi facto aſſerto aduerſentur; habent enim. *Tunc Beatus Sebaſtianus apparuit in ſomno ſanctæ Lucinæ, cuidam matronæ religioſiſſimæ, dicens, In cloaca illa, quæ eſt iuxta Circum, inuenies corpus meum pendens in vnco.*

Hęc ſic examinamus. Primò firmandus eſt locus proiectionis in cloacam, quem ex Actis paſſionis apud Sur. tom. 1. die 20. Ian. habemus apud Circum Maximum his verbis. *Tulerunt autem corpus eius noctu, & in cloacam Maximam miſerunt, dicentes*

ne

*ne forte Chriſtiani eum ſibi martyrem faciant*. Eadem refert Boſius, ſeù Seueranus in Romæ Subterraneæ italicæ cap.5. lib.1. fortiùs ex Cencio Camer. ms. in Biblioth. Vatic. cap. De locis, qui inueniuntur in Sanctorum paſſionibus. Et ex alijs codd. ms. ſignatis in eadem num.1375. & n.2035. pag. 45 & 4265. pag.209 in quibus legitur. *Cliuus Scauri, qui eſt inter Amphitheatrum, & Stadium ante Septiſolium, vbi eſt Cloaca, vbi iactatus fuit ſanctus Sebaſtianus, qui reuelauit corpus ſuum Lucinæ dicens, inuenies corpus meum pendens in vnco*. Auctores hìc allegati conantur deſcribere locum, qui dicitur Cliuus Scauri, & inquiunt fuiſſe inter Amphitheatrum, & Stadium, id eſt Circum Maximum; in ea parte, quæ erat ante Septiſolium, quod non erat vbi, vel ſupra Cloacam, ſed prope illam, vbi iactatus fuit ſanctus Sebaſtianus.

Hæc Iacobus Grimaldus maxime eruditionis, & iudicij vir declarare voluiſſe videtur illis verbis. *Et licèt Petrus Mallius, qui vixit ſub Alexandro III. ſcribat, locum cloacæ prope Septizonium è regione ſancti Gregorij ad Cliuum Scauri, quo dictus inclytus martyr proiectus fuit, meo quidem iudicio etiam eſſe poteſt eccleſia ſancti Georgij. Nam ibi latere ſiniſtro eccleſiam ingrediendo, in vico eſt cloaca Maxima Tarquinij Superbi lata palmos quindecim, alta 18. cum fornice lapideo piperino, & decurrit in Tiberim iuxta eccleſiã ſancti Stephani (olim templum Herculis) rotundum, & emergit ratio, quòd eccleſia ipſa dicata ſit in honorem ſanctorum Martyrum Sebaſtiani, & Georgij, vt etiam in vita Gregorij IV apud Anaſtaſium. Sancti enim Pontifices ſicut excitarunt ędem s. Marię in Pallaria, vbi ſagittis confoſſus fuit, ita & hanc ædem in honorem, vbi iacuit in cloaca*.

Igitur

Igitur Cloaca, vbi iacuit martyr tempore proiectionis, fuit in Velabro & non in alia Vrbis parte. Cumq; Acta ſubiungant, eiuſdem martyris corpus *pendere in vnco*, ſenſus eſt, extremam vnci partem firmiter adhæſiſſe ſuperiori cloacę parti, ipſumq; corpus in meatu cloacæ ſeruaſſe pendens, quo minus in ſordes illud caderet, aliàs dici non potuiſſet *in vnco pendere*: & per conſequens impoſſibile fuit illius transfluxio ad Pompeij theatrum, aut ad Circum Agonalem. Nec eſt credibile, corpus cum vnco è cloacæ oſtio cecidiſſe in eius aquarum præcipitem curſum, quæ, torrentium modo, rapere, atq; auferre omnia cogebantur, vt Plinius à Lipſio de magnit Romæ lib. 3 c. 12: relatus, quin infra Velabrum, vbi ſeſe in Tiberim exonerabant, illud vnco fixum cum ſordibus, & Vrbis purgamentis non euomuiſſent.

At fortior inſurgit huius noſtræ opinionis firmitas ex Bibliothecæ Vaticanæ, Vallicellanę, & ſanctæ Cæciliæ Codicibus, dum ſubiungunt, *Sordes illud non tetigerunt*. Quis eſt autem tàm parum ſanæ mentis, qui credat, corpus vnco alligatum, per cloacæ amnes, vnius ferè milliarij tractu à Velabro ad Circum Pompeij transfluxiſſe inter Sordes, & à Sordibus non fuiſſe tactum? Nec reſpondeatur, Dei prouidentiæ tribuendum, corpus per varios cloacarum flexus vnco alligatum à Sordibus non fuiſſe tactum, nec in tyberim protractum, cum eadem acta huiuſmodi miraculo reſiſtant; dum inquiunt, *Corpus in vnco pendere*, quod autem pendet, moueri loco, vel transfluere nequit: quod euidentiùs explicatur ab alio Vaticano Codice manuſcripto, & ſignato n. 687. vbi legitur *Corpus meum pendens in aere inuenies*. Certè Dei prouidentiæ adſcribendum eſt, quod milites proiecerint in cloacam corpus vnco alligatum, &

& quod vnci haſta in cloacæ oſtio ſubſtiterit cum cor pore in vnco pendente ſupra fluentem aquam, ne ſordes illud tangerent.

Nec audiendi ſunt dicentes, appellatione Circi, cuius meminerunt Acta citata illis verbis, *In cloaca illa, quæ eſt iuxta circum, inuenies,&c.* venire poſſe Circum, ſeù theatrum Pompeianum; nam certum eſt apud Tacitum, Circi appellatione venire Maximum Annal. lib. 15. & alibi. Eundem ſequuntur Antiquarij, Circi nomine (inquit Georg. Fabr. in Romæ capit. 12.) *etiamſi nihil aliud addatur, intelligitur Maximus: vt fori appellatione, Romanum accipimus, Campi vocabulo, Martium*

His adde, quod cum corpus proiectum fuerit in cloacam Maximam iuxta Circum Maximum, & Acta ſubdant, *In cloaca illa, quæ eſt iuxta Circum inuenies,&c.* pronomen, *illa*, demoſtrat relatum Cloacæ locum, quo proiectum fuit corpus, id eſt, in eadem cloaca.

Tandem omne remouetur dubium à Codice Vat. manuſcripto 1195. habente adiunctiuum illud, Maximum, ſcilicet *in cloaca illa, quæ eſt iuxta Circum Maximum inuenies, &c.* Quem ſequentes Boſius, & Seueranus in Roma Subterranea lib. 1. cap. 13. explicando verba illa. *Tunc B. Lucina eleuans eum de cloaca poſuit in pauone ſuo*, fatentur non ex Cloaca Circi Pompeiani, ſed ex Maxima fuiſſe translatum illis verbis. *E trasferì il corpo di ſan Sebaſtiano dalla Chiauica Maſſima alle Catacombe, doue da eſſo ſanto gli era ſtato ordinato in viſione.* Cæterum de huiuſmodi templo aliqua habet. Cam. Fanuc. lib. 4. cap. 26.

s. SEMITRII monaſterij meminit Bib. in Leone III & ss. Semitrij & Cæſarei in Leone IV.

ſs. SERGII & BACCHI eccleſia apud Arcum Septimij Seueri apertis verbis deſcribitur à Ioanne de Columna in ſuo mare Hiſtoriarum cap. de Baſſiano Imp. his verbis. *Reliquit & porticum patris ſui nomine, quę geſta illius continet, triumphos, & bella. Quæ porticus* (Arcum triumphalem ſic appellat) *adhuc Romæ quaſi intiger extat ſub Capitolio ad Orientalem plagam inter eccleſias ſancti Hadriani, & Sergij, & Bacchi.* Polonus eiùſque Sectatores conſtituunt templum Concordiæ, vbi eſt eccleſia ſs. Sergij & Bacchi retrò Capitolium. De eius ſitu, & bonis clariùs Innoc.III. epiſt. 94. lib. 2. impreſſ. Colon. pag. 438 & 439 Habuiſſe Archipresbyterum, & Clericos conſtat ex dicta Innoc. III. epiſtola, quæ ijſdem dirigitur. Habuiſſe tempore Innoc VI. Canonicos legitur in inſtrumento dato an 1360. Pontificatus anno VI. Ind. 14. menſis Octobris, in quo hæc, præ cæteris, legimus. *Quoddam Caſalenum, quod dicitur Cameliana ipſius eccleſiæ poſitum retrò dictam eccleſiam, cui ab vno latere eſt Palatium Capitolij, ab alio latere tenet D. Franciſca Ioannis Teſtæ, ab alio eſt domus dictæ eccleſiæ, ab alio eſt via publica, quæ dicitur Faua Toſta.* Innocentius III. in Cardinalatu & Pontificatu nobiliter renouauit, & porticum ante ipſam eccleſiam columnatam fecit, doniſq; ſericeis, argenteis, & aureis donauit, vt in eius vita legitur, vtq; indicabant ſupra porticum hæc carmina,

*Penè rui, quaſi nulla fui, ſed me releuauit*
*Lotharius, ſponſusq; priùs ſponſam renouauit,*
*Deq; meo gremio ſumptus Pater Vrbis, & Orbis*
*Hoc tamen ex proprio fecit mihi, ſic renouor bis.*

Eandem ruinæ proximam refecit Cardin. Agrienſis tempore Sixti IV. vt Panuin. in eius vita, Albertin. de

noua Vrbe tit. de eccl. & capell. Solo fuit æquata ſub Pio IV. & eccleſiæ redditus in Canonicatum ſimplicem ſcutorum 80 & amplius redacti ad Altare ſanctorum Sergij,& Bacchi in eccleſia ſancti Hadriani ex Grimaldo. Eiuſq; reliquiæ ss. Feliciſſimi, & Agapiti tranſlatæ in Aedem ſanctæ Mariæ Conſolationis, vt ex tabella ponè Aram maiorem,vt ex Grimald.& Pancirol.in theſaur.

s. SERGII *Monaſterium*, de quo Bibliothecarius in Leone III. credimus cum alio, quod ſanctorum Sergij & Bacchi appellat idem in Paſchali I. ſitum *poſt formam Aquæductus Patriarchij Lateranenſis*, cum monialibus, & monachis.

ss. SERGII & BACCHI *in Calinico* Oratorij meminit Bibliothecarius in Leone III. & ibidem fuiſſe monaſterium habetur apud eundem in Benedicto Tertio Fortè in Carinico,id eſt ad Carinarum radices hodiequè extans.

ss. SERGII & BACCHI Diaconiam ſitam ad B. Petrum Apoſtolum, in qua paruum Oratorium erat,à fundamentis ampliori fabrica dilatauit Gregorius III. illamq; ſtatuit pro ſuſtentatione pauperum Biblioth.

s. SILVANI vide Sanctorum Bonifatij, & Siluani.

s. SILVESTRI *de Arcioninis* fortè eſt illud Theatinorum in Quirinali. Erat olim ſubditum Baſilicæ XII.Apoſtolorum.

s. SILVESTRI Diaconię cum Xenodochio apud ſanctum Petrum meminit Bibliothecarius in Stephano III. & in Leone III. Iuxta hoſpitale ſancti Gregorij fuiſſe dicitur à Bibliothecario in Hadriano Primo. Hoc erat in oppoſito Pœnitentiarię demolitum ſub Pio IV. ampliandi fori gratia. Grimald.

s. SIL-

s. SILVESTRO Theodorus PP. fecit oratorium *intra Epiſcopium lateranenſe*. Proximum fuiſſe Baſilicæ Iuliæ conſtat ex Bibliothec. in Sergio. Eidem dona contulit Leo IV.

s. SILV. *in Lacu* in Campo Vaccino; credimus idem cum S. Maria Liberatrice.

s. SILV. *inter duos hortos* monaſterium, quod ædificauit Papa Dionyſius, cuius corpus ibidem requieſcit, quodq; inter antiquas Vrbis Abbatias numeratur à Panuin. de Baſilica Lateranenſi. nunc dicitur S. Silueſter de Capite. Vide etiam verbo, Sanctus Dionyſius.

s. SIL. *della Malua* in Regione Tranſtiberim meminit taxa Leonis X. Fortè eſt quod dicitur ss. Silueſtri, & Dorotheæ. Alibi appellatur S. Silueſtri ad Portam ſub Iano.

s. SIL. *Pallacini*, Vide S Laurentius.

s. SIL. *Via Salaria* Boſius lib. 3. c. 52.

s. SIMPHOROSA *& Filiorum Via Tiburtina*, Boſius lib 3. cap. 40.

s. SOSII *aliàs Soſſi* Oratorij meminit Bibliothec. in Symmaco Papa.

s. STANISLAI *ad Pontem Aelium* meminit Scottus in Itinerario,

s. STEPHANI *ad Aquam Tranſuerſam*, vt in lapide marmoreo allato à nobis inter additio nes ad Ciacon. de Vitis Pontt & Card. fol. 464. A.

s. STEPHANI *delli Arconi* meminit Bulla Cæleſtini III. pro monialibus Campi Martij in Chronico Hyacinthi de Nobilibus ordinis Prædicatorum.

s. STEPHANI *Baganda* Vide S. Laurentius in Palatinis, ſeù Pallacini.

s. STEPHANI *de Cacabo* notatur ab Authore an. 1587. nunc dicitur del Cacco. Ante templum

aderant Anubis, & Sphyngum ſtatuæ marmoreæ; item ſepulcrum antiquum, in quo expreſſa varia ſupplicia ſeruorum.

s. STEPHANI cum monaſterio *Catabarbaræ Patritiæ*, de quo Bibliothecarius hæc ſcribit in Hadriano I. *Conſtituit in monaſterio S. Stephani Catabarbaræ Patritiæ ſito ad B Petrum Apoſtolum Congregationem monachorum, ibi & Abbatem idoneam perſonam ordinans---vt ſedulas laudes in eccleſia B Petri perſoluant*. Eſt retro Apſidem S. Petri in Vaticano ad occaſum edemq; incolunt Aethiopes Abyſſini, quos ſummus Pontifex de omnibus ad victum & veſtitum neceſſarijs alit, ſub iuriſdictione S. Petri. Grimaldus.

s. STEPHANI eccleſia cum monaſterio *Catagallæ Patritiæ*, de qua in Leone III. apud Biblioth. eſt eadem cum Catabarbaræ mox dictæ, ſi verum dicit Grimaldus ex eo, quo ambæ collocantur a dicto Bibliothec. apud Sanctum Petrum in Vaticano, & vocabatur Maior.

s. STEPHANI *in Dulciti* meminit Bibliothec. in Leone III.

s. STEPHANO Hilarus Papa fecit oratorium in Baptiſterio Lateranenſi. Eidem dona contulit Leo. III Biblioth.

s. STEPHANI *de Maxima*, nunc S. Ambroſius monialium in regione S. Angeli.

s. STEPHANI *de Millo* habetur in taxa Leonis X in Regione Columnæ; fortè legendum, de Trullo, in Platea dicta di Pietra, nunc S. Iulianus.

s. STEPHANI *minoris* eccleſia fuit ædificata a Stephano II. Papa retro apſidem Vaticanæ Baſilicæ ad meridiem Grimald. Sancti Stephani Maioris, & Minoris reperitur iuxta eandem Vaticanam Baſili-

cam;

cam; Vghelli Ital. Sac. tom. 1. fol. 111. D. & 123.

s. STEPHANI *in Silice* nunc S. Bartholomæus Coriariorum in eorum via. olim Parochiale.

s. STEPHANI *trans Tiberim* cum monaſterio; idem cum SS. Laurentio, & Chryſogono.

s. STEPHANI *Via Iulia* meminit Scottus in Itinerario.

s. STEPHANI *Via Latina* milliario 3. meminit Anaſt. in Leone I. & III.

s. STEPHANI monaſterium monialium apud ſanctum Paulum Via Oſtienſi reperitur apud Vgonium. Stat. 29 fol. 234. t.

s. STEPHANI *Via Tiburtina* prope Baſilicam S. Laurentij meminit Bibl. in Hadriano I.

s. SVSANNAE *inter duas Lauros*, cuius meminerunt Fuluius & Faunus, eſt idem ad duas domos. Vgon. Stat. 25 fol. 193. t.

s. TECLAE monaſterium erat in Vaticano iuxta S. Petrum, referturq; à Ioanne XIX. & Benedicto IX. in priuilegijs apud Vghellum vol. 1. Ital. Sac. fol. 111. D. & 123. C

s. THEODORAE in Regione Ripæ meminit taxa Leonis X.

s. THEODORI Baſilica *intra velum* iuxta domum cultam Sulpitianam erat in Laterano, fuitq; à ſolo renouata ab Hadriano I. Eidem Baſilicæ, quam, in Sabello, corrupto vocabulo Bibliothecarius appellat, Crucem de auro donauit Stephanus V.

s. TIBVRTII *Via Labicana* meminit Boſius lib. 3 cap. 22.

ss. TIBVRTII ET VALERIANI *Via Appia* Boſius lib. 3. cap. 17.

s. THOMAE prope Auguſtam, & vineam fratrum de Populo, meminit Franciſcus Albertinus tit.

de Arcubus triumphalibus pag. 57.

s. THOMAE *de Catena* nunc S Ioannes nationis Bononien. Camill Panuc.lib.4. cap.17. Erat parochia le ſub tit. S.Laurentij in Damaſo.

s. THOMAE *in capo alle mole* meminit Nicolaus Seniorilis, præter taxam Leonis X. fortè quod nunc dicitur Cinciorum; locus enim à molarum frumentariarum multitudine, hac Tiberis parte exiſten. dic tus eſt hinc ad pontem quattuor capitum. Caſtallus Metallinus meminit S.Thomæ in monte Mole, quod credimus hoc eſſe.

s. THOMAE *in Cælio*, vel *in Formis* hodie derelictum ad hortos Matthæiorum Eratq; vna ex antiquis Vrbis Abbatijs. Panuinius. de Baſilica Lateranenſi.

s. THOMAE *delli Mercanti* meminit Caſtallus Metallinus.

s. THOMAE *Oratorium*, quod vocabatur *Secretarium Lateranenſe* à Ioanne XII. ædificatum, erat prope porticum Lateranenſem, quod vidimus ſolo æquatum anno 1649. in nouæ Baſilicæ ędificatione Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentij Papæ X, De eo Panuin. Vgon. Seueran. & alij.

s. THOMAE *delli Spagnoli* in Regione Areolæ, meminit taxa Leonis X. & alibi legimus.

ss. TRINITATIS *apud Aquas Saluias* Paulian de Iobil. & Indulg. lib.3. nunc S.Maria Annuntiata Soc. Confalonis.

ss. TRINITATIS *Monialium* nunc ss. Coſmæ, & Damiani Barbitonſorum. Pancirol.

s. VALENTINI *in Coſmedin*, vt in Teubaldi donationis tabula antiquiſſima in S. Mariæ Scholæ Grecę, aliàs in Coſmedin.

s. VA-

s. VALENTINI *in Quirinali* monachorum Sanctæ Iuſtinæ meminit Cam. Fanuc. lib. 3. cap. 20.

s. VALENTINI *Via Flaminia*, vbi requieuit eius corpus, eccleſiam ornauit Benedictus II. Eadem appellatur à Panuin. Abbatia iuxta Pontem Miluium; & Baſilica à Bibliothecario, cui Hadrianus Primus, & Gregorius IV. dona contulerunt. Eius tectum Leo III renouauit. Credimus eſſe in vinea fratrum S. Auguſtini. Viden. Boſius lib. 3. cap. 65.

s. VENERANDAE hoſpitale nunc S. Laurentius in Perperna. Pancirol.

s. VICTORIS monaſterium erat apud S. Pancratij Baſilicam, & ab Hadriano I. fuit reſtauratum, eidemq; Leo III. fecit caniſtrum ex argento. Biblioth. Aliquando vocatur eccleſia SS. Pancratij, atq; Victoris.

s. VINCENTIVS HIERVSALEM apud Sanctum Petrum. Vocatur à Mallio iuxta nauem Sudarij, & Palatium Apoſtolicum. Vide Sancta Crux in Hieruſalem.

s. VINCENTII *de Papa* ſiue de Papareſchis trans Tiberim. P. de Capharellis.

s. VITI *Monaſterium*, vnde extractus fuit Philippus vnius diei Pontifex, qui expulſus è patriarchio Lateranenſi reuerſus eſt ad monaſterium præfatum, & poſtea Stephanus IV. electus fuit: idem conijcimus fuiſſe, quod appellatur de Sardas à Bibliothecario in Leone III. Grimaldus putat fuiſſe apud S. Mariam Maiorem, idemq; vocari in Vico Sardorum. At certum eſt ex Biblioth. S. Viti apud S. Mariam Maiorem fuiſſe Diaconiam, & diuerſam à monaſterio de Sardas prope, vt arbitramur, Lateranum; Et hoc diuerſum ab alio Vici Sardorum, vel Sardonum: nam huiuſmodi Vicus diſtabat ab Vrbe 30. milliario ex Biblio-

bliothecario in Leone IV. ibi, *In eccleſia autem S.Dei Genitricis, quæ ponitur in Vico Sardonum milliario ab Vrbe Roma trigeſimo, &c.*

s. VRSI ſeù VRSOLAE parochialis eccleſia; nunc eſt Oratorium Florentinorum. Fanuccius lib. 4. cap. 3.

s. ZENONIS Oratorium eſt Capella in eccleſia S.Praxedis, in qua ſeruatur Columna Domini Noſtri Ieſu Chriſti

s. ZENONIS eccleſia in Vaticano fuit prope aliam S.Saluatoris, quæ defecit in conſtructione Palatij Sanctiſſimæ Inquiſitionis. Grimald.

s. ZOTICI *in Palladio* nunc S.Sebaſtianus in Palſara in Monte Palatino.

## AVCTORES, QVI DE ANTIQVITATIBVS VRBIS ſcripſerunt. CAP. XIII.

QVINTVS FABIVS PICTOR de origine Vrbis Romæ editus 4. Baſileæ 1530. Idem de aureo ſeculo, & de origine Vrbis Romæ eiuſdemq; deſcriptione editus fuit à Sebaſtiano Gryphio Lugduni 1552. ſeù 1560. inter antiquitatum variarum auctores. De hoc & C. Sempronio docti viri dubitant: creduntur enim confícti à Ioanne Annio Viterbienſi vna cum Beroſo, cuius fides improbatur à multis, vt refert Couarr. var. reſ. lib. 4. cap 14. Ii verò ſunt Lud. Viu. in D Aug de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 1. Faber Stapulenſis in Ariſt. l. 1 Polit. Ioannes Vergara Toletanus Canonicus in queſt. 5. de reparat. templi Hieroſolymit. Beatus Rhenanus de rebus Germanicis. Sed Gulielmus Poſtellus in lib. de Hetruria dicit Beroſi fragmenta eſſe indubitatæ fidei monumenta. Poſtremò vide Ioannis Goro-

pij Becani iudicium in Bibljotheca Hiſpaniæ.

PVBLIVS OVIDIVS NASO Faſtorum libros ſex compoſuit, in quibus Antiquitatum Romanarum multiplex notitia habetur. Editiones ſunt ferè innumeræ, & notiſſimæ.

SEXTVS IVLIVS FRONTINVS ſcripſit ſub Nerua Aug de Aquæductibus Romanorum libellum, quem edidit vna cum M. Vitruuio de Architectura hæres Philippi Iuntæ Florentię 1522. Nec non Ioannes Bebelius impreſſor Baſileæ an. 1530. vnà cum Myrſilo Lesbio, & alijs in 4. Poſtea impreſſus fuit Argentorati an. 1543. à Georgio Macheropeo in 4. vnà cum Vitruuio &c. Et in 8 vnà cum origine gentis Rom. incerti auctoris Pariſ. an 1588. Nec non à Petro Scriuerio an 1607 apud Raphelengium in Officina Plantiniana vnà cum Fl. Vegetio de Re Militari. Alius extat in Bibliotheca Vaticana impreſſus vnà cum Vitruuio de Architectura in 8. Argentorati 1543 ſub num. 2727 in quo complures correctiones doctę manu ſcriptæ reperiuntur.

M. VALERIVS PROBVS de interpretandis Romanorum litteris. Vixit Gellij ætate, vt in ipſius l. 1. cap. 15. Impreſſus à Iacobo Mazochio Bibliopola Romano die 25. Aprilis 1509. in 4. cum aliquot alijs opuſculis. Item an. 1525 Venetijs in 4 Eundem edidit Ianus Iacobus Boiſardus in 6. volum. antiquitatum Rom. in ſol. Francofordij 1597. & Andreas Clouquius typographus Lugdunen in 8. an. 1599. vna cum Magnone, Diacono, & alijs. Et Dionyſius Gothofredus I. C inter auctores latinæ linguæ in 4. Coloniæ 1622. & nuperrimè cum additionibus & notis Henricus Emſtius Francoſ. 4 1650.

SEXTVS RVFVS Diocletiano imperante, libellum edidit de Regionibus Vrbis, iſq; eſt impreſſus à

Panuinio cum Reip. Rom. commentarijs anno 1558. Venetijs in 8. & melius Pariſijs in 8. & Francofurti in fol. ſed aliqui eundem tribuunt Publio Victori.

PVBLIVS VICTOR Diocletiano imperante, Vrbē deſcripſit in Regiones diuiſam, eiuſq; libellus editus fuit per Ioannem Franciſcum Concoretium, ab ipſo recognitus, multis adhibitis exemplaribus antiquiſſimis, in 4. Brixiæ an. 1509. & Venetijs à Franc. Aſulano in 8. Venet. an. 1518. vnà cum Pomponio Mela, & alijs, ex quibus vnus ſeruatur in Bibliotheca Vaticana cum plurimis notis, ſeû additionibus ms. Pōpeij Vgonij. Deinde ab Alexandro Paganino a. 1521. poſtea à Mazochio ann. 1523. inter varia opuſcula Hadriano VI. dicata Item Baſileæ ann. 1538. in 8. Tum apud hæredes Simonis Vincentij Lugduni; item ibidem à Seb. Grypho an. 1552. & a Panuinio cum ſuis Reip. Rom. commentarijs an. 1558. Venet. in 8. Idem adiungitur Scriptoribus latinis minoribus Hiſtoriæ Auguſtæ vol. 2. in fol Francfurti an. 1588 Eundem recenſuit Ianus Iacobus Boiſſardus in primo vo Antiquitatum Rom. in fol. Francofordij 1597. Poſtremò Ioannes Roſinus Antiquitatum Romanarum li. 3: cap. 13. Regiones Vrbis deſcripſit ex Panuinio.

Regiones Vrbis antiquas, ſuppreſſo authoris nomine, impreſſerunt Iac. Mazochius an 1509, & iterum an. 1515. die 5 Nouembris vnà cum Pomponio Læto de Vetuſtate Vrbis. Itē Io: Baptiſta Pius Bononienſis typis Hieronymi de Benedictis Bononiæ anno 1520. in 4. Sig. Gelenius in princ. notitiæ dignatum Orientis, & occidentis in fol. Baſil. 1552. Et Guido Pancirolus in princ. notitię Imperij Occidentalis fol Geneuæ 1623

Libello de Vrbis Regionibus falsò adſcriptum fuiſſe nomen P. Victoris ſcripſit Blond; inſtaur. Rom. lib. 1.

num.226.&credit Gyraldus da Dijsgentium,Syntag.2. §. *Arbitrator Iuppiter* pag. mihi 81. Antiquiſſimos mſs. vidimus abſq; authoris nomine.

Libellum de Vrbis Regionibus à Panuinio editum adulterinum eſſe eò conſtat, quod ipſe in eius titulo aſſerit, *Sexcentis locis eũ auxiſſe*. & in præfatione Publij Victoris à ſe editi inquit, *Poſtremò nunc longè emendatior centum, & amplius locis auctus mea opera in publicum exit.* Auctarium namque Panuinij eſt rerum à tempore P.Victoris diuerſarum.

Circumferebatur ſuperiori ſeculo manuſcriptus quidam liber, Vitas Pontificum Romanorum continens, quem aliqui Pontificalem, multi Damaſum Papam, plures Petrum Guillermum Bibliothecariũ, alij Pandulphum Piſanum, nulli vel pauci Anaſtaſium Bibliothec. appellarunt. Idem a.1602.impreſſus fuit Moguntiæ cum ANASTASII BIBLIOTHECARII, nomenclatura ex exemplari, quod deſcripſit vel deſcribi fecerat ex Codice Vaticano Marcus Vuelſerus Auguſtanæ Reip. Duumuir. Cumq; in eo plurima de eccleſijs, & locis Vrbis recenſeantur, duximus eundem inter Auctores noſtros adſcribere. Verùm quia libri controuerſus eſt auctor, immò Anaſtaſij, non eſſe, multi, quos ſequimur, arbitrantur, non erit lectori forſan iniucundum percurrere rationes, & auctoritates, quas ad veritatem indagandam collegimus.

Prima, quia Marcus Vvelſerus præfatus dictum librum, Anaſtaſij nomine, inſigniuit ea ratione *Quia ſtylus totaq; ſcribendi ratio, ordo, & methodus earum vitarum, quę poſt B. Damaſi vitam in hoc Codice extant, omnino conſentire videtur cum phraſi, vniuerſaque ſcribendi ratione, quę eſt in vitis prioribus Damaſo hactenus inſcriptis*. Et nullibi probatur

tur, à Vvelſero ſtylũ precedentem, & ſubſequentem Damaſi vitam, fuiſſe Anaſtaſij.

Secunda, quòd in dicta præfatione dicitur, exemplar impreſſi libri fuiſſe à Vvelſero deſcriptum ex Codice Vaticano; idem ſcribit Baronius Cardinalis Bibliothecarius an.303. n.125. idemq; retulit nobis Alexander Raynaldus alter Bibliothecæ Vaticanæ cuſtos tempore exemplati Codicis, quem nobis oſtendit ſignatum n.3764. in quo, vt in alijs ibidem exiſtentibus nulla aderat Anaſtaſij mentio, nec in principio, nec in medio, nec in fine; at hæc præferebatur epiſtola.

*Damaſus Epiſcopus Vrbis Romæ Hieronymo presb. Gaudet eccleſia tuo fonte iam ſatiata, & amplius ſitit curioſitas temporum ſacerdotalium, vt quod dignum eſt recognoſcatur, & quod indignum reſpuatur. Verumtamen geſta Pontificum, quæ potuimus reperire noſtræ Sedis ſtudio, ad tuam charitatem gaudentes direximus. Ora pro nobis ad ſanctam reſurrectionem frater, & compresbyter. Vale in Chriſto Deo, & Domino, Dat. X. Kal Iunij, & accepta 6. Cal Octobris, miſſa de Roma Hieroſolymam.*

Recenſetur etiam hæc epiſtola à S. Iſidoro inter Canones Apoſtolorum; Ex qua in dubium reuocari non poteſt, Damaſum fuiſſe auctorem, conſideratis illis verbis, *quæ potuimus reperire*, quamuis conſideratis alijs, *noſtræ ſedis ſtudio*, collectoribus operis nomenclaturam tribuendam poſſe aliquis exiſtimetur. Ex quibus videtur Vvelſerus non debuiſſe, Vaticani Codicis fide, proſtare diuerſum auctorem: vel hunc aliorum Codicũ auctoritate, dubijſq; rationibus firmare; etiamſi ſpuria ab aliquibus dicta epiſtola credatur.

Tertia, quia plures Scriptores, vltra Trithemium,

Platinam, Panuinium, & alios, Damaſum recognoſcunt Vitarum Pontificum auctorem. Hi ſunt Landolphus de Columna in Breuiario hiſtorico, *Eſt attendēdū, quòd uſque ad Damaſum chronica ſummorum Pontificum à Damaſo ſcribente uigorem accipiunt; ab inde poſt Damaſum ab alijs ſcriptoribus, qui multi fuerunt.* Damaſo, & Bibliothecario opus videtur tribuere Io Stephanus Durantus lib. 1. c. 7. num. 3. de Ritib. Eccl. Cathol. ibi, *Porrò in vitis Pontificum Damaſi, & Bibliothecarij, &c.* Petrus Crabbe in ſua Conciliorum collectione, edita Coloniæ an 1538. intexuit vitas Pontificum, quibus hunc titulum indidit. *Liber Pontificum à Petro Papa, vſque ad Nicolaum Papa I. in quo eorum geſta deſcribuntur: primorum per Damaſum Papam, reliquorum autem per alios veteres, ac fide dignos* Blondus quoq; in inſtauratę Romæ lib. 1. cap. 41. *Non leue teſtimonium habet vita B. Petri Apoſtolorum Principis à B. Hieronimo presb. vt titulus præfert, ſiue, vt aliqui volunt à Damaſo Papa ſcripta,* In Bibliothcca Hiſpanica habetur elogium S. Damaſi, in hæc, præceteris verba, *Vitas item Pontificum, vt putatur, ad ſua vſq; tempora perduxit; Critici enim, in his Onuphrius Panuinius, Anaſtaſio Bibliothecario opus attribuunt* Papirius Maſſonus vir doctiſſimus, licèt in Damaſum Pontificem non inclinet, nil de Anaſtaſio excogitans alium quærit illius nominis authorem, & credit à Damaſo Portuenſi Epiſcopo editum fuiſſe opus. Anonymus de Bennoglientis, qui vixit in Pontificatu Pij II. ſcripſit de Vrbis Senæ, eiuſq; Epiſcopatus antiquitate, & pag. 19. inquit. *Librum ſcriptum de Vitis Pontificum, qui & in Vaticana & in nonnullis priuatorum Bibliothecis extat, Anaſtaſij non eſſe, multis, iiſque validis argumentis compertum habeo; mul-*

*multiq; ſtudioſi fuere, qui freti verbis Onuphrij Panuinij, viri aliòquin doctiſſimi, librum illum ſe in Vaticana annis proximè elapſis legiſse affirmantis, magna hilaritate eò tendentes ſpe ſua fruſtrati fuerũt* Tandem eruditiſſimus Paganinus Gaudentius, qui anno 1649. exceſſit è vita, in diſſertatione de S Marci Euangelio, recognoſcit Damaſum authorem vitarum Pontificum, & ſubdit, *Neq; eſt, quod argutator aliquis obſtrepat, & dicat, librum Pontificalem non eſſe Damaſi, quęſo enim id vndè colligit? ac ſi ſemel fas fuerit tam facilè ſcriptorum nomina in dubium reuocare quid deinceps non vacillabit.*

Quarta, quia Vvelſeri argumentum à diuerſitate ſtyli, quo ipſe vtitur contra Damaſum (inquit enim Damaſum elegantem in verſibus componendis ingenium habuiſſe, multaq; & breuia metro edidiſſe ac eius epiſtolas cultæ, & nitidæ phraſis fuiſſe, at hoc de Pontificibus opuſculum ob incultam, rudem, & impolitam phraſim Damaſo attribui non poſſe) percutit validiùs Anaſtaſium; hunc enim *in vtriſq; linguis eloquentiſſimum* Guillermus Bibliothecarius quem ſequitur Annonius de geſtis Francorum ca.28. fol.120. in diuinis ſcripturis eruditum, & in ſecularibus litteris nobiliter doctum; græco, & latino multum peritũ eloquio Io: Nauclerus, Trithemius Pandulphus Piſanus, Platina, & Baronius præter alios profitentur.

Quinta cum Vvelſerus fateatur, alijq; non negent, *multa dici in dicto opere à veritate aliena, quæ nullius grauis, & priſci authoris teſtimonio confirmari poſſunt; multi in eodem chronographici lapſus, nonnulla pugnantia, & alyſtata*, quomodo tribuemus tale opus Anaſtaſio, de cuius fidelitate Baronius ſcribit. Ann. tom.9. *Fideliſſimè rerum geſtarum hiſtoriam*

*riam enarrauit, immo in rerum ſui temporis narratione nullum fideliorem, & meliorem ſcriptorem habemus.*

Sexta, quia plura à Ioanne Tortelio in ſua orthographia referuntur de eccleſijs, alijſq; Vrbis locis, deſumptis è libro Pontificali Damaſi, qui nullibi appellat authorem libri, Anaſtaſium, ſed Damaſum, Petrum Bibliothecarium, & Pandulphum Oſtiarium Lateranenſem.

Septima, Matthęus Syluagius Franciſcanus inter ſua colloquia edita Venetijs an. 1542. ſępe agens de geſtis Romanorum Pontificum, appellat illorum auctorem Petrum Lateranenſis eccleſiæ Bibliothecariũ; tum ſubdit fol. 313. t. *ſiue ille ſcriptor B. Hieronymus ſiue B. Damaſus Papa fuit.* & infra fol. 325. addit hęc *Pandulphus autem Lateranenſis eccleſiæ Oſtiarius, quod Petrus omiſerat Bibliothecarius habet.*

Octaua, quia Tortelij & Syluagij aſſertio probari videtur ex antiquo ms. Codice dictarum vitarum ſignato in Bibliotheca Vaticana n. 3762. in quo circa eius ferè medium in capite foliorum, in quibus recenſetur vita Stephani II. legitur in titulum, litteris maiuſculis rubeis, *Petrus Guillermus Bibliothecarius apud Aceium, dum ibi moraretur anno Dominicæ incarnationis* 1142. Qui cum ſit in capite plurium foliorum exiſten. in medio Cod. innuere videtur, dictũ Petrum vel totius codicis fuiſſe authorem, vel vitas poſt Damaſum vſq; ad Gelaſium Secundum concinaſſe; aut publicaſſe, aut correxiſſe.

Nona, quia ſuſpicamur, Anaſtaſium Bibliothecariũ fuiſſe diuerſum ab alio, qui dicitur ſcripſiſſe Pontificum vitas; & primum eccleſiaſticam hiſtoriam, neutroſq; dictas vitas edidiſſe, cum nemo ex allatis inter elogia Anaſtaſiana Vvelſeri hoc fateatur. Immò ille

di-

dicitur ſcripſiſſe vitam S.Ioannis eleemoſynarij iuſſu Nicolai I. & contrarium conſtat ex antiquo Codice manuſcripto ſanctæ Cæciliæ trans Tiberim, in quo in Paſſione Sanctorum 1480. Sic Anaſtaſius prę-fatur.

*Petro egregio Epiſcopo S Gauinenſis eccleſiæ Anaſtaſius ſummę & Apoſtolicę Sedis Bibliothecarius in Domino ſalutem. Poſt tranſlatam à me, appetitu ſanctitatis tuæ, Paſſionem præcipui Doctoris & Martyris Petri Alexandrinę Vrbis Epiſcopi, mihi prçcipere voluiſti, quo paſſionem SS. mille quadringentorum octuaginta Martyrum apud græcos latino traderemus eloquio, quod, conſiderata imperitia ſcientiolæ meę, primum quidem hoc aggredi non præſumpſi, deinde verò paternitati tuæ inobediens apparere refugiens, parui & quod iuſſiſti cælitùs adiutus expleui.*

Alius eiuſdem nominis, qui vixit tempore Nicolai Papæ ſe Abbatem S.Mariæ Tranſtiberim non autem Bibliothecarium profitetur in Prçfatione Vitę Sancti Baſilij Confeſſoris exiſtente in antiquiſſimo Codice S Marię ad Martyres ſignato in Bibliotheca Vaticana n.5696. fol. 184. tergo.

*Vrſo veñ Subdiacono S.R.E. ſeù Medico, & domeſtico Domini noſtri Sacratiſsimi Papæ Nicolai Anaſtaſius exiguus Abbas Monaſterij S. Dei Genitricis Marię Virg. ſiti Tranſtiberim, vbi olim circa Domini natiuitatem fons olei fluxit.*

Decima, quia phraſis vitę Nicolai I. quam Vvelſerus abſq; controuerſia tribuit Anaſtaſio, conſentire omninò videtur cum ea, quæ eſt in ſequẽti Hadriani II Guliemo attributa; & ambo non multum diſcrepare videantur ab antecedentibus ferè ad Damaſum, ex quo poteſt veriſimilius credi Gulielmum vltimum, & certum ſcriptorem Pontificalis libri, non autem

Ana-

Anaſtaſium certum hiſtoriç eccleſiaſticç,& controuerſum d. libri authorem, huiuſmodi opus concinnaſſe.

Poſtremò Petrus Halloix in notatione ad cap. 15. Defenſionis Origenianę eò excurrit, vt potiùs quàm tribuere opus Anaſtaſio vult credere, illum fuiſſe deformatorem, & fœdarum hallucinationum collectorem, quod dici non poteſt de vero *integræ famę*, & *certæ ſcientiæ* immo *candidiſſimo ſcriptore*, vt Baron an.853. nu.32. 64. 69. & an. 844. nu.11.

Quis igitur erit huius Pontificalis libri author? Perpendendo verba epiſtolę Damaſi, *Geſta Pontificum quæ potuimus reperire noſtræ ſedis ſtudio* credendum eſt, opus, Damaſi iuſſione, fuiſſe conſarcinatum ex traditionibus, & ſcripturis Archiui, Cancellariæ, vel Bibliothecę Apoſtolicę per eiuſdem Sedis miniſtros, qui Damaſi nomen operi indiderunt: ſic Bullæ à Pontificibus auctoribus non à Datario compilatore nomen accipiunt. Item Pontificalis liber, appellatum quia geſta Pontificum æternitati committit; Sic martyrologium à Martyrum actis. Poſtea aſſeruatum in eiſdem locis ab eius miniſtris continuatum fuit, tùm, cum in commune haberi cœptum, facile fuit ſubminiſtris, & amanuenſibus inſcitia, vel malitia, illud deturpare; tribuuntur enim Pontificibus Damaſi prædeceſſoribus, multa commenta, vt obſeruauit Doctiſſimus Holſtenius, qui quadringentis demùm annis poſt Damaſum conficta fuere. Cùmque lis ſit circa authoris perſonam, abſq; controuerſia miniſtrum ſedis Apoſtolicę, certum eſt, ante Damaſum ignotari compilatorem; & poſt Damaſum, nullum præter dictos Petrum Guillermum Bibliothecarium, & Pandulphum Lateranenſem Oſtiarium his Pontificijs rebus geſtis operam nauaſſe, qui aliqua ex Ana-

ſtaſij hiſtoria eccleſiaſtica forſan deprompſerunt. Phraſim opus habet incultam, rudem, & impolitam, licèt vniformem, quia Cancellaria, Dataria, & ſimiles officinæ S. R. E. habent certam formulam, & phraſim, licèt incultam, qua officiales & miniſtri, alius alio purior, & luculentèr, vtuntur, vt cuiq; Romanam Curiam ſequenti notiſſimum eſt.

Poſtremò non quærimus, an Anaſtaſius Bibliothecarius ſcripſerit Vitas pontificum; ſed inquirimus identitatem Codicis autographi cum liber editus à Marco Vvelſero abhorreat, ab Anaſtaſij ſtylo ex ſupradictis.

Cæterum de libri authoritate, & fide hæc ſcripſit Paganinus Gaudentius ſupra citatus. *Sed ſi non habeat Damaſum ſcriptorem, an propterea nullus erit auctoritatis & fidei? At clam non eſt librum illum eſſe antiquum, & non contemnendæ notæ, cum Bibliothecarius totum præpoſuerit, præfixeritq; luculento operi de vitis Pontificum, quod beneficio Vuelſeri hodie in manibus eruditorum verſatur. Quam verò temerè neſcio quis dixit, omnes ſcriptores, cum de Pontificali libro Damaſi loquuntur, dicere,* Fertur Damaſus ſcripſiſſe *non ſic loquitur Bellarminus iam adductus, non ſic qui collegit tomos Conciliorum, non ita alij.*

MARTINVS POLONVS Archiep. Conſentin. de Romanæ Vrbis exordio, de Portis, de Palatijs, de templis Idolorum, alijſq; ad Vrbem ſpectantibus libellum ſcripſit, qui editus eſt in princ. ſupputationum Imperatorum, & Pontificum, in fol. Baſil. an. 1559. Vixit decimotertio à Chriſti natiuitate ſeculo a 1320. Ant. Senenſ in Biblioth. Fratr. Prædicator. Vide quæ ſcripſimus in Imaginis B. Mariæ vindicatæ 3. obſeruatione pag. 39.

ALE-

ALEXANDER AB ALEXANDRO Neapolitanus Iuriſc. Romæ vixit, & in agro Vaticano prædium habuit. Floruit Nicolai V. Pontificatu. Scripſit Genialium dierum libros ſex, quos notationibus explicauit Andreas Tiraquellus Senator Pariſienſis. Impreſſus fuit Romę an.1522. in fol. tùm Colon. in fol.an.1539 & Pariſ in 8. an 1549. poſtea ibìdem 1586 cum animaduerſionibus Nicolai Mercerij, Rothomagenſis. Itē cum dictis notationibus Lugd in fol.an.1614.Poſtremò Tiraquelli notas recenſuit Christophorus Colerus, in editione Francofurti in fol. anno . . .

BLONDVS FLAVIVS Foroliuienſis floruit Eugenij IV. Nicolai V. Calliſti III & Pij II. Pontt. Scripſit circa annum Chriſti 1458. de Roma triumphante libros decem, quos Pio II. Pont dicauit: De Roma inſtaurata libros tres Eugenio IV. dicatos, qui Baſileæ in officina Frobeniana cuſi fuerunt an. 1531. in fol. & Auguſtæ Taurinorum in 4 latinè an.1527. & Baſileæ an.1559. duob. vol in fol.

Eiuſdem Romam inſtauratam, ac Italiam illuſtratam Lucius Faunus Caietanus è latino in italicum ſermonem tranſtulit, quam Michael Tramezinus Bibliopola Venetus edidit in 8. an.1548. Poſtea Dominicus Lilius ibìdem anno 1558.

Hic primus Vrbem deſcribendi prouinciam aggreſſus eſt; quod ſtudij genus poſtea multorum doctorum hominum labore, ſtudio,atq; induſtria longè clariſſimum eſt factum. Obijt ſeptuagenario maior ſepultus præ foribus Aræcælitani templi in Capitolio cum hac inſcriptione.

BLONDO FLAVIO
FOROLIVIENSI
HISTORICO CELEBERRIMO
MVLTORVM PONTIFICVM SECRETARIO
FIDELISSIMO.
BLONDI QVINQVE
PATRI BENEMERENTI VNANIMES POSS.
VIX. AN. LXXV.
*OBIIT PRID. NON. IVNII ANNO SAL. CHRISTIANAE . . . .*

IVLIVS POMPONIVS LAETVS de Romanæ Vrbis vetuſtate ex Publio Victore, & Fab. impreſſus à Mazochio in 4. cum alijs opuſculis 1515. Item à Io: Baptiſta Pio typis Hieronymi de Benedictis Bononiæ an 1520. in 4. inter alia opuſcula: Et iterum an. 1523. in 4. inter alia opuſcula Mazochius. Tum Baſileæ in 8. an. 1538. Idem editus à Sebaſtiano Gryphio Lugduni an. 1552. inter antiquitatum variarum auctores.

IOANNES TORTELIVS Aretinus commentariorum grammaticorum de Ortographia librum edidit, in quo breuem exactamq; de Vrbis Antiquitate notitiam exhibuit verbo, Roma: opus idem auctor dicauit Nicolao V. Pontifici in fol. an. 1471. Romæ, & poſtea in fol. minori an. 1504. 20. Maij Venetijs impreſſum.

RAPHAEL MAPHAEVS Volaterranus de origine Vrbis carmine impreſſus à Iac. Mazochio die 25. Aprilis 1509. in 4. cum aliquot alijs opuſculis: iterumq; ab eodem vnà cum Vrbis deſcriptione, ſoluta oratione, an. 1523. inter alia opuſcula. Eamdem ediderat Io: Baptiſta Pius typis Hieronymi de Benedictis menſe

ſe Feb. an.1520. in 4. & poſtea Baſileenſes ann.1530. & Francofurti 1603. in fol.

POGGIVS FLORENTINVS circa finem Pontificatus Martini V. deſcripſit ruinas Vrbis, opuſq; vidimus inter eiuſdem alia impreſſum Argentorati anno 1513. in fol.

ANDREAS FVLVIVS Romæ eruditus & ciuitate donatus, vt ipſe fatetur in epiſtola dedicatoria ad Leonem X. ſcripſit Vrbis Antiquitates hexametro carmine, Leoniq; X. Pont. dicauit, quas impreſſit Iacobus Mazochius an. 1513 cum eſſet Romanæ Academiæ Bibliopola in Pontificatus Leonis X. anno primo in 4.

Idem ſoluta oratione opus ſtruxit, auxitq; & Clementi VII. dicauit an.1527 in fol. Deindè à Doricis Typographis Romanis an.1545. Paulo III. Pont. correctior editus fuit, iſq; Sabinus appellatus.

Eodem indicante Raphael Vrbinas paucis antè diebus, quàm è vita decederet, Romam pennicillo finxit, ipſo Fuluio teſtante in epiſtola dedicatoria ad Clementem VII.

Fuluij opus in Italicam linguam vertit Paulus dal Roſſo Florentinus; & Michael Tramezinus edidit Venetijs 1543. in 8. Et poſtremò Hieronymus Francinus Bibliopola Romanus, cum notationibus Hieronymi Ferruccij in 8. Venet. an.1588. Franciſcus Albertinus in Tit. *de Arcubus triumphalibus* vocat Andream Fuluium Præneſtinum, virùmq; doctiſſimum; quod ſi verum eſt, non Sabinus, ſed Latinus appellandus eſt.

FRANCISCVS ALBERTINVS Florentinus editus à Mazochio an.1515. in 4. cuius titulus eſt, Opuſculum de Mirabilibus nouę, & veteris Vrbis Romæ; iterum ab eodem impreſſus in 4. ann.1523. inter varios auctores de Roma priſca, & noua & Hadr.VI. dicatus.

FABRITIVS VARANVS Epiſcopus Camers de Vrbis Romæ collectanea editus à Io:Baptiſta Pio cum alijs in 4. an. 1520. typis Hieronymi de Benedictis Bononiæ. Deinde à Mazochio an. 1523. inter alia opuſcula.

FRANCISCVS ALIGER vetera monumenta Benedicti Valentis Theſaurarij Clementis VII. & Pauli III collegit, ediditq; typis Antonij Bladi Romani impreſſoris in 8 inſcripſitq; Antiquitates Valentinæ.

IACOBVS MAZOCHIVS Bibliopola Romanus edidit epigrammata antiquæ Vrbis Romæ, 1521. in fol. Sed innumeris ferè erroribus ſcatent.

Idem impreſſit aliquot antiquitatum opuſcula anno 1509. die 25. Aprilis, incertis auctoribus. Hæc ſunt. De origine ſituq; & qualitate Romanæ Vrbis. Item Calendaria Romana aliquot, vnà cum alijs certorum auctorum, quorum nomina ſuis locis indicantur.

ANTONIVS PONTVS Conſentinus pauca de Roma perſtrinxit, libello edito 4. Romæ 1524. cuius titulus,eſt Romitypion.

M. FABIVS CALVVS compoſuit compendium Vrbis Antiquæ, & Timotheus nepos edidit, Clementique VII. dicauit Romæ 1532. De eo Alexander Donatus lib.1 cap.4. p.15. Rom.

IO. BARTHOLOMAEVS MARLIANVS Mediolanenſis antiquæ Romæ topographiam edidit Romæ, an.1534. menſe Maio latinè in 8 eamq;dicauit Io:Dominico Cupo Card. Traneñ. Eandem vidimus impreſſam eodem anno Lugduni in 8. & Ioanni Bellaio dicatam.

Auctor hanc reprobauit, caſtigatioremq; edidit in fol. latinè an. 1544. typis Valerij Dorici, quam Catelano Triuultio Epiſcopo Placentino dicauit. Eandemq; legi-

legimus editam an. 1560. in fol. Sed primùm Ternionem, vt vocant, non autem opus, Bipliopolarum more, ad decipiendos rei nouitate emptores, denuò impreſſum fuiſſe credimus.

Hieronymus Francinus Bibliopola Romanus Topographiam à Marliano reprobatam & in 8. editam, iterum edendam curauit Hieronymi Ferrutij notationibus in 8. an. 1588.

Eiuſdem epitome edita fuit Baſileæ an. 1538. in 8. eandem edidit latinè Sebaſtianus Gryphius Lugduni 1552. inter antiquitatum variarum Auctores, & Ianus Iacobus Boiſſardus in vol. 2. antiquitatum Rom. in fol. Francofordij 1597. & poſtremò italicè Hercules Barbaraſa typis Andreæ Fei in 12. an. 1622 Quibus nulla fides, excepta editione in folio, & notis Ferrutij.

De Marliano hęc G. Fabricius in Præfatione Romæ à ſe editæ. *Marlianus diligentiſſimè omnium ſcripſit; Hanc, qualiſcunque eſt, Vrbis cognitionem eius demonſtratione ſum conſecutus, cuius domum cum adiremus, ſitum montium nobis indicauit è Capitolio, & ad Viarum, quæ in Vrbe ſunt initia nos perduxit, & aliquoties apud Salamancam & Tramezinum noſtram ſentētiam audire viſus eſt perhumaniter.* Et in cap. 1. *Diligentia inueſtigandi, & iudicandi ſolertia hactenus excelluit Marlianus, qui & veterum ſcripta maiore ſtudio contulit, & plurimos aliorum errores prudenter animaduertit.*

Obijt Romæ ſepultus in AEde s. Auguſtini, in qua Altare fecit, dotauit & Confraternitatem inſtituit, de qua Camillus Fanuccius lib. 3. cap. 35. Dell'opere pie di Roma.

Fr. MATTHAEVS SILVAGIVS Catanieñ Siculus ſcripſit Opus de colloquijs trium peregrino-

rum, in cuius pag. 299. addit, *Qualiter tres peregrini ingredientes Vrbem narrant quæ viderunt & vbi fuerunt, non ſolùm ſecundùm quod ſcripſerunt antiqui hiſtorici, vt Cornelius Tacitus, Caſſiodorus, Ammianus, Liuius, Salluſtius & Plinius, Blondus Flauius, & Marcus Varro; ſed nonnulla ædificia & templa quæ noſtris temporibus conſtructa ſunt, & etiam reparata à Paulo 3. P. M.* Opus impreſſum fuit Venet. 1542. in 8

AMBROSIVS NOVIDIVS FRACCVS Ferentinas ſcripſit Sacrorum Faſtorum libros duodecim cum Romanis conſuetudinibus per totum annum, carmine & Paulo 3. dicauit an. 1547. typis Antonij Bladi,

IO. BAPTISTA PAVLIANVS edidit libros tres de Iubileo & Indulgentijs, in quorum 3. agit de Reliquijs Vrbis Romæ & de antiquis Baſilicis & Regionibus, deq; eorum nominibus 8. Romæ 1550.

LVCIVS FAVNVS Caietanus italicè ſcripſit, *Dell' antichità della Città di Roma* & Michael Tramezinus edidit Venetijs in 8. an. 1552. & 1553.

Item eiuſdem *compendio di Roma antica* eodem anno.

Item Michael opus in Latinam linguam vertendũ curauit, vt ipſe fatetur in epiſtola dedicatoria ad Alexandrum Farneſium & publicauit typis Venetis an. 1549.

Auctor viuebat an. 1552. nam italicam operis editionem correxit.

ALEXANDER TRAIANVS PETRONIVS ſcripſit de Aqua Tiberina ad Iulium 3. Pont. 8. Romæ 1552.

Præter alia eiuſdem opera, quæ infra notata reperies.

AN-

ANDREAS PALLADIVS ſcripſit breui opuſculo *L'antichità di Roma raccolte breuemente da gli autori antichi e moderni* anno 1554. Romę typis Vincentij Lucrini in 8. primò, tum ibidem & alibi pluries.

PYRRHVS LIGORIVS Neapolitanus ſcripſit *delle antichità di Roma, videlicet de Circi, Teatri, & Anfiteatri con le paradoſſe, quali confutano la commune opinione ſopra varij luoghi della Città*. Opus edidit Michael Tramezinus Venetus 1553. in 8.

De hoc auctore Pompeius Vgonius hæc propria manu ſcripſit in huius operis principio à nobis deſũpta ex authographo quod ſernatur in Bibliotheca Barberina.

*Viſſe ſotto Paolo III. e Giulio III.*

*Pirro Ligorio, mi diſſe Iacomo Card. Sauello, il quale l'haueua conoſciuto, ch'era vn antiquario, che faceua profeſſione di cercare li veſtigi antichi delle fabriche di Roma, e diſegnarli: ſi dilettaua delle medaglie antiche, & ne fece improntare molte di nuouo, dandoli vna ruggine verde, ò altro fuco, acciò pareſſero antiche, delle quali ne fece, ò contrafece gran quantità, che hanno ingannato molti. Tali medaglie ſtampò anche de Papi e Cardinali, tanto de tempi antichi, come de tempi baſſi, & queſto mi diſſe il detto Iacomo Card. Sauello vn giorno, ch'io giouane li portai vna medaglia di Iacomo Card. Sauello Cardinale antico di queſta caſa, che fù Papa Honorio IV. dicendomi, non è antica, deue eſſere di Pirro Ligorio, & mi ſignificò ch'era huomo manuale & non di lettere, come ſi può vedere da queſto libretto, al quale non eſt tutum credere. Pompeius Vgonius.*

Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconę in ſuo libro Numiſmatum Dialogo 4. hæc ſcribit; *Hò veduto certi diſegni di Pirro Ligorio Napolitano*

*amico mio, grande antiquario, & pittore, il quale ſenza ſapere la lingua latina, hà ſcritto &c.*

Antonius del Rè de Pyrrho Ligorio hęc ſcribit in ſuo opere Dell'antichita di Tiuoli pag. 77. *Molti ſono ſtati vaghi di trouare qualche deſcrittione, ò diſegno di queſta Villa* (di Hadriano Imp.) *& non ſe n'è trouata altra, che vna deſcrittione di Pirro Ligorio huomo più antiquario, che buon hiſtorico & erudito, in poter di alcuni heredi d'vn Cortegiano della fel. mem. d'Ippolito d'Eſte, detto il Card. di Ferrara Gouernatore perpetuo di Tiuoli fatta da detto Pirro, & indrizzata à detto Cardinale.*

Onuphrius Panuinius plura de Ligorio in præfat. lib. Reip. Rom. Et in fine Comment. lib 2. Faſtorū. Item Scottus in Itiner. Italiæ par 1. in Ferraria. Hieron. Rub. lib. 2. Hiſtor. Rauenn. pag. 60. & Mercurialis de Arte Gymnaſtica lib 1. cap. 6 10. & 12. & lib. 2. cap. 9. & 12. & Hier. Ferruccius in notis ad And. Fuluium lib. 5. p. 322. & alibi: Nec non Iulius Iacobonus in Appendice, De Priſca Cæſiorum gente, & Iuſtus Rycquius de Capitolio cap. 5.

Aliqua in opuſculo de Circis, & in Paradoxis notauit Celſus Cittadinus, quæ mſs. vidimus apud D. Gaſparem Bertum, quæ nunc extant in manibus clariſſimi viri Eq. Borromini, hic exſcribenda.

*Annotationi ſopra il Libro delle antichità, & Paradoſſi di Pirro Ligorio,*

*Di Celſo Cittadini.*

*A car. 2. facciata 2. nel fine del 3. Circo.*

*Al tempo di S. Girolamo quel luogo era fuor delle mura, perche la Porta Salara era nella Vigna de Frati di S. Saluatore del Lauro, oue cominciauano gli Argini di Tarquinio, & le mura, come fin hoggi ſi vede,*

*de ; ma il Ligorio non ſapeua queſto .*

*A car. 3. fac, 1 nel fine del 5. Circo .*

*Erra, perche queſto era vn altro Cerchio , ò Stadio, del quale ſono le reliquie fuor della Porta di Caſtello , & parmi che foſſe ne gl'horti di Domitiano , ne quali fù fatto il Sepolcro di Adriano, oue era vn Hippodromo, & anco Stadio, de quali reſtano le rouine .*

*A c 3. fac. 2. al fine , doue parla del nono Circo, credo che s'inganni , e che tal Cerchio foſſe dietro la fontana di Treui , doue è ancora vn Obeliſchetto .*

*A c. 4. fac.* 1. *nel fine verſ. penult. & vlt.* Teatro , Amphiteatro . *Si contradice à ſe ſteſſo .*

*A c. 4. fac. 2. parla del Teatro di Cornelio Balbo .*

*Credo che foſſe frà il Palazzo de Ceſarini , e Piazza dell' Altieri , e Matthei .*

*Et nel fine di queſto Teatro allegando P. Vittore ; E da che ſi può argomentare queſto ?*

*A car. 5 verſ 9.* di Balbo & il Lapideo &c.

*Ma doue laſcia egli quel di Marcello ?*

*Verſ.* Eraui il Teatro di Marcello &c.

*Ma queſto era il Lapideo , perche gl'altri erano de cementi ò di legno di dentro, e da fuori di mattoni quadrelli d'opera reticolata .*

*Fac. 2. car. 5. verſ* 11. dall'Eſquilie .

O *dalle Carine ?*

*Car. 6. fac.* 1. dall'Oceano.

O *dal Nilo ?*

*Fac. 2. verſ 7.* non . *leggi*, noi.

*Nell'iſteſſa verſ* veduto veſtigio alcuno, che moſtri appunto di che forma egli foſſe .

*Nel giardino de Bellai già è il Xyſto quaſi intero d forma ſemicircolare con portici intorno .*

*Car. 7 verſ.* Luoghi da corſi de caualli *&c.* & al ſcoperto all'aere.

*Et queſti che ſono altro, che Xyſti?*

*All'iſteſſa f.*2. Perche haueuano torri e merli come &c.

*Come ſi può vedere in quello di là da S. Baſtiano.*

*Car* 9. non ne habbiamo fatto. *Leggi*. noi.

*Car.*10 *fac.*2.*nelle maiuſcole*,DVELLIO,DVELLO.

*Car.*20. *f.*2. Detto Agonale da certe parole e cerimonie.

*Non credo che ſia vero, ma ſi bene dal combattimento, che in greco ſi dice Agone.*

*Paradoſſo* 2. *delle Carceri.*

*Quando Plutarco dice, che la carcere ſopraſtaua al foro biſogna conſiderare, che egli miraua al tempo, che ſcriueua, che il foro ſi ſtendeua fino al carcere Tulliano à punto. da che la deſcrittione di eſſo carcere, che fa Saluſtio in de bello Catilinæ ſi confà ad vnguem con eſſo, & è vero, che il piano della carcere di ſopra viene al pari della Via Sacra; ma la carcere di ſotto viene aſſai più baſſa, & però Saluſtio dice.* Cum paululum à læua deſcenderis, *ò ſimili parole.*

*Et P. Vittore non dice quello, che dice il Ligorio, ma contro di lui.*

*Et Cicerone non dice, che laſciaſſer que prigioni nella carcere Tulliana, ma nelle carceri, ciòè Centumuirali, che erano verſo Piazza Montanara.*

*Car.*28 *nel fine del Greco, & nelle parole*, Poſto nel principio della Via Sacra, di quelli che ritornauono al Monte Palatino.

*Non vuol dir così.*

*Car.*30. *nel mezzo.*

*Non è vero; & il Ligorio non diſtingue fra il carcere Tulliano & il Centouirale.*

*Car.*32. *fac.*2. *Del tempio di Concordia, e di Moneta nel principio.*

*S'in-*

*S'inganna.*

*Car. e fac. medeſima alleg.ando Plutarco.*

*Plutarco miraua al foro del ſuo tempo, che ſi ſtendeua fin là.*

*Nel luogo ſteſſo. erra.*

*Nel fine doue parla di Giunone Moneta.*

*Il Tempio di Giunone Moneta era preſſo la Conſolatione in Vico Iugario.*

*Car. 33. fac. 2. dell' Armiluſtro, nella parola* Circo Maſſimo. *Cerchio Maſſimo appreſſo Varrone, & altri ſignifica tanto il Cerchio ſteſſo, quanto la Regione del Cerchio Maſſimo, cioè la Decima.*

*Fac. med. Del Sepolcro di Marcello nel fine.*

*Virgilio non dice coſa alcuna di ciò, & è nel 6. dell' Eneide.*

*C. 34. del Sepolcro di Valerio Poblicola. verſ.* Monte Palatino, che così ſi chiamaua.

*Era in quella parte, che ſopraſtà à S. Maria Libera nos à pœnis Inferni.*

*C. med. del Tempio di Iunone Lucina. verſ.* il Terento.

*Era forſe preſſo à S. Lucia della Tenta. Vedi Ouidio lib. 1. Faſtor.*

*Med. Dell' Arco di Domitiano verſo la fine.*

*E vero, ma P. Vittore non pone arco alcuno di Claudio, ma ſolo* Arcus nouus.

Car 34. *f. 2. Scale Gemonie. verſ.* tutti tre dicono &c.

*Suetonio non dice tal coſa, ma così,* Tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus, atque confectus eſt, & inde vnco tractus in Tiberim; *& Tacito,* Congeſtis militum vulneribus ad Gemonias Scalas trucidatum.

*Car. 35. delle Carine, nel fine.*

*Ma erano vn ramo, ò parte del Celio.*

*Car. ead. della Subura, nel mezzo.*

*Chi autore lo dice?*

*Della Subura. Varrone dice, che la Subura fu coſi detta* quod ſub muro terreo Carinarum, *& non dalla Roma quadrata.*

*P. Vittore mette la Subura, cioè il principio di eſſa nella 3. Regione d'Iſide e Serapide, cioè dietro il Tempio della Pace.*

*Seſto Ruſo fà il medeſimo.*

*La Subura cominciaua à S. Lucia in Orfea ò Selice ſotto il monte delle Carine, & era fondata ſopra la Chiauica Maſſima, la quale hoggi è nel medeſimo loco. Si ritrà da quel che ſcriue Giouenale Sat. 5. cioè.*

Aut glacie aſperſus maculis tiberinus & ipſe
Vernula riparum pinguis torrente cloaca,
Et ſolitus mediæ cryptam penetrare Suburræ.

*Se adunque quel peſce Lupo, entrando dal Teuere nella Chiauica, ſolea penetrare ſino nella Suburra, & la Chiauica Maſſima è quella ſola, che tiene quel tratto, reſta che la Subura foſſe doue è creduto che ſia volgarmente, non ci eſſendo chiauica alcuna, che dal Teuere vada verſo S. Gregorio, & l'arco di Conſtantino.*

*Car 35. fac. 2. del Celiolo allegando Varrone.*

*Non dice coſi.*

*Med. Del foro Olitorio verſ* Carc. Tulliano era &c.

*Intriga i peſi.*

*Car. 36. Settizonio, allegando Spartiano.*

*Spartiano dice il contrario nel fine della vita di Seuero; cioè che egli voleua fare la porta, ò entrata del Palazzo da quella parte. adunque il ſuo Settizonio era contiguo al Palazzo, & non nella Piſcina publica, che è à S. Siſto.*

C. 37. *Porta Portuenſe,* autorità de Scrittori anti-

*Ma*

*Ma lo dice Feſto Pompeo autore antichiſſimo, che quella Porta fu detta Nauale* à naualibus ei vicinis.

*Car.37.fac 2.* Porta Mugonia.

*Era queſta porta, & è proprio ſotto la Chieſa di Santa Maria Liberatrice.*

*Med. Porta Aurelia.*

*Erano due Vie Aurelie, la vecchia & la noua, & forſe erano anche due Porte Aurelie.*

*Car.*38 Altra opinione della Porta Flumentana.

*Credo che foſſe poi chiamata ſcelerata & era intorno alla Piazza Montanara.*

*Car.*39.Nel Campo Marzo come ne dimoſtrà Frontino &c.

*Coſtui fà dire à ſuo modo gli Autori, li quali non haueua mai letto, che non intendea il Latino. Frontino non parla iui di Campo Marzo, ma dice che l'Alſietina faceua capo nella Naumachia, intendendo di quella di Ceſare, che era à S. Coſmato, e non di quella, che era ſotto il Pincio.*

*Med.*Delli falſi archi di Romolo. *nel fine.*

*Che dice qui di gratia coſtui?*

*Car.40.Et di M. Coſimo Medico.*

*Quel tempio era di Ercole Callaico fatto da Bruto, & per corrottione di Callaico è detto il Calluccio, & non da Caio & Lutio.*

*Car.*41.Delle carceri *in quel luogo doue è S. Nicola in Carcere.*

*Non è vero.*

*Car.*42. Del Quirinale. Apparendo chiaramente, per l'inſcrittione.

*Non appar coſa alcuna. Ma è vero che è il Quirinale.*

*Car.43.fac.2.* Curia vecchia nel fine.

*Era fra l'Arco di Tito, & di Conſtantino.*

*Med. Subura. nel principio.*

*Erra*

*Erra come hauemo prouato à ſuo luogo.*

*Med & cap.* Eſſi non hanno alcun Scrittore, alla cui autorità.

*Non li haueua veduti eſſo.*

Car.44. *pur Subura*, Edificata prima, che il tempo &c.

*Edificare diceuano anco rifare, & conſagrare.*

*Med.fac.*2. Tempij del Sole e della Luna.*nel mezzo.*

*Non sà egli ſteſſo che ſi dica.*

Car.45. Dell'Emporio *nel fine.*

*Quello preſſo al Coliſeo era il mercato de frutti, come ſi caua da Varrone de Re ruſtica, & da altri.*

*Fac.*2. Falſe opinioni di coſe antiche. *nel fine.*

*Queſto non è valido argomento & il tempio predetto moſtra eſſere piu antico del tempio di Auguſto. Senza che non hà forma di Baſilica, ne meno la debita grandezza.*

Car.46. Vn epitaffio, che dice. *DIS. &c.*

*E hora nel Giardino di m. Andrea Bacci Medico.*

Car.48. Della Via nuoua

*Erano tre Vie nuoue in Roma; vna che andaua nel Velabro, l'altra doue è S. Maria noua. Et la terza verſo le Therme Antoniane.*

Car 51. Trofei di Mario *nel princ.*

*Dice il vero.*

*Io fui il primo, che ſcoperſi, che quelli trofei erano di Domitiano de Germanis. hauendo trouata quella inſcrittione ſotto vno di eſſi, anco prima che foſſero moſſi di là. cioè*

IMP. DOM. AVG.
GER. PER.
CRE. LIB.

*Med. nel Cap. di Bouilla.*

*Erano due luoghi chiamati Bouilla. Vno Colonia*

de

*de Romani, come dice Plinio & Frontino nel paeſe degl'Ernici: che era ſi crede, che ſia Bauco. Et l'altro preſſo à Roma poche miglia nella Via Appia, che era ſi crede, ſia detto, le Fratoccie. Perſio non dice, che foſſe frà Albano, e la Riccia. Et ſi nota ciò per moſtrar, che Pirro allega gl'autori á ſuo modo.*

Hactenus Cittadinus, cui illud etiam notatione dignum videtur addendum pag 49. De Monte Teſtacco. *Et quelli che han detto, che all'hora ſi chiamaſſe del medeſimo nome, che hoggi ſi chiama, l'hanno detto ſenza alcuna autorità ò ragione, ſaluo di certa deriuatione da Teſta imaginata, & finta da loro;* Quid mirum de imaginario Teſtę vocabulo, ſi Pyrrhus erat latinitatis expers, vt Auguſtinus, Vgonius, Regius, & Cittadinus teſtati fuerunt?

Tandem ſi quæres, quomodo hæc ſcripſerit Ligorius; Reſpondet Antonius Auguſtinus loc. cit. his verbis. *S'aiutano con le fatiche d'altri, è col diſegnar bene col pennello fanno altretanto, che con la penna.*

Cæterum Ligorius die 11. Octobris 1565. viuebat, cum legerimus epiſtolã ipſius manu ſignatam dicta die. Poſtremò Eques Baglionus Ligorij vitam retulit in librum vitarum Pictorum &c. anno 1642. publicatum.

LVCIVS MAVRVS ſcripſit le antichità di Roma; & ex quattuor editionibus duas vidimus Venetas i- 8. an. 1556. & 1562.

VLYSSES ALDROANDVS edidit, Tu- tue antiche, che in Roma in diuerſi luog- ticolari ſi vedono. Opus eſt editum Mauro.

ONVPHRIVS PANVIN- Auguſtinianus ſcripſit li- Reip. Romanæ. I. d-

perio Romano. Edidit opus in 8. Vincentius Valgriſius Venet 1558. & in fol. Francfurti an 1597.

Idem edidit libellum de ſeptem Vrbis eccleſijs, in cuius fine agit de Titulis s. Praxedis, s. Pudentianæ, & s. Mariæ Angelorum in Thermis, Romæ in 8. an. 1570. latinè, quem Camillus Fanuccius in italicam linguam vertit, vt ipſe ſcribit lib. 1 cap. 6. de operibus pijs Romæ; quique impreſſus fuit Romæ in 8. poſtea Venetijs an. 1574. in 12. à Petro Franciſco Zino Canonico Veronenſi an. 1574. licèt in Cod. Vat. 6432. pag. 24. extet epiſtola Marci Antonij Lanfranci Veronenſis ad Pium V. de edendo dicto libro à ſe in linguam italicam conuerſo. Cæterum in AEde s. Auguſtini hoc habet cœnotaphium.

D. O. M.
FR. ONVPHRIO PANVINIO
VERONENSI
EREMITAE AVGVSTINIANO
VIRO AD OMNES
ET ROMANAS ET ECCLESIASTICAS ANTIQVITATES E TENEBRIS ERVENDAS NATO
QVI ALEXANDRVM FARNESIVM CARD.
V. CANCELLAR. IN SICILIAM PROSECVTVS
ALIENISSIMO ET SIBI ET HISTORIAE
TEMPORE
PANORMI OBIIT XVIII. KAL. APRILIS
M. D. LXVIII.
PRAECLARIS MVLTIS ET PERFECTIS ET
INCHOATIS INDVSTRIAE SVAE
MONVMENTIS RELICTIS
VIXIT AN. XXXIX.
AMICI HONORIS CAVSA POSVERVNT.

Geor-

GEORGIVS FABRICIVS Chemnicenſis opus edidit inſcriptum, Roma, Antiquitatum libri duo ex ære, marmoribus, ſaxis. membraniſue veteribus collecti ab eodem. Latinè in 8. Baſileæ 1587 ſecunda editione. In titulo enim dicitur, Auctiora omnia; & in cap. 1 auctor hæc refert. *Nuperrimè ſcripſit Onuphrius Veronenſis Eremita, qui hunc meum libellum ante annos ſeptendecim editum legit, & ex eo multa de verbo in ſuam vrbem tranſtulit.*

BERNARDVS GAMMVCCIVS à S. Geminiano Architectus & Antiquarius, vt Ioannes Variſcus teſtatur in epiſtola ad Lectores, ſcripſit, Libri quattro dell'Antichità della Città di Roma, opuſq; dicauit Franciſco Florentiæ & Senarum Duci in 4. ann. 1565 Venetijs, figuris ornatum.

Eiuſdem opus iterum impreſſum fuit Venetijs in 8. an. 1580. auctum à Thoma Porcacchio, vt aſſerit typographus

SEBASTIANVS SERLIVS Bononienſis Architectus operum ſuorum librum tertium edidit, nel quale ſi figurano, & deſcriuono l'antichità di Roma 4. Venetijs 1566.

IOANNES SERVILIVS in tract. de mirandis antiquorum operibus, ſcripſit plura de Vrbis Thermis, aquis, alijſq; ædificijs mirandis 8. Antuerpiæ 1569.

ALOYSIVS CONTARINVS ex ordine Cruciferorum ſcripſit l'Antiquità, ſito, Chieſe, Corpi Santi, reliquie, e ſtatue di Roma con l'origine e nobiltà di Napoli, in Dialogo in 8. Neapoli 1569. poſtea Venetijs 1575.

LVCAS PAETVS ſcripſit de reſtitutione Aquæductus aquæ Virginis 4. Romæ 1570. idèmque opus eſt impreſſum in fine operis de Ponderibus, & menſuris. Venet. 1573.

MARCVS ATTILIVS SERRANVS (Senenſis,& Epiſcopus Coroni,vt ait Camillus Fanuccius de Operibus pijs Romæ lib. 1. cap.6. qui etiam lib. 2. cap. 6. & lib.3. cap 1. inquit, *ſe è latino in italicum ſermonem vertiſſe hoc Serrani opus*) ſcripſit de ſeptem Vrbis Eccleſijs, earumq; Reliquijs,Stationibus, & Indulgentijs in 8. Romæ 1575.

THOMAS TERTERVS Polonus edidit, Roma Santa, nella quale vn Romano ammaeſtra vn pellegrino delle coſe ſpirituali, e sante di Roma 4. Romæ 1575.

Idem Terterus Poſnanienſis edidit latinè, Roma ſancta,ſiue de ſpirituali Romanæ Vrbis effigie,inquilini, & aduenæ colloquium in fol.aperto Romæ apud hæredes Antonij Bladi 1575.

ANDREAS BACCIVS ſcripſit de Tiberi fluuio &c. 4. Venetijs 1576.

VINCENTIVS SCAMMOZZIVS Architectus Vicentinus ſcripſit, Diſcorſi ſopra l'Antichità di Roma con 40. tauole in rame. fol. Venet. 1582.

IOANNES ROSINVS Bartholomæi F. Iſennacenſis Thuringus collegit Antiquitatum Romanarum libros decem an. 1580. quos impreſſit Baſileæ an. 1583. in fol. Eoſdem Thomas Dempſterus I. C. Scotus ſuppleuit, mutauit, addidit, explicauit, & correxit, Geneuæq; edidit an. 1620. in 4.

ASCANIVS VALENTINVS Romanus Sacelli Gregoriani deſcriptionem edidit 4. Florentiæ 1583.

ALEXANDER PETRONIVS è Ciuitate Caſtellana ſcripſit libros quinque de ſitu, aere, fructibus, aquis, carnibus, & alijs ad victum Romanum ſpectantibus, ediditq; Romæ in fol. an. 1581.

Eoſdem poſtea in italicum ſermonem tranſlatos à Baſilio Parauicino edidit Dominicus Baſa impreſ-

ſor

ſor Romanus in 4. an. 1592.

LVDOVICVS DEMONTIOSVS multa antiqua monimenta explicauit libello, cui titulus eſt, Gallus Romæ hoſpes, Sixto V. dicato an. 1585. Romæ in 4.

GERMANVS AVDEBERTVS AVRELIVS edidit carmine opuſculum inſcriptum, Roma, & Alexandro Farneſio dicauit an. 1585 in 4. Paris.

POMPEIVS FELICIVS Durantinus edidit, Dialogo intorno alle Stationi di Roma, vbi de templo tantùm s. Sabinæ verba facit 4. Arimini 1587.

POMPEIVS VGONIVS Romanus ſcripſit, Hiſtoria delle Stationi di Roma, che ſi celebrano la Quadrageſima in 8. Romæ 1588. Extat in Bibliotheca Barberina eiuſdem opus imperfectum inſcriptum Theatrum Vrbis Romæ, in quo ſæpiſſime fit mentio Polyſtoriæ Ioannis Caballini de Cerronibus, De Virtutibus, & dotibus Rom. Vrbis, ipſiuſq; imperio, quam adhuc videre cupimus.

MVTIVS PANSA Pinnenſis ſcripſit, Diſcorſi ſopra la grandezza dell'opere di Siſto V. in 8. Romæ 1588. Item della Libraria Vaticana ragionamenti in 4. Romæ 1599

PETRVS ANGELIVS BARGAEVS ſcripſit Commentarium de Obeliſco 4. Romæ 1586. Et epiſtolam de priuatorum publicorumq; ædificiorum Vrbis euerſoribus 4. Florentiæ 1589

IVLIVS ROSCIVS Hortinus edere curauit emblemata ſacra s. Stephani Cœlij Montis intercolumnijs affixa 8. Romæ 1589. æneis figuris.

MICHAEL MERCATVS Protonotarius Apoſtolicus ſcripſit degl' Obeliſchi di Roma 4. Romæ 1589.

DOMINICVS GAGLIARDELLIVS Maceratenſis ſcripſit ad Sixtum V. de Purgandis Vijs Vrbis, &

de Aquæ Felicis qualitatibus 4. Romæ 1590.

DOMINICVS FONTANA edidit, voluſmine in folio magno, le fabriche di Siſto V. fatte da lui. Romæ 1590.

ANGELVS ROCCA à Camerino Eremita S. Auguſtini commentario &c. illuſtrauit Bibliothecam Vaticanam. 4. Romæ 1591.

LAVRENTIVS SCHADRERVS edidit monuméta Italiæ, inter quæ plura Verbo, Roma, fol. Helmæſtadij an. 1592.

IANVS IACOBVS BOISSARDVS Veſuntinus edidit Romanæ Vrbis topographiam, & antiquitates ſex voluminibus in fol. Francofordij 1597. in quorum

Primo. Topographia Romanæ Vrbis, qua ſuccinctè deſcribuntur omnia, quæ in Vrbe ſunt notatu magis digna, & quæ dierum quattuor ſpatio commodè videri, & luſtrari poſſunt à peregrinis, & hoſpitibus: Item deſcriptio Vrbis Regionum Onuphrij Panuinij: Item Pub. Victor de Regionibus Vrbis.

